B948 504
m ~~149~~ 103

# HISTORIA REIPUBLICÆ ET IMPERII ROMANORUM

AB

*URBE CONDITA AD ANNUM URBIS DCCXXVII.*

Quo Octaviano Cæſari ſumma Imperii cum nomine Auguſti delata fuit.

*Contexuit ex monumentis veterum*

G. H. NIEUPOORT.

TOMUS II.

VENETIIS, MDCCXXXII.
TYPIS JOSEPHI BETTINELLI.
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

# HISTORIA REIPUBLICÆ ET IMPERII ROMANORUM

AB

Urbe condita ad A. U. 727. quo Octaviano Cæſari ſumma Imperii cum nomine Auguſti delata fuit.

## LIBER SEXTUS.

---

## CAPUT PRIMUM.

*Bellum Punicum tertium.*

§. I. CAto ergo, qui potius illud, quod utile Reipublicæ fore crederet, quam quod honeſt um eſſet, ſpectare ſolebat, jam a multis retro annis urgere non deſtiterat, *æmulam illam quondam Imperii Romani, & certe, ſi occaſio obtigiſſet, acrius inſurrecturam Carthaginem fundi-* *§. 1. Origo III. Belli Punici. A. U. 604.*

*tus eſſe delendam*; ſemper, cum in Senatu de quavis alia re ſententiam dixiſſet, finire ita ſolitus, *hoc cenſeo, & delendam eſſe Carthaginem* a. Cum contra Naſica cenſeret, *ſinendam eſſe Carthaginem* b: qui tamen hoc non amore æqui & boni; ſed ut metu & reverentia æmulæ urbis diſciplina jam labaſcens retineretur, cenſebat. Et eventus docuit, juſtum fuiſſe metum; cum paulo poſt deletam Carthaginem non *vergere*, ſed *ruere* in deterius mores Romanorum cœperint c. Verum vicit ſententia Catonis, etiam mortui; ut dicit Cicero d; quod tamen cum iis, quæ ex aliis auctoribus diximus, non ſatis convenit, quippe qui ſupervixiſſe belli initiis Catonem teſtantur. Accuſabantur autem Carthaginienſes variorum criminum, ita ut, *Carthaginem excidendam eſſe*, Senatus ſtatuerit: magis, quia volebant Romani, quicquid de Carthagine diceretur, credere, quam quia credenda aſſerebantur e. Præcipuus præterea auctor belli Pœnis inferendi erat Maſiniſſa, qui Romanis fretus multis injuriis Carthaginienſes affecerat f: nam jam A. U. 560. agrum maritimum eorum fuerat depopulatus; & quaſdam urbes vectigales Carthaginienſium ſibi coegerat ſtipendium pendere. Carthaginienſes igitur queſtum de

a *Plut. Cat. Maj. p. m.* 352. *Flor. II.* 15. b *App. Alex. Punicor. n.* 38. c *Vellej. Pat. L. II. c.* 1. *Plin. H. N. XXXIII.* 11. *f. Flor. L. II. c.* 15. *L. III. c.* 12. d *Offic. L. I. c.* 23. e *Vell. Paterc. L. I. c.* 12. f *Liv. L. XXXIV.* 62.

de Rege legatos Romam miſerant; cum quibus miſſi ſunt a Senatu, qui inter Populum Carthaginienſem & Regem in re præſenti diſceptarent. Sed hi, audita inſpectaque re, ſuſpenſa omnia reliquere: quod tempori aptius erat, cum Romanis jam metus a bello cum Antiocho inſtaret. Apud Livium *L. XL. c.* 17., & ita finito bello Antiochino, etiam ſimilem legationem; quæ poſſeſſionis jus Maſiniſſæ non mutavit, reperio: & rurſus in hiſtoria anni 581. legati Carthaginienſium & *Guluſſa* Maſiniſſæ filius in Senatu Romæ magnis contentionibus utrique cauſſam ſuam egiſſe dicuntur [a]: juſſique ſunt utriuſque partis legati coram Senatu jus ſuum diceptare, profitente Senatu, *Si aliquid poſſent, id ſe libenter honoris Maſiniſſæ cauſſa facturos eſſe; jus gratiæ non daturos*: Quo tempore Romani jam bello Perſico imminebant; atque ita Carthaginienſes aperte hoſtes facere nolebant. Nam, niſi hæc cauſſa fuiſſet unus ille Scipio, Carthaginis domitor, vel notitia rei vel auctoritate ita de utriuſque meritus, nutu finire diſceptationem diu ante hæc tempora potuiſſet. Imo addit Appianus [b] mandatum fuiſſe legatis, ut clam Maſiniſſæ cauſſam promoverent, dilatamque eſſe legationem tantiſper, donec ſuccubuiſſe Carthaginienſes conjectari potuit: & Polybius affirmat [c], ſemper cauſſam Car-



a *Liv. L. XLIII. c.* 23. b *Punic. n.* 37. *& n.* 40. c *excerpt. legat. n.* 118.

thaginienſium apud Romanos deteriorem fuiſſe; non quod revera ita eſſet; ſed quod judicibus ita eſſe conduceret. Ergo non tantum agros & urbes, de quibus controverſia erat, amiſerunt Pœni; ſed præterea talenta quingenta † fructuum nomine Maſiniſſæ pendere coacti ſunt. Summa enim hic ambitione amicitiam Romanorum petebat: & in corpore ſenili cupiditatem gloriæ & vires juvenis viri alebat [a]. Ipſi porro Carthaginienſes diſcordiis ſuis & factionibus occaſionem inimicis eos perdendi præbuerunt: ibi enim, cum popularis factio regiam ejeciſſet, exules Maſiniſſæ opem implorarunt [b]; qui ſtatim filios Carthaginem miſit rogaturos, ut exules reſtituerentur. Sed non tantum illi recepti non ſunt; verum etiam quidam ex redeuntis Guluſſæ comitatu interfecti. Ita ergo palam jam bellum geri cœpit: pugnaveruntque Maſiniſſa & Carthaginienſes incerto fere prælii eventu. Spectavit hoc prælium e loco eminentiore (ſumma quidem, ut dicebat, animi voluptate) Scipio; qui elephantos petiturus ex Hiſpania a Lucullo miſſus advenerat: eoque interceſſore Pœni pacem cum Maſiniſſa componere tentarunt; ſed fruſtra; cum ſex millia equitum, qui cum Præfectis ſuis transfugerant, Carthaginienſes reddere noluiſſent [c]. Sed paulo poſt ingenti fame & peſtilentibus morbis afflicti transfugas

† *Philipp.* 300000. a *Vid. Cic. Senect. c.* 10. *App. Al. Punic. n.* 64. b *App. Ib. n.* 38. c *App. Ib. n.* 40.

ſugas dedere, exules recipere, & quinque millia talentorum † intra quinquaginta annos ſolvenda promittere coacti ſunt; militibus etiam eorum ſub jugum miſſis. Et hos etiam ſine armis Carthaginem redeuntes invaſit Guluſſa; plurimosque interfecit. Carthaginienſes tamen, ut omnem ſuſpicionem infeſti erga Regem animi a ſe amoverent, *belli auctores capitis reos eſſe*, declararunt: legatiſque in Urbem miſſis, tum cives ſuos tum Maſiniſſam, ut motuum illorum cauſſas accuſarunt. Reſponſum eſt legatis, " pacem ,, habere non poſſe Carthaginienſes, niſi ,, Populo Rom. ſatisfeciſſent " nullo tamen ſatisfactionis modo præſcripto; licet iterata legatione, ut hoc diſerte fieret, poſtulatum fuiſſet. Addit Livius [a], legatos Romanorum, qui ad cauſſam in ipſo loco cognoſcendam miſſi fuerant, nunciaſſe, priſtinas jam vires recuperaſſe Pœnos; & ſuſpicatos ſeſe eſſe, jam bellum parari, quod vim navalis materiæ Carthagine deprehendiſſent. Ergo adhuc legati ſunt miſſi, qui ſpecularentur, quid ageretur: quibus ſuadentibus agro, de quo lis erat, Rex ceſſit. Et, cum etiam Senatus Carthaginienſium [b], *pariturum ſe judicio legatorum*, dixiſſet, *Giſgo* tamen Hamilcaris filius, qui tum in magiſtratu erat, ita bellum adverſus Romanos ſuaſit, ut legatos Romanorum, quo minus violarentur, vix fuga explicuerit, Ita certe



† *Philipp.* 3000000. b *Epit.* 47. c *Ibid. Epit.* 48.

in *epitome hiſtoriæ Livianæ* legitur: ſed dubium me reddit, quod nec in *excerptis Polybianis n.* 142. nec apud Appianum, tale quid legitur. Et videtur hic uſque Livius diverſa paullum ab aliis tradidiſſe: niſi potius ex breviſſimo compendio quid ſcripſerit exacte deprehendi nequeat. Verum quicquid de his legationibus fuerit (nam vix auctorum diverſæ hoc loco narrationes concilientur) certe anno Urbis ſexcenteſimo quarto L. Marcio Cenſorino, M. Manilio Conſulibus bellum adverſus Carthaginienſes decernitur: quod parum juſtum fuiſſe ex jam dictis facile deprehendi poteſt: & ex locis auctorum citatis ulterius patet.

*A. U.* 604.

§. 2. *Hiſtoria.* *A. U.* 604.

§. II. Bellum autem ſimul indictum & illatum eſt [a]: & ſecreto mandatum eſt Conſulibus, „ne ante a bello deſinerent, „quam exciſa Carthago foret.“ Moverat etiam Romanos, ut citius bellum capeſſerent, quod Uticenſes, quorum urbs ſexaginta duntaxat ſtadiis (ſunt leucæ horariæ duæ cum media unius parte) Carthagine aberat, legatis Romam miſſis ſe in fidem Populi Romani tradidiſſent [b]; cum munita valde & opportuna ad bellum civitas eſſet [c]. Attoniti belli nuncio Pœni, & ab omnibus rebus ad tantum bellum gerendum imparati triginta in Urbem legatos miſerunt, qui quibuſcunque poſſent conditionibus pacem componere conarentur [d]: imo, qui *ſe ſuaque Romanorum*

a *App. Alex. Punic. n.* 43. b *Livii Ep.* 49. c *Appian. n.* 42. d *Polyb. exc. leg. n.* 142.

*norum arbitrio permitterent*; qua formula abſolutiſſima victoribus poteſtas in omnia, quæ deditorum fuerant, permittitur [a]: Reſponſum iis eſt, (ita nempe, ſi Conſules adhuc in Sicilia hærerent) „ „ Senatum concedere Carthaginienſibus „ libertatem, leges proprias, univerſum „ agrum, aliarumque rerum publicarum, „ privatarumque poſſeſſionem. Sed hæc „ omnia ea lege, ſi intra dies triginta „ trecentos obſides ex nobiliſſimis pueros „ dediſſent; iiſque, quæ a Conſulibus im„ perarentur, obtemperaſſent. " Hæc quidem palam legatis reſponſa ſunt: ceterum clam moniti ſunt Conſules, ne ab iis, quæ prius mandata eſſent, vel latum unguem diſcederent. Et reliqua, quæ afferebant Carthaginem legati, ſic ſatis accepta fuerunt; illud anxium reddebat Carthaginis Senatum, quod nulla urbium, quas in ditione retinerent, mentio facta eſſet [b]. Verum cum neceſſitas parere regeret, trecenti obſides in Siciliam magno, ut par eſt, ſuorum fletu miſſi ſunt. Eos Conſules *Fabio*, qui Prætor Siciliam cogebat, Romam devehendos tradiderunt. Interea claſſem cum exercitu ad Uticam appulerunt: ubi ſtatim occurrerunt Pœnorum legati [c] rogantes quid exercitu in Africam trajecto opus eſſet, cum parati eſſent Carthaginienſes, quicquid imperatum foret, facere. Alter Conſulum laudato hoc eorum conſilio arma confeſtim om-

a *App. Alex. Punic. n.* 43. b *Polyb. exc. leg. n.* 142. c *Appian. Al. Pun. n.* 44.

omnia & tela comportare eos juſſit; cum; ſi ſincere pacem peterent, armis porro nihil opus eſſe illis diceret: quanquam, ſi Zonaræ credimus, Carthaginienſes magnum ſatis apparatum armorum clam ſibi ſervaverint. Ingens tamen armorum machinarumque vis ad Conſules eſt adducta a: qui cum ita omnibus plane viribus privatos Pœnos crederent, Urbem eos ſuam diruere juſſerunt; aliamque ultra octoginta a mari ſtadia (ſunt leucæ horariæ $3\frac{1}{8}$) ſibi ædificare. Quæ res manifeſtam habebat iniquitatem, quippe quæ plane adverſaretur libertati, quam Senatus Carthaginienſibus conceſſerat. Itaque *Hanno*, cui *Gillas* cognomentum erat, oratione habita poſtulavit, ut, ſi nihil gratiæ a Romanis impetrari poſſet, urbem tamen avitis ſuis ſedibus evellere ne pergerent; vel ſaltem deprecari illud per legatos apud Senatum permitterent b. Reſpondit Conſul oratione egregie ad perſuadendum compoſita, (niſi Appiani potius, quam Cenſorini ea oratio fuerit) „ „ Eſſe ex re ipſorum Carthaginienſium; „ ut auferantur illis occaſiones peccan- „ di; ut potius agriculturæ, cujus cer- „ tius, licet minus, ſit lucrum, animum „ intendant, quam incertis per mare ne- „ gociationibus; ita facilius ſe fortunæ & „ potentiæ priſtinæ eſſe oblituros; itaque „ vere appariturum, eos imperium ma- „ ris abdicaſſe: nec eſſe, quod ſacra & „ pe-

a *Strabo L. XVII. n.* 833. b *Appian. Al. Pun. n.* 50.

„ penates publicos, & ſepulchra majo-
„ rum relinquenda deplorent; copiam
„ enim ipſis fore eo ad parentandum ac-
„ cedere, novas ſedes brevi tempore ipſis
„ etiam patriam futuras; in iiſque ſedi-
„ bus liberam (quod promiſerant) Car-
„ thaginem fore; quippe cum cives, non
„ ſolum, Carthaginem eſſe putarent. "
Verum hæc nunciata Carthaginem cives in furorem verterunt [a]: eodemque die Senatus bellum adverſus Romanos decrevit: & vix credendo ardore omnia ad bellum apparata ſunt; præſertim cum iterum petentes, *ut legatos Romam mittere liceret*, impetrare nihil potuiſſent. Ergo nocte dieque omnia neceſſaria parant; tecta, domuſque reſcindunt, ut tignis ad fabricam claſſis uterentur; arma ex auro & argento inopia æris ferrique conficiunt; imo in vincula tormentorum matronæ crines ſuos conferunt [b]: atque ita noctuque & interdiu viri pariter ac mulieres omnia ad defenſionem neceſſaria congerebant; dum etiam Conſules tempus ipſis affatim concederent: vel, quod urbem, quando vellent, capere ſe poſſe confiderent; vel, ut inopiæ ſuæ conſideratione penitiore ad deditionem ſui permoverentur. Sed tamen ipſi quoque Conſules rerum ſuarum ſatagebant; cum nec Maſiniſſæ ſuperbius agenti ſatis fiderent; & de commeatuum inopia ſolliciti valde forent. Ergo junctis viribus urbem aggredi placuit: ſed

a *Appian. d. l. n.* 54. b *Flor. L. II. c.* 15.

ſed inſperata hoſtium defenſione territi in ipſo limine offenderunt, exercitum ab oppugnatione abducere coacti a. Sæpius dein fruſtra urbem tentarunt; & majus etiam damnum experti fuiſſent, niſi prudentia Scipionis ſæpius temeritatem Conſulis correxiſſet. Tota fere præterea Romana claſſis concremata eſt; dum Pœni obſervato vento, qui ad Romanos ferret, ſcaphas ſarmentis & ſtuppa pice ac ſulfure perfuſis plenas in eam immittunt. Cumque paulo poſt Cenſorinus ad comitia Romam profectus eſſet, nocturna eruptione magna clades fuiſſet accepta, niſi Scipionis iterum fortitudine & prudentia exercitus fuiſſet ſervatus: ita ut merito Cato de eo Homeri verſum [b] pauciſſimis immutatis uſurpaverit [c].

Οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι. *Solus ſapit; ceteri umbrarum vagantur modo*; quemadmodum ea verba citat Cicero [d]. Et tantam etiam apud hoſtes famam ſibi fecerat ut *Himilco*, cui *Phamæas* cognomen erat, Afrorum equitum Præfectus, qui aſſidue caſtra Romana infeſtabat, quoties Scipioni rerum curam commiſſam intelligeret, ea aggredi non auderet [e]. Nec virtutis modo, ſed etiam fidei ejus tanta erat opinio [f], ut nemo Afrorum cum Conſulibus, niſi præſente Sci-

pione

a *Appian. d. l. n.* 58. b *ex Odyſſ.* κ΄. *v* 49. c *Plut. Apophth. p. m.* 200. *Livii ep.* 49. d *de Divin. L. I. c.* 40. e *Vid. Eutr. L. IV. c.* 10. f *Appian. d. l. n.* 60.

pione aliquid paciſci vellet. Et revera fortiſſimis patri Æmilio Paullo, avoque Scipioni Africano ſimillimus hic junior Scipio fuit [a]: & huic quidem præcipue, quod arrogantiore, præſertim apud plebem, animo fuerit; ut etiam in ſequentibus videbimus. Multum quoque ipſi profuiſſe veroſimile eſt, quod Polybio Hiſtorico, Philoſophoque *Panætio* familiariſſime uſus fuit: licet nimia quædam laus ipſi a Vellejo tribuatur, *quod*, nempe, *nihil in vita, niſi laudandum, aut fecerit, aut dixerit, aut ſenſerit* [b]. Sed hoc Romano more eſt explicandum. At fortitudinis quidem ſpecimina inſignia quotidie a Scipione edebantur. Itaque cùm Conſul Manilius aliquando, ſpreto Scipionis conſilio, adverſus *Hasdrubalem* duxiſſet, magna clades accepta eſt: Scipio vero trecentis, quos ſecum habebat equitibus hoſtem continuo laceſſendo multis Romanorum elabendi opportunitatem præbuit: quatuor præterea cohortes in tumulo quodam obſeſſas ejuſdem Scipionis virtus explicuit: ita ut æque ac quondam avus ejus nihil ſine numine Deorum agere crederetur. Nihil ergo mirum eſt, legatos Roma in caſtra, ut omnia inſpicerent, miſſos [c] uno ore, poſtquam Romam reverſi fuiſſent, laudes ejus celebraſſe. Quibus laudibus præterea addita eſt acceſſio ad Romanos Phamææ Præfecti, qui colloquio Scipionis permotus, & ejus tantum fidei ſe credens cum bis mille & ducen-

a *Vell. Paterc. L. I. c.* 12. b *Ibid. c.* 13. c *App. Al. d. l. n.* 63.

ducentis equitibus ad Romanos tranſiit; iſque a Manilio Conſule, qui ſucceſſorem ſibi deſtinatum Piſonem audiverat, Romam cum Scipione miſſus honorifice ibi exceptus eſt, & donis ſplendidiſſimis ornatus; ſtrenuamque operam in poſterum pollicitus in Africam rurſus tranſiit [a].

*§. 3. Hiſtoria* §. III. Anno Urbis ſexcenteſimo quinto L. Calpurnio Piſoni Conſuli Africa, &
*A.U. 605.* bellum cum Pœnis provincia evenit: cumque eo profectus eſt *L. Hoſtilius Mancinus* Prætor claſſem ſortitus. Sed horum tanta fuit ſegnities, ut nec Carthaginem, nec Hasdrubalem Pœnorum Imperatorem tentarint: verum urbes aggreſſi a Clupea terra marique oppugnata repulſi ſunt: *Hipponem* vero *Diarrhytum*, vel *Zarytum*, (iſtæ ſyllabæ Dia & Za ſæpe commutantur [b], ut *Dankle* pro ZANKΛH, *Diabolus*, *Zabolus*; *diæta*, *Zæta* &c.) [c] quæ urbs fuit Africæ propriæ, & proinde diverſa ab *Hippone Regio*, quæ Numidiæ erat; eam, inquam urbem fruſtra per totam æſtatem obſedit; infectoque negotio Uticam in hyberna diſcedere coactus eſt. Atque ita ſumma rerum ad fatalem Africi belli ducem Scipionem [d] eſt translata.

*§. 4. Hiſtoria* §. IV. Nam ædilitatem petiturus Sci-
*A.U. 606.* pio Romam diſceſſerat: ubi indigne ad-
*& ſq.* modum ferebatur, ſegnitia magiſtratuum tan-

a *Appian. Ibid.* b *Vid. Henr. Vales. ad Amm. Marc. L. XX. c. 20. (Vales. 6.)* c *Vid. omn. Voſſ. de vitiis ſerm. L. III. c. 56. Ci. Roſſal. diſſert. de Chriſto in Chriſtum mut.* d *Cic. de Haruſp. reſp. c. 4.*

tantillum bellum in tantum ſpacium produci. Igitur Scipio, qui ædilitatem ſe petere profeſſus in campum deſcenderat, ante annos legitimos (triceſimum enim ſeptimumque annum agebat, cum quadrageſimus ſecundus petendo Conſulatui eſſet legitimus) ſummo Populi conſenſu Conſul factus eſt: & Africam provinciam extra ſortem accepit [a]; reclamante licet collega *C. Druſo*. Permiſſum eſt Scipioni ſupplementum ex delectu conſcribere; & præterea voluntarios e ſociis, quotquot perſuadere poſſet, accipere, literis Populi Romani nomine ad eos perſcriptis [b]: atque ipſe diligentiſſime paratis omnibus in Africam navigavit: ubi Piſo interim mediterranea oppida oppugnabat. Sed Mancinus partem quandam muri neglectam animadvertens, quo ob præcipitia accedi vix poſſe videbatur, ſcalis admotis quoſdam eo adſcendere fecit; & partem quandam munitionum occupavit; at ſequentis diei luce prima undique a Carthaginienſibus oppugnatus periiſſet, niſi Scipio, qui veſpere præcedentis diei Uticam appulerat, literas, quibus Piſonem arceſſebat Mancinus, nactus continuo Carthaginem navigaſſet, & periclitantes, recedentibus aliquantulum Pœnis, in claſſem recepiſſet. Statim autem ac in caſtra ad Carthaginem venit Scipio, prima ejus cura fuit diſciplinam militum plane collapſam, otio, rapinæ, avaritiæ aſſueti-

ſub

a *Liv. Epit.* 51. b *App. Al. n.* 69.

ſub Piſone militibus reſtituere; & turbam inutilem caſtris expellere. Atque ita expurgato exercitu nocte ſilente *Megara* aggreditur [a], quæ tertia pars urbis & maxime habitata erat: duæ aliæ *Byrſa*, ſive *arx*, & *Cothon*, ſive *portus* fuere. (*Cothon* proprie eſt portus manu factus [b]; quale vernacule nobis, *een dok* dicitur; a Græco δοχή: quæ vox affini ſignificatione occurrit apud *Heſychium*, εὔριπος, δοχὴ τῶν ὑδάτων) Cepitque quidem eam partem urbis Scipio, ſed, quod difficilius per noctem ulterior progreſſio eſſet, & ipſe locus inſidiis ſtruendis aptiſſimus, receptui cecinit. Indigne hanc invaſionem ferens Hasdrubal poſtridie in captivos Romanorum in murum productos horrendum in modum ſæviit; ut ita omni ſpe pacis Carthaginienſibus erepta in ſolis armis fiduciam iis habendam eſſe doceret. Hæc tamen nefaria facinora timidos potius, quam fortes Pœnos reddebat: & Senatus palam ea, ut ſuperbe & crudeliter facta deteſtabatur; ita ut irritatus Hasdrubal etiam Senatores aliquot comprehenſos interfecerit. Scipio, ut hoſtes commeatu, qui terreſtri itinere importari ſolebat, prohiberet, foſſam & murum longitudine viginti quinque ſtadiorum a mari ad mare duxit [c]. Et cito penuria in urbe ſecuta eſt; cum non niſi paucæ naves onerariæ, idque raro ad urbem pervenire poſſent. Sed, ut etiam hoc præſidium eri-

peret

a *Ibid. n. 71. f.* b *Serv. ad Virg. Æn. I. v. 431.*
c *App. Alex. d. l. n. 24.*

peret Scipio, totius exercitus aſſidua opera aggerem in ipſo mari ſtruxit, quo portus Carthaginienſium clauderetur. Hi vero, mulieribus etiam & pueris operam conferentibus opere noctu & interdiu continuato, alium portum aperuere: & ex vetere materia repente ædificata claſſe novo ore portus eruperunt tanto cum terrore Romanorum, ut eorum claſſem totam facile in ſuam poteſtatem redigere potuerint, niſi ſuperba insultatione contenti in portum revertiſſent. Tertio vero die navali prælio eſt decertatum; & cum diu varia fortuna pugnatum eſſet, tandem in urbem refugerunt Carthaginienſes. Imo adeo defenſionem non omiſerunt Pœni, ut noctu nando, vel qua vadoſum erat mare tranſeundo ingentem trepidationem fecerint: ita ut quoſdam ſuorum fugientes Scipio transfixerit & transfigi juſſerit: ac Pœni multis Romanorum machinis incenſis natantes domum reverſi ſunt. Verum tamen Scipio auxilia, quæ Pœni foris habebant, profligavit: & *Nepherim* urbem, unde maxime commeatus obſeſſis ſuppeditabatur, cepit [a]. Vere mox ineunte cothonem ſive portum expugnavit: atque ibi tum omnia, quæ triſtiſſimum urbis captæ fatum miſeranda habet, cernere licuit; quippe cum per ſex dies & noctes continuas res acta fuerit recentibus aſſidue in vicem feſſorum ſubmiſſis. Septimo tandem die quidam verbenas Æſculapii, cu- *A.U. 607.*



a *App. Al. d. l. n. 79.*

jus templum in arce erat, more ſupplicum præferentes ſalutem, quinquaginta millia virorum pariter ac mulierum, impetrarunt. Transfugæ fere nongenti deſperata ſalute cum Hasdrubale in templum illud excelſo valde loco impoſitum ſe recipiunt. Sed Hasdrubal demum etiam ſupplex ad Scipionem confugit: qua re intellecta transfugæ ſe cum ipſo templo concremarunt. Fertur Hasdrubalis uxor, dum accenditur ignis, acerbiſſimis verbis marito patriæ proditionem exprobraſſe [a]: atque eo peracto, duos filios ſuos jugulatos in ignem conjeciſſe: & demum etiam ſe ipſam immiſiſſe incendio flagrantis patriæ [b]. Urbs deinde incenſa eſt; cum antea militibus prædam inde agere per plures dies conceſſum eſſet: diciturque miſeræ urbis fortunæ illacrymaſſe Scipio, ut antea vidimus captis Syracuſis feciſſe Marcellum [c]: quæ vere *crocodili lacrymæ*, ut fert proverbium [d], dici poſſunt. Alii dicunt [e], incendium a Carthaginienſibus domibus ac templis ſponte immiſſum per continuos ſeptem & decem dies vix potuiſſe extingui. Quicquid ejus rei ſit, periit tandem civitas Romanæ potentiæ æmula [f], anno poſtquam a *Didone* exſtructa fuerat, ſeptingenteſimo trigeſimo ſeptimo [g]. Vellejus Paterculus conditam fuiſſe di-

a *App. Al. Ibid. n.* 82. *Val. Max. L. III. cap.* 2. *ex.* 8. *ext.* b *Flor. L. II. c.* 15. c *Supr. L. IV. c.* 1. §. 29. d *Eraſm. Adag. Ch. II. cent.* 4. *n.* 60. e *Flor. d. l.* f *Strabo L. XVII. n.* 832. g *Vid. Joſeph. contra App. L. I. p. m.* 1043. *Solin. c.* 30.

ſe dicit annis ante Romam LXV. [a] Juſtinus vero annis LXXII. Urbis natalem prævertiſſe ſcribit [b]. Solo deletæ urbis aratrum impreſſum eſt: quod veteres facere ſolebant, cum urbem aliquam plane abolitam, & omne jus civitatis ei loco ablatum ſignificare vellent [c]. Patuit porro etiam æquitas hic & generoſus Scipionis animus, qui ſuorum neminem, neque libertum, neque ſervum, de præda quicquam accipere, quin ne emere quidem paſſus ſit [d]; Siculiſque etiam ſtatuas & alia Diis dicata, quæ ex eorum inſula quondam Pœni evexerant reſtituerit [e]. Captæ Carthaginis nuncius ingentem Romæ lætitiam fecit [f]: & ſtatim decem legati in Africam miſſi ſunt, qui cum Scipione eam provinciam ordinarent. Hi, ſi quid adhuc ex urbe ſupereſſet, dirui juſſerunt: & interdixerunt diris devotionibus additis, ne quis ibi habitare vellet [g]: quæ tamen devotiones ſequenti tempore, & brevi quidem, ut videbimus, fuerunt neglectæ [h]. Placuit etiam civitates Pœnorum ſocias exſcindere excepta Utica, cui magna pars agri ab hoſtibus capti tributa eſt. Romam reverſus Scipio triumphum egit nobiliſſimum & crudeliſſimum transfugas & fugiti-

a *L. II. cap. 6. ubi vid. Schegk.* b *L. XVIII cap. 6.* c *Horat. Od. I. Ibid. v. 20. Senec. de Clem. L. c. 26. l. 21. ff. quib. mod. uſur. amitt.* d *Plut. Apopht. p. m. 200.* e *Cic. in Verr. L. II. c. 1.* f *App. Al. Pun. n. 83.* g *Cic. Agrar. I, cap. 2.* h *Vid. Strab. L. XVI n. 833.*

gitivos beſtiis objiciendo. Ac læta quidem hæc fuerunt in ſpecie: verum everſa Carthago & æmula urbs ſublata mores Romanorum corrupit: & luxus ſenſim invaleſcere cœpit, ut initio hujus capitis innuimus; & paulo poſt latius oſtenſuri ſumus.

§. V. Non vidit hoc gaudium Maſiniſſa, quo faciente facilius deleti fuerunt Carthaginienſes; quippe a quo jam detriti eſſent [a]. Nam paulo ante feſſus ſenio & morbo Scipionem ob amicitiam, quæ cum avo ejus ipſi interceſſerat [b], arceſſit, ſed ante quam adveniſſet Scipio, exſpiravit; cum filiis ſuis præcepiſſet, ut patrimonii ſui diviſionem planiſſime Scipioni permitterent. Senex ad miraculum uſque validus: qui, quamdiu vixit, intereſſe præliis ſolitus equum ſemper ſine ſtratore aſcendit. Nonaginta annos natus, cum ingreſſus iter pedibus eſſet, equum omnino non adſcendebat: cum equo, ex equo non deſcendebat [c]: nullo imbre, nullo frigore (quod tamen in Africa, ubi regnavit Maſiniſſa, grave eſſe non puto) adducebatur, ut capite operto eſſet: denique ſenex qui fuit nonagenarius cum moreretur, quadriennem filium reliquiſſe dicitur [d]. Regnaverat annos amplius ſexaginta [e]. Scipio, ut petierat Maſiniſſa, regnum inter filios ejus divi-

a *Suid. V.* Μισχράστης b *Cic. de Senect. c.* 10. *App. Alex. Pun. n.* 63. c *Cic. l. d.* d *Lucian. de longævis p.* 471. *edit. Græv.* e *App. Al. Ibid. n.* 64. *Suid. loc. cit.*

diviſit; quos numero quadraginta quatuor reliquerat ſecundum Eutropium *L. IV. c.* 11. ita ut natis ex concubinis dona quidem multa & luculenta tribueret: filiis vero legitimis *Micipſæ* natu maximo, eidemque pacis amantiſſimo regiam Cirtham, regiumque nomen; Guluſſæ viro militari, curam pacis & belli; *Manaſtabali* natu minimo, juriſdictionem inter cives: ſed fratribus deinde morbo abſumptis Micipſa ſolus regnum obtinuit. Ac jam deinceps moleſtiore multum opera ex disjectis hiſtoriæ Romanæ membris opus nobis erit concinnandum; cum jam Zonaras defectu auctorum ſe hanc hiſtoriam continuare non potuiſſe affirmet. Is autem Zonaras ſcripſit ante ſex ſecula.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De bello Macedonico & de bello Achaico.*

§. 1. ANno Urbis ſexcenteſimo quarto bellum cum Rege ſcenico geri cœpit. *Andriſcus* hic fuit *Adramyttenus* ultimæ ſortis homo, (*Lucianus adv. indoct. p. m.* 389. fullonis filium dicit) qui *Philippi* nomine ſumpto Perſei Regis filium ſe eſſe, & ex pellice natum mentiebatur, a traditumque educandum Cretenſi cuidam eſſe, ut in belli caſus, quod ille cum Romanis gereret, aliquod velut ſemen regiæ ſtir- *§. 1. Origo belli. A.U. 604.*



a Liv. epit 49.

ſtirpis exſtaret, *Adramytti* ſe educatum uſque ad duodecimum annum ætatis, patrem eum eſſe credentem, a quo educaretur, ignarum generis fuiſſe ſui. Affecto deinde eo, quum prope ultimum finem vitæ eſſet, detectam tandem originem ſuam ſalſæ matri, & libellum datum ſigno Perſei Regis ſignatum, quem ſibi traderet, quum ad puberem ætatem veniſſet: obteſtationeſque ultimas adjectas, ut res in occulto ad id tempus ſervaretur: pubeſcenti libellum traditum; in quo relicti ſibi duo theſauri a patre dicerentur: tum ſcientem mulierem, ſe ſubditum eſſe, veram ſtirpem ignoranti ediſiſſe genus: atque obteſtatam, ut, priuſquam manaret ad Eumenem res, Perſeo inimicum, excederet iis locis ne interficeretur. Ergo Macedoniam turbare conatus, cum a nemine
A. U. 601. reciperetur [a], in Syriam ad Demetrium Regem confugit; (qui Seleuci filius, Antiochi a Scipione victi nepos; & Romæ diu obſes fuerat) a quo Romam in vinculis miſſus eſt [b]. Sed per contemptum iis liberatus magnam hominum factioſo-
A. U. 602. rum vim contraxit: multas urbes ſibi conciliavit, & regium habitum ſumpſit. Imo non tantum regium nomen, & regiam formam: ſed etiam animum regium expleſſe dicitur [c]; & vulgo *Philippus* ob ſimilitudinem formæ dictus fuit; & a fraude commiſſa ab Romanis *Pſeudophilippus* [d].

Talis

a *Zonar. Ann. T. II.* b *Liv. Epit.* 48. c *Flor. L. II. c.* 14. d *Cic. in Rull. Or. II. c.* 33. *Val. Max. L. VII. c. V. n.* 4. *Tac. Ann. XII.* 62.

Talis audaciæ multa paſſim exſtant exempla: ſimilibuſque impoſtoribus vulgo hæc nota, *Pſeudo*, præponitur: quales, ut tantum ex hiſtoria Romana loquamur, fuit paulo poſt in hac ipſa Macedonia [a] *Pſeudo Perſeus*, vel alter *Pſeudo Philippus*, qui anno Urbis 611. a *L. Tremellio* Quæſtore Prætoris *A. Licinii Nervæ* cum exercitu cæſus eſt, cum ultro jam caſtra Romana oppugnaret: nec diu, poſt hæc tempora *Pſeudo-Gracchus* [b]. Julio Cæſare interfecto *Amatius* quidam Marii ſepties Conſulis filium ſe mentiens ultionem Cæſaris, ut ejus propinquus ſibi poſtulavit [c]. Et inferiore etiam ævo inventus eſt, qui ſe *Agrippam Poſtumum* [d] Auguſti nepotem mentiretur: alius, qui *Druſum* [e] ſe; alius, qui *Neronem* [f]; alius denique, qui *Scribonianum Camerinum* [g] ſe eſſe diceret. Et Cicero *Cornutum* jocans *Pſeudo Catonem* dicit [h], quod ejus imitaretur auſteritatem: atque alibi [i] ſe *Pſeudo Damaſippum* aliquem inventurum dicit, qui, ut verus ille *Damaſippus*, veteres ſtatuas emendo inſaniret [k]. Sed hæc obiter: redeamus in Macedoniam.

§. II. Ibi Andriſcus multis ad falſam *ß. 2. ipſum bellum A.U. 604.*



a *Eutrop. L. II. c. 15.* b *Val. Max. L. IX. c. 15. Sex. Aur. Victor. in Metello Numid.* c *Val. Max. d. l. n. 2. Liv. Ep. 116. App. Al. Civ. L. III. n. 527. 529. 549.* d *Tac. Ann. L. II. c. 39. Dio L. 57.* e *Tac. Ann. L. V. c. 10.* f *Id. Hiſt. L. I. c. 2. L. II. c. 8.* g *Ibid. L. II. c. 72.* h *ad Att. L. I. ep. 4. 13.* i *ad Famil. L. VII. ep. 23.* k *Vid. Horat. Serm. L. II. Sat. IVI. v. 64.*

ejus fabulam, velut ad veram coeuntibus contracto exercitu totam Macedoniam, aut voluntate incolentium, aut armis occupavit: & *P. Juventium* Prætorem [a] contemptim, ut videtur, cum tali hoſte agentem cum ipſo exercitu cædit. Inde Thracibus in auxilium adſcitis in Theſſaliam tranſit: quæ tamen per legatos Romanos auxiliis Achæorum eſt defenſa. Anno ſequente *Q. Cæcilio Metello* Prætori Macedonia provincia obtigit: qui cum magnis copiis eam ingreſſus eſt, dum etiam Attalus Rex cum claſſe auxilio veniret. Tum brevi temporis ſpatio bis victus Andriſcus in Thraciam profugit: ſed a *Byzo* Thraciæ regulo proditus in poteſtate Romanorum venit [b]; & poſt biennium a Metello in triumphum ductus eſt [c]: & Macedonia tum primum in provinciæ formam eſt redacta. Metello a victoria *Macedonici* cognomen adhæſit. Verum, ut jam §. præcedente diximus, paulo poſt, anno ſcilicet 611. alter etiam terræ filius, qui ſe Perſei filium eſſe ferebat, a L. Tremellio *Flacco* Quæſtore Prætoris Licinii Nervæ eſt profligatus: cui Tremellio ab hac victoria *Scrofæ* cognomen eſt additum: juxta Varronem [d] quidem, quod, cum cohortaretur milites, ut caperent arma, atque exirent, contra, dixit, celeriter ſe illos, *ut ſcrofa porcos*, disjecturum: nam Macro-

a *Liv. epit.* 50. *Flor. L. II. c.* 14. b *Eutr. L. IV. c.* 13. c *Flor. d. l.* d *de R. R. L. II. c.* 4.

Macrobius [a] ex faceto quodam eventu hoc nomen ei datum eſſe ſcribit. Nempe Tremellium, dicit, cum familia atque liberis fuiſſe in villa: ſervos ejus, cum de vicino *ſcrofa* erraret, ſurreptam confeciſſe: vicinum advocatis cuſtodibus omnia circumveniſſe, ne qua efferri poſſet: eumque ad dominum appellaſſe, *reſtitui ſibi pecudem*. Tremellium, qui ex villico rem comperiſſet, ſcrofæ cadaver ſub centonibus collocaſſe, ſuper quos uxor cubabat: quæſtionem vicino permiſiſſe: cum ventum eſſet ad cubiculum, verba jurationis concepiſſe, nullam eſſe in villa ſua ſcrofam, *niſi iſtam*, inquit, *quæ in centonibus jacet*; monſtraſſeque lectulum.

§. III. Victo Andriſco Metellus Bœotos, qui auxilia hoſti miſerant, magna pecunia mulctavit; quam nempe Phocenſibus penderent, quod fines eorum armati incurriſſent; alteram etiam & tertiam Eubœenſibus, Amphiſſenſibusque; quorum etiam agros vaſtaſſe Bœoti dicebantur. Inde Populi juſſu Achæos bello perſequi aggreditur: cujus belli, ſive prætextus, ſive occaſio altius eſt repetenda: plures enim fomites, & a longo jam tempore hoc bellum nutriverant. Nam, quo tempore primum Græcia exactus erat Antiochus [b], T. Quinctius Zacynthum, nobilem inſulam, quam a Philippo interceperant Achæi, Romanis reſtitui fecerat: & ex agro Meſſeniorum, quos invaſerat Achæorum Præ- *§. 3. Origo belli Achaici.*

a *Saturn. L. I. c.* 6. b *Vid. S. L. V. c.* 1. §. 6.

Prætor, exercitum deducere coegerat [a]; Meſſeniis tamen Achæorum concilio reſtitutis. Præterea Lacedæmonii, licet a Philopœmene Achæorum fœderi fuiſſent juncti [b], exſules ſuos, qui faventibus Achæis oram Laconiæ maritimam habitabant, inde expellere conati ſunt [c]. Achæi vero eorum conatuum auctores ſibi dedi poſtularunt: ſed tantum abfuit, ut obtemperarint Lacedæmonii, ut, interfectis Philopœmenis amicis, Romanum Conſulem M. Fulvium rogarint, ut ſe in fidem ditionemque Populi Romani recipere vellet. Achæi vero bellum iis indixerunt. Cui finem impoſuit Fulvius jubens, ut utraque pars Romam legatos mitteret: quibus reſponſum quidem perplexum eſt datum: at quo ad poteſtatem ſuam immodice augendam uſi ſunt Achæi [d]. Philopœmen enim coegit Lacedæmonios, ut dictos modo defectionis auctores dederent; qui indicta fere cauſſa contra datam fidem ad ſupplicium ſunt traditi [e]. Mox Lycurgi legibus moribuſque abrogatis Achæorum inſtitutis aſſueſcere juſſi ſunt: &, cum anno quin-
A.U. 569. gentefimo ſexageſimo nono *Q. Cæcilius* pater, puto, Metelli, de quo initio hujus paragr. dictum eſt, apud principes Achæorum queſtus fuiſſet, durius quam oportuerat tractatos Lacedæmonios [f], reſpon-

a *Liv. L. XXXVI. c.* 31. b *Vid. S. L. c.* 1. §. 2. d *Liv. L. XXXVIII. c.* 30. e *Vid. S. L. V. c.* 2. §. 4. f *Liv. L. XXXVIII. c.* 33. g *Polyb. exc. legat. n.* 41.

reſponſum eſt ex ſententia Philopœmenis & *Lycortæ*, ( pater hic fuit Polybii Hiſtorici ) „ nihil moveri poſſe in iis, quæ „ ad Lacedæmonios pertinebant; cum „ omnia recte atque ordine adminiſtrata „ eſſent. " Cumque concilium gentis poſceret Cæcilius, [a], reſponſum eſt, „ per „ leges id non prius licere, quam ſcri„ pto edidiſſet, ob quas cauſſas conci„ lium poſceretur. " Ita ut reſponſum accipere præ ira recuſans Cæcilius diſceſſerit: & de ea injuria, ut interpretabatur, Romæ in Senatu graviter fuerit queſtus [b]. Eodem anno etiam alia legatio in Græciam miſſa eſt, cujus princeps fuit Ap. Claudius; qui gravi oratione ita Achæos perculit, ut imperata facturos ſe eſſe reciperent, petentes ſolum, ut de Lacedæmoniis aliquid mutaretur, ne Achæos religione obſtringerent irrita ea, quæ jurejurando ſanxiſſent, faciendi [c]. Atque inde Romæ decretum eſt, „ ut Lacedæ„ mon in Achaico concilio maneret. " Achæi etiam, ut Romanis gratiam referrent, poſt aliquod tempus a Perſeo ſollicitati per literas legatos ejus non admittendos eſſe decreverunt: quod tamen ſerius aliquanto factum eſt. Sed, licet Achæi, ſe dicto obedientes fore dixiſſent, tamen non diu poſt, cum Marcius legatus, Achæos ſpiritus elatos gerere retuliſſet, reſponſum eſt legatis Achæo„ rum, etiamſi Lacedæmonii, aut Corin„ thii,

a *Ibid. n.* 42. b *Liv. L. XXXIX. c.* 33.
c *Ibid. c.* 37.

„ thii, aut Argivi ab iis ſe abjungerent, „ mirari Achæos non debere, ſi nihil ad „ ſe eam rem pertinere Patres cenſerent:“ qua re ſatis innuebant impune illos omnes Achaicum fœdus relinquere poſſe [a]. Cumque Achæi paulo poſt, *Spartam iterum in concilium ſuum receptam* Romæ renunciaſſent, legatio eorum benigne accepta eſt: [b] & a *Callicrate* Achæorum Prætore, qui legatus ad Romanos miſſus plane aliter, ac ipſi mandatum fuerat [c], in Senatu diſſeruerat, Lacedæmoniorum & Meſſeniorum exſules reſtituti ſunt. Nam dixerat Romæ in Senatu Callicrates, „ culpam penes „ Romanos eſſe, ſi minus morigeros ſe il- „ lis Græci præberent: quod non ſatis ſe- „ rio curarent Romani, ut ſibi obtempe- „ raretur.“ Auſcultaverunt avide his monitis patriæ ſuæ proditoris Romani: atque inde Achæorum res in deterius mutari inceperunt [d]. Et indignabantur quoque Achæi, quod, cum a principiis Macedonici cum Philippo belli omnia præſtitiſſent Romanis, jam non alio loco eſſent, quam quo Meſſenii, atque Elei, qui pro Antiocho hoſte arma adverſus Populum Romanum tuliſſent [e]. Et tamen Perſico adhuc bello legati Romanorum in Achæorum concilio benigne locuti auditique ſunt [f]: & auxilia ab Achæis ad Marcium Conſulem ſunt miſſa: quibus tamen

a *Vid. & Paus. Achaic. c.* 11. b *Polyb. exc. leg. n.* 53. c *Ibid. n.* 58. d *Pauſan. Achaic. c.* 9. *& omn. ſq.* e *Liv. L. XLII. cap.* 37. f *Id. L. XLIII. c.* 17.

men laboris & impendii gratiam Conſul fecit, quod nihil opus jam ſibi eſſe ad hoc bellum ſociorum auxiliis profiteretur. Imo prohibuit Marcius, ne Appio id petenti auxilia ab Achæis in Epirum mitterentur, *nihil ipſi auxiliis opus eſſe*, dicens. Confecto tamen bello Macedonico Paullus Æmilius legatos ad Achæos miſit [a], qui edicto evocarent, quos Romam ad dicendam cauſſam ſequi vellent. Et ex aliis gentibus literis, quos voluit, evocaverat: ad Achæos legatos potius mittere voluit, tum, quod fiduciæ plus animorumque eſſe Achæis ad non parendum crederet: & forſitan etiam in periculo fore Callicratem, & ceteros criminum auctores delatoreſque; tum, quod aliarum quidem gentium literas ad Perſeum datas reperiſſet; in Achæis cœcum crimen eſſet, nullis eorum literis inventis. Quin legatis Romam miſſis poſtularunt Achæi, ut Senatus ipſe, quinam ex iis, qui accuſabantur, ſontes eſſent, quinam inſontes ſua ſententia declararent: ſin per occupationes hoc facere non poſſet, negocium Achæis permitteret odium ſuum in ſceleris auctores oſtenſuris. Senatus rei difficultate premebatur: neque enim decorum videbatur, ut ipſi de negocio judicarent: & rurſus, ſi injudicatos dimiſiſſent, maximum periculum creabatur illis, qui Romanorum rebus apud Achæos favebant. Ergo nihil aliud

a *Ibid. L. XLV. c.* 31. *Polyb. exc. leg. num.* 94.
c *ibid. n.* 105.

aliud reſponſum eſt, quam, „ neque ex „ populorum Achaiæ, neque ex eorum, „ qui evocati erant, (in quibus erat ipſe „ Polybius [a]) re videri, ut hi in patriam „ reverterentur [b]: " & plurimi ſane ac præcipui, nam ultra mille fuerant [c], in captivitate abſumpti ſunt [d]. Duriſſimo hoc reſponſo accepto deſperatio quædam Achæos invaſit, qui quidem patriæ amantes erant: Callicrati vero ſimilibuſque nova ſpe aucti ſunt animi: qui tamen paulo poſt, cum iterum legatus Romam deſtinatus eſſet Rhodum divertens ibi morbo periit [e]. Sed *Diæus*, qui ipſi collega datus fuerat, multa in Senatu contra Spartanos exſules dixit: & cum *Menalcida* quodam Spartano quidem, ſed qui ſe ad Achæos olim contulerat eorumque copiis imperaverat [f], acriter, verum ſimulate contendit. Senatus iterum reſpondit, „ legatos in Græciam eſſe venturos, qui judicarent ea, de quibus „ Achæi & Lacedæmonii diſceptabant. " Verum legati illi data opera otioſe adeo iter fecerunt, ut, interea Diæus Achæis perſuadere poſſet, „ decreviſſe Senatum, „ ut Spartani ipſis obtemperarent; " Menalcidas vero Spartanos falleret dicendo, „ fore, ut omnino a concilio Achæorum ſejungerentur. " Per has contentiones effectum eſt, ut Achæi, nequicquam dehortante Metello, Prætore

tore

a *Polyb. exc. leg. n.* 122. b *Vid. adhuc Ibid. n.* 127.
c *Pauſan. Ach. c.* 10. d *Polyb. Ibid. & n.* 129.
e *Pauſ. Ach. c.* 12. f *Ibid. c.* 21.

tore jam *Damocrito* rurſus arma contra Lacedæmonios caperent [a]: qui prælio ſuperati in urbem ſe receperunt. Damocritus, cum urbem capere potuiſſet, exercitum reduxit: &, cum mulctam quinquaginta talentorum, quæ ipſi propterea irrogabatur ſolvere non poſſet, in exſilium abiit. In ejus locum factus eſt Diæus ille, qui cum Metello pactus eſt, ut induciæ inter Achæos & Spartanos eſſent; donec adeſſent, qui Roma rem judicandi cauſſa adventabant. Sed interea Diæus oppida circa Spartam ad amicitiam ſuam pellicit; & præſidiis firmat, ut inde in Spartanos erumpere poſſet. Menalcidas, cui Spartani imperium dederant, omnibus ſe exoſum videns venenum bibit. Tandem in Græciam venere legati, quorum princeps erat *L. Aurelius Oreſtes*, qui A. U. 596. Conſul fuerat [b]. Hic in concilio Achæorum Senatus ſententiam declaravit, Scilicet, „ æquum cenſere „ Senatum, Lacedæmonios, Corinthios, „ Argivos, Heracleotas ad Oetam, Or- „ chomenios a concilio Achaico ſejungi." Vix hæc audire ſuſtinuerunt Achæorum magiſtratus: & multitudini ad concionem vocatæ expoſuerunt: quæ ita irritata in Spartanos, qui Corinthi erant, irruit, & multos in carcerem conjecit, fruſtra legatis Romanorum multitudinem compeſcere conantibus.

§. IV. Sed jam apud Achæos Diæo in impe- §. 4. *Ulte-*

a *Ib. c.* 13. b *Ib. c.* 14. *Polyb. exc. leg. a.* 144.

*rior Achaici belli narratio.*

imperio ſucceſſerat *Critolaus*; qui ſumma bellandi cum Romanis cupiditate flagrabat: & ſimul eo tempore ad concilium Achæorum miſſos fuiſſe dicit Polybius [a] homines perditiſſimos, Diiſque inviſos. Itaque legatis quidem Romanorum audientibus concilium Achæorum indici jubet; clam vero per epiſtolas civitatum Senatores monuit, ne adeſſent. Ita ergo ſe per abſentiam aliorum nihil ſtatuere poſſe cauſſatus, legatos aliud concilium Achæorum poſt ſextum menſem exſpectare jubet. Tum vero rati, palam ſe ludibrio haberi, legati domum redierunt: & Critolaus omnia ad bellum parat, egregiam occaſionem putans, quod Romani & Punico & Hiſpanico bello diſtinerentur. Metellus tamen, cum audiviſſet, pravis adeo conſiliis res apud Achæos adminiſtrari, adhuc legatos ad eos miſit: ſed hi ludibrio habiti & cum clamore ac tumultu ejecti ſunt [b], Critolao ſuperbe & atrociter cuncta gerente: qui mox etiam Heracleam Achæis parere recuſantem circumſedit. Vereor tamen, ne hæc in majus a Romanis aucta fuerint, ut cauſſa belli appareret ſpecioſior, quam ſine eo vix juſtam futuram fuiſſe ex tota rerum ſerie patet [c]. Metellus porro, qui jam bellum Romæ contra Achæos decretum eſſe, & Mummium ſibi ſucceſſorem adventare intellexiſſet,

a *loco modo cit.* b *Polyb. Ibid. Flor. L. II. cap.* 16. *Vid. Cic. pro L. Max. c.* 5. c *Vid. Jac. Gothofredi orat. polit. III. quæ Achaica, ſeu de cauſſis interitus reip. Ach. inſcribitur.*

xiſſet [a], adverſus Critolaum ducit. Nec hic, licet loco illo difficillimo apud Thermopylas conſiſteret, Metellum exſpectare fuit auſus: & Metellus fugientes hoſtes aſſecutus multos eorum interfecit, multos vivos cepit. Critolaus ipſe poſt pugnam nuſquam apparuit. Achæorum imperium ad Diæum rediit: iſque exercitum, nec magnum, nec bonum ſubito contrahit. Et pudenda etiam imprudentia ex parvis adeo copiis quatuor millia hominum Megaram in præſidium mittit. Metellus vero jam Thebas, quæ ſe Achæis junxerant, infeſto agmine contendebat: caſque incolis vacuas ingreſſus ſervari juſſit. *Megarenſes* etiam in deditionem recepit, cum Achæorum præſidium jam inde aufugiſſet. Hinc omnimodo finem bello imponere ſtudens conditiones ultro Achæis tulit: quæ ſtolide a Diæo repudiatæ ſunt. *A. U. 607.*

§. V. Sed jam venerat in Græciam Mummius Conſul cum Metelli de Achæis victoriam accepiſſet, veritus, ne omnis belli confecti gloria penes Metellum eſſet. Itaque quamprimum ad exercitum advenit eum in Macedoniam cum copiis ſuis amandavit [b]. Achæi primum auxilia quædam Italica, quæ duodecim circiter ſtadiis ( horæ dimidiatæ hoc fere eſt iter ) a caſtris excubabant, in caſtra refugere compellunt, quibuſdam etiam cæſis, captiſque ſcutis quingentis. Quo ſucceſ- *§. 5. Mummius bello finem imponit.*



a *Pauſ. d. l. c.* 15. b *Pauſ. Ach. c.* 16.

ſu elati quidem ſunt Achæorum animi: ſed cum acie inſtructa eos aggreſſus eſſet Mummius, poſtquam aliquamdiu repugnaſſent, in fugam ſeſe dederunt. Et ipſe Diæus Megalopolitanis nuncium acceptæ cladis & imminentis calamitatis attulit. Ipſe, uxore, ne ad triumphi dedecus ſuperviveret, manu ſua interfecta veneno hauſto occubuit, cum, ſi Corinthum ſe recepiſſet, fortaſſe a Mummio obſidionis tædium non ferente æquiores paullo conditiones ſibi & ſuis obtinere potuiſſet. Illi vero Achæi, qui poſt pugnam Corinthum confugerant, favore noctis cum multis etiam Corinthiis civibus clam abierunt. Mummius inſidias veritus urbem, apertam licet, ingredi auſus non eſt. Tertio demum die eam cepit; & direptam tuba præcinente [a] delevit. Ornamenta, aurum, argentum, veſtes pretioſæ, ſigna præterea, tabulæque exquiſitiſſimæ artis Romam avecta (quibus non tantum urbs, ſed tota Italia eſt exornata [b]) curam poſſidendarum earum rerum, quæ vixdum Romanis notæ erant, intulerunt. Plurimas tamen res maximi pretii, ut in urbe totius Græciæ opulentiſſima, (quippe quæ opportuniſſimo omnino ad mercaturam exercendam loco ſita eſt, duobuſque portubus ad duo maria, quæ Iſthmum Peloponneſi faciunt, inſtructa; unde *bimaris* Horatio [c] dicitur)

a *Flor. L. II. c.* 16. b *Cic. in Verr. L. I. c.* 21. *Plin. XXXIV. c.* 7. c *Od. I.* 7.

citur ) & luxui ita dedita [a] , ut res in proverbium abierit, ignis abſumpſit. Quin ferunt incendio permiſtis plurimis ſtatuis, atque ſimulacris æris , auri atque argenti venas in commune fluxiſſe; unde pretioſiſſimum illud *æs Corinthium* confluxerit [b] : in quo luxus Romanorum immenſum deinde inſanivit [c]. Sed putidiſſima hæc eſt fabula; & plane indigna, quæ arguatur ; cum jam ſeculo ante deletam Corinthum artifices illi nobiles, quorum ſigna & vaſa *Corinthia* dicta ſunt, ( quod nempe in urbe luxurioſa maxima artificum talium eſſet copia ) eſſe deſierint , ut ipſe Plinius docet [d] , qui paulo ante vulgarem opinionem tradiderat. Et Plutarchus alias origines ejus æris refert [e], quas itidem fabuloſas eſſe dicit . Notanda hic eſt Mummii ( qui ab hac victoria *Achaici* cognomen habuit ) ἀπειροκαλία , quam *ruditatem* dicere poſſis : qui cum maximorum artificum perfectas manibus ſtatuas ac tabulas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, *ſi eas perdidiſſent, novas eas reddituros* [f]. Ita



a *Unde* uncta Corinthus *eſt Juven. S. VIII. v.* 113. ἀφνειός Κόρινθος. *Hom. Il. B. v.* 570. Κορινθιάζειν *ſcortationibus indulgere. Steph. de Urb. & ex eo Eraſm. Ad. Ch. IV. C. III. n.* 68. *Euſt. ad d. Hom. l. p.* 219. *ed. Baſil.* b *Flor. d. l.* c *Vid. Cic. pro Sex. Roſc. Am. cap.* 46. *In Verr. L. II. cap* 19. 34. 72. *L. IV. c.* 1. 23. 44. 59. *Tuſc. Quaſt. L. II. c.* 14. *&c.* d *H. N. L. XXXIV. c.* 2. e *lib. cur nunc non reddat Pythia or. carm. Vid. & Bochart. Hierozoic. L. VI. c.* 16. f *Vell. Paterc. L. I. c.* 13.

ut nihil mirum ſit, nec magnam ea re laudem meruerit Mummius, ſi res, quarum pretium non noverat, non deſiderans iis in privatum ſuum uſum convertendis abſtinuerit [a]. Ita Corinthus, *totius Græciæ lumen*, ut eam appellat Cicero [b]; & *alter cum Carthagine oculus rei maritimæ*, ut idem loquitur [c], deleta eſt. Fuitque hic finis urbis ſimul famoſiſſimæ, & celeberrimæ quoque Achæorum Reipublicæ. Cœperat ea circa annum Urbis 472. annis fere trecentis ante Chriſtum natum, Olympiade CXXIV. Initium ejus fuit a Dymæis tantum & Patrenſibus; quibus variis poſtea temporibus aliæ acceſſere, quæ arctiſſima ſocietate inita unum fœdus, unam Rempublicam conſtituerunt: cujus juſtitia & æquitas adeo celebrata fuit, ut aliæ ſæpe civitates ad earum arbitrium iverint: & multi ſæpe Reges, ipſique Romani amicitiam eorum expetiverint. Præerat fœderi unus, qui Romanis *Prætor*, Achæis *Strategus* dicebatur, modo ex hac, modo ex illa civitate virtutis cauſſa ſumptus: iſque annuo fere, quandoque longiore ſpatio ſummæ rerum præfectus erat. Creabatur comitiis gentis, quæ bis quotannis, niſi extraordinarium quid eveniſſet, habebantur: & adjunctos ſibi ad ſummam Rempublicam curandam habebat *Demiur-*

a *Vid. Cic. in Verr. L. I. c. 21. & Parad. V. c. 2. & Off. II. c. 22.* b *pro L. Manil. c. 5.* c *de Nat. Deor. L. III. c. 38.*

*miurgos* decem. Poſt annos tamen duos ſupra centum Corinthus reſtituta eſt a Cæſare Dictatore [a] ultimo ejus vitæ anno [b] ſimul cum Carthagine, quæ etiam hoc eodem anno deleta fuerat. Et brevi urbs adeo refloruit, ut inter celebriores rurſus Romani Imperii cenſeri potuerit: quod vel ex *Actis Apoſtolicis* [c], & *Epiſtolis D. Pauli* liquet [d].

§. VI. Capta Corintho Mummius aliarum etiam urbium, quæ contra Romanos bellum geſſerant, muros dejecit, armis quoque ademptis: idque ante quam legati a Senatu Romano ad provinciam ordinandam miſſi adveniſſent. Poſtquam veniſſent populare regimen ubique abolevit, magiſtratibus ex cenſu inſtitutis. Concilia ſingularum Græciæ nationum ſuſtulit. Ne locupletes extra fines quiſque regionis ſuæ agros poſſiderent, vetuit. Sed poſt breve tempus a Senatu hæc remiſſa ſunt: ut etiam maxima pars tributorum quæ inſtituerat Mummius. Proconſul autem, qui in has regiones mittebatur, non *Græciæ*, ſed *Achajæ Proconſul* dictus eſt: quod Græciam Romani per Achæos, tunc Græciæ principes, ſubegerant [e]. Mummius in Urbem reverſus ſplendidum egit triumphum [f]; & licet maximas in ærarium divitias intuliſſet, nihilo *§. 6. Ordinatio provinciæ. Achaiæ & Maced.*

C 3 inde

a *Pauſan. Corinth. c.* 1, & 3. b *Id. Eliac. pr. c.* 1. *App. Al. Punic. ipſo f. Dio. L. XLIII. verſ. f.* c XVIII. 2. *ubi videmus, Procos. Achaiæ ibi egiſſe.* d *Vid.* II. *Cor. I*, 1. *IX.* 2. *XI.* 10. *ex quibus locis colligitur, eam caput Achaiæ fuiſſe.* e *Pauſan. Achaic. c*, 16. f *Virg. Æn. L. VI. v.* 836.

inde locupletior factus fuiſſe dicitur [a]; Macedoniam provinciam eodem anno ordinavit Metellus; cui, licet bis jam antea victa foret, ſuis tamen legibus vivere permiſſum fuerat [b]: eique etiam vicina quædam & nunc & ſequentibus temporibus fuerunt adjecta [c]. Videri porro merentur, quæ de ſumma hujus viri felicitate notat Vellejus Paterculus *L. I. c.* 11.

## CAPUT TERTIUM.

### *Bellum Viriathicum, & Numantinum.*

*§. I. Origo belli Viriathici.*

§. I. VIdimus Libri quinti capite ſeptimo §. 1. in f. ſcelera immania Galbæ Prætoris in adminiſtratione Hiſpaniæ provinciæ commiſſa: atque eam præcipuam cauſſam belli Viriathici fuiſſe diximus; cui tamen etiam Luculli injuriæ, de quibus eodem loco egimus, acceſſerunt. Qui enim ex horum ducum ſævitia reliqui erant ad decem millia congregati *Turdetaniam* incurrebant. Profectus

*A. U. 604.*

eſt adverſus eos *Prætor C. Vetilius*; eoſque in locum quendam difficillimum compulit [d]. Ibi, cum jam cum Romanis paciſcerentur, *Viriathus* (qui *ex venatore latro, ex latrone ſubito Dux atque Imperator* a Floro [e] factus dicitur; cum potius *præſtantiſſimus patriæ ſuæ adverſus ſceleſtiſſimorum præſidum injurias defenſor fuerit*) ſuos per-

a *Cic. de Off. L. II. c.* 22. b *Vid. Flor. L. II. c.* 14.
c *Vid. Sigon. de ant. jure prov. L. I. c.* 8.
d *App. Al. Hiſp. n.* 289. e *L. II. c.* 17. *Liv. Epit.* 52.

perfidiæ & crudelitatis Romanæ admonitos fortitudine ſua & prudentia conſervavit; earumque virtutum fama plurimum augmenti partibus ſuis attulit. Vetilium ergo primum magna cum clade in ſaltu quodam ſuperat; qui a milite, a quo captus erat, occiſus eſt, ut homo nullius pretii, quod ſenem eum & obeſitate corporis deformem videret. Sequente rurſus anno Viriathus ſucceſſorem Vetilii *C. Plautium Hypſæum* bis prælio fudit; qui ita a media jam æſtate hybernare coactus eſt, nuſquam prorepere auſus; ſed liberum populandi curſum Viriatho permitaens [a]. Hic ergo fortuna ſua uſus Anno Urbis ſexcenteſimo ſexto *Claudium Unimanum* [b], & anno ſequente *C. Nigidium* Prætores oppreſſit [c]. Ita ut tandem hoc bellum majus & conſulare imperium expoſcere videretur. Igitur anno ſexcenteſimo octavo miſſus eſt in Hiſpaniam Q. Fabius Maximus *Æmilianus* (Æmilii Paulli, qui Perſeum vicerat, filius; Scipionis, qui Carthaginem everterat, frater fuit) qui, cum continuis bellis urbana juventus eſſet exhauſta, exercitum tironum in Hiſpaniam duxit: & pugnam detrectans exercitiis continuis militem ſuum erudiit, & confirmavit: atque ita Viriathum, licet fortiter prælliantem, in fugam vertit, duabus etiam urbibus captis. A *Quinctio* anno ante adventum Fabii victum fuiſſe Viriathum, dicit Appianus: ſed videtur in

*A. U. 605.*

*A. U. 606.*



a *Appian.d.l.n.*291. b *Flor.d.l.* c *Sex.Aur.Victor.*

horum annorum hiſtoria auctor ille & mutilus & corruptus eſſe: & certe Fabium Maximum Æmilianum Conſulem anni ſexcenteſimi octavi confundit cum fratre adoptivo *Q. Fabio Maximo Serviliano* Conſule anni ſexcenteſimi undecimi. Viriathus tamen ſtrenue bellum reparavit, populis etiam quibuſdam bellicoſiſſimis a ſocietate Romanorum abductis; interque eos Numantinis: cum quibus mox bellum, quod ſeparatim narrari meretur, geſtum fuit. Superior tamen adhuc fuit Fabius, Viriathum, qui Romanos agmine procedentes aggreſſus fuerat, repellendo: ſed dum fugientes inſequitur Romanus, Viriathus confuſione eorum animadverſa idonea eos ſtrage afficit: ita ut Romani non niſi noctis ſupervenientis beneficio ſervarentur. Eoſdem tamen, nec noctu, nec interdiu laceſſere Viriathus ceſſavit: verum tandem inopia commeatuum in Luſitaniam recedere

*A. U. 611.* coactus eſt. Fabius Servilianus cum abeuntem Viriathum aſſequi non potuiſſet, oppida plura diripuit; quibuſdam veniam dedit. Ex decem millibus captivorum, quos habebat, quingentos ſecuri percuſſit: reliquos in ſervitutem vendidit. Additur etiam horrenda Servilii ſeveritas, qui transfugis captis manus [a], vel dexteras ſaltem (ita Frontinus *Stratag. L. IV. c. I. ex.* 43.) præcidit. Æmilianus vero, dum hoſtem perſequens urbem quandam ejus obſidet, nocturna eruptione inde deturbatur non tan-

a *Val. Max. L. II. c. 7. ex.* 11. *App. Al. n.* 293.

tantum, verum in loca etiam iniqua, unde evadere non erat, compellitur. Ibi prudenter & generoſe fortuna uſus Viriathus, & gratiam præterea magnam a Romanis iniri poſſe ratus, fœdus cum Fabio pepigit, quo *amicus Romanorum* dicebatur; ſociiſque ejus agri, quos poſſidebant, permittebantur: eamque pacem Populus R. ratam habuit, ſi Appiano fides ſit.

§. II. Verum anno ſtatim ſequente *Q. Servilius Cæpio* Fabii frater & ſucceſſor a Senatu impetravit, primo, ut clam quidem, pro lubitu tamen, Viriatho incommodare poſſet: & mox, ut aperte bellum inferre liceret. Viriathus autem paucitate ſuorum coactus prudenter adeo receſſit, ut non ſentirent Romani, quo ſe proripuiſſet [a]. Hinc porro tres, quos ex amicis fidiſſimos putabat, ad Cæpionem de pace acturos miſit. Eos Cæpio donis promiſſiſque corrupit, ut Viriathum interficerent. Atque ita fraude potius & ſcelere, quam virtute oppreſſus vir fortiſſimus periit [b]. Eutropius tamen Cæpionem ejus ſceleris ignarum facit: interfectoribus enim Viriathi præmium petentibus reſpondiſſe refert, *Nunquam Romanis placuiſſe, Imperatorem a ſuis militibus interfici. L. IV. c.* 6. Milites quidam Viriathi novum bi Imperatorem crearunt *Tantalum* nomine. Sed ille mox a Cæpione exerſitum tradere coactus fuit. Ipſi militibuſque, ne rapto vivere cogerentur,

*§. 2. Hujus belli finis*

*A. U. 613.*

*A. U. 614.*

a *Apian. n.* 296. b *Vell. Pat. L. II. c.* 1. *Liv. ep.* 54. *Val. Max. L. IX. c.* 6. *n.* 4. *Sex. Aur. Vict. Flor. L. II. c.* 17.

tur, agri ſatis magni donati ſunt. Is finis bello contumelioſo fuit; quod per viginti annos geſtum fuiſſe dicit Vellejus Paterculus: non ſatis recte, cum ita bellum Numantinum cum Viriathino confuderit, ut ex ſequentibus patebit. Alii aliter de hujus belli duratione loquuntur: ſed omnium optime Trogus Pompejus, qui temporibus iſtis proximus fuit. Ex eo Juſtinus dicit a, Viriathum annis decem Romanos varia victoria fatigaviſſe.

*§. 3. Bellum Bruti cum Callaicis.*

§. III. Sed ſupererat bellum ad exemplum & occaſione Viriathini in Luſitania exortum: nam multæ inde latronum manus provinciam Romanam incurriſſe dicebantur.[b] Itaque anno ſexcenteſimo decimo quinto *D. Junius Brutus* Conſul bellorum in ulteriore Hiſpania reliquias tollere juſſus eſt: atque is, cum aſſequi hoſtes non poſſet, obvia quæque diripuit. Inde trajecto *Durio* fluvio, obſidibuſque a dediticiis acceptis, pervenit ad fluvium, quem *Limiam*, vel *Limæam* Geographi dixerunt: hodieque is *Lima* dicitur, prope cujus oſtium eſt urbs *Viana*. Is fluvius etiam *oblivionis* Græcis τῆς λήθης dicebatur: male enim apud Appianum[c] ὁ Λήθης vocatur, quemadmodum etiam apud Livium[d] *Oblivio*; ) quod aliquando Hiſpanorum exercitus cum transgreſſus ob exortam ſeditionem ibi fuerit diſperſus, *reditus* ita *obliviſcens*[e]. Brutus etiam ultra hunc fluvium aliquot oppida ſubegit egregia ubique clemen-

*A. U. 615.*

a *L. XLIV. c. 2.* b *App. d. l. n. 294.* c *n. 294.* d *epit. n. 55.* e *Strabo L. III. n. 154.*

mentia uſus a : licet ſatis fortiter repugnaſſent Hiſpani , ita ut etiam mulieres mori, quam capi ſe malle oſtenderent. Iis etiam, qui ſub Viriatho militaverant, agros oppidumque dedit , quod *Valentia* vocatum eſt : hodieque eo nomine appellatum inter præcipuas Hiſpaniæ urbes ſuo merito cenſetur. Ex his victoriis in *Callæcorum* vel, *Callaicorum* regione, quæ hodie Gallæcia ) obtentis *Callaici* cognomen Bruto honoris ergo datum eſt. Et per aliquot adhuc annos ulteriorem Hiſpaniam obtinuit; cum anno demum ſexcenteſimo vigeſimo primo Romam ad triumphum deceſſerit . Et hæc in ulteriore Hiſpania geſta fuerunt.

§. IV. In citeriore vero per eoſdem annos bellum tum cum aliis, tum præcipue cum Numantinis geſtum fuit. Fuit Numantia urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis, & in ea quidem regione circiter , quæ hodie *Caſtilia Vetus* dicitur ; cujus rudera ad *Pontem Garrai* non longe ab exortu Durii fluminis ſupereſſe volunt b . Hos cum ad bellum concitaſſet Viriathus , Q. Cæcilius Metellus Macedonicus Conſul anni ſexcenteſimi decimi adverſus eos miſſus fuit c . Alii initium belli a Romanis ortum fuiſſe tradunt : nec ullius propemodum belli cauſsam injuſtiorem fuiſſe d . Sed vidimus *libro præc. cap.* 7. §. 1. Celtiberis bellum fuiſſe illatum, tum ob alias cauſſas, tum quod

*§. 4. Bellum Numantinū.*

a *Appian. d. l. n.* 296. b *P. Merula Coſm. P.II. L. II. c.* 19. c *App. Alex. Hiſp. n.* 297. d *Flor. L. II. c.* 18.

quod urbem Segedam muniviſſent. Vidimus præterea Fulvium Nobiliorem Conſulem, dum fugientes Celtiberos perſequitur, etiam Numantiæ mœnibus exercitum admoviſſe: Numantinoſque facta eruptione (licet ignoraſſe videantur, an hoſtili adverſus eos animo adveniſſent Romani) multos Romanorum occidiſſe; ſed non ſine magno ſuo malo: ita ut non adeo injuſta hujus belli cauſſa videri poſſit, quam a Floro fuiſſe dicitur [a]. Recte etiam ex hac hiſtoria collegit Strabo [b], per viginti annos cum Numantinis bellum geſtum fuiſſe: quod tamen non ſemper iiſdem animis, aut viribus fuit adminiſtratum. Fuiſſe tamen etiam inter graviſſima bellum hoc ex Cicerone patet, qui dicit [c], bellum cum Celtiberis geſtum fuiſſe, *uter eſſet, non uter imperaret*. Geſtum fuit anno Urbis ſexcenteſimo primo a Conſule *Marcello*; iſque Numantinos in urbem compulit [d]: ſed, cum ſucceſſorem Lucullum adventare intelligeret, obſides, quos jam dederant Numantini, reddidit; ut bellum, priuſquam adveniſſet Lucullus, ſublatum foret [e]. Quam perfide porro Lucullus cum Populis Hiſpaniæ egerit, jam vidimus; ita ut nihil mirum fuerit, ſi Viriathus Numantinos alioſque a ſocietate Romanorum abducere potuerit [f]. Præclaras tamen res in Hiſpania geſſiſſe dicitur anno Urbis ſexcenteſimo & undecimo

a *Ibid.* b *L. III. n.* 162. c *Offic. L. I. c.* 12. d *App. Alex. nu.* 283. e *Vid. Supr. L. V. c.* 7. §. 1. f *Vid. App. Al. n.* 292. *Supr. g.* 1;

mo Metellus Macedonicus, ita ut etiam *Celtiberici* cognomen merito eum ferre potuiſſe dicat Florus [a]: qui & Contrebiam & *Nertobriges* memorabili cepiſſet exemplo, & majore gloria pepercisset. Ei in imperio ſucceſſit *Q. Pompejus*, (primus hic ex gente Pompeja ad tantos honores pervenit [b]) qui copias præclare exercitatas a Metello accepit [c]. Hic vero, cum quotidie copias ſuas Numantinorum velitationibus minui cerneret, *Termantiam* urbem aggreditur: ſed etiam inde repulſus *Maliam* oppidulum, quod Numantinorum præſidio tenebatur, civium dolo capit; & mox *Tanginum* latronum principem (Romanorum more loquor) vicit: apparuitque in captivis fortitudo, ſive potius rabies vix credenda: quippe quorum quidam ſeipſos, alii emptores ſuos interficerent. Hinc Numantiam reverſus fluvium quendam in planitiem derivare conatus eſt: ſed, & opus facientes & frumentantes Romanos magno damno hoſtes mulctant: ita ut Pompejus tot cladibus fatigatus magnam hyemis partem in caſtris ageret. Sed etiam inde, tum morbis, tum clade ſatis magna a Numantinis accepta coactus in oppida ſe recepit reliquum ibi hyemis transacturus [c]. Ne tamen nihil egiſſe videretur, præſertim cum vereretur, ne ob rem male geſtam dies ipſi diceretur, clam cum Numantinis de pace agere cœpit; nec A. U. 612.

a *Vell. Pat. L. II. c.* 21. b *Appian. l. prox. d.*
c *Appian. Ibid. n.* 299.

nec abnuerunt pacem Numantini plurimis, quæ fert bellum etiam proſpere geſtum, malis fracti. Itaque palam quidem (dignitatem ſcilicet Populi Romani ſervaturus) hortabatur, *ut ſe Romanis permitterent*: clam vero oſtendebat, quæ facturus eſſet. Atque ita ab iis obſides, captivos, transfugas, partem triginta, quæ pactus erat, talentorum † accepit: partemque exſpectabat, cum ſucceſſor ei venit, Conſul *M. Popillius*
*A. U. 614.* *Lænas*. Ibi Pompejus, qui ſciret, ſe ea, quæ cum Numantinis pepigiſſet, nec Populo, nec Senatui probaturum eſſe, quicquam tranſactum eſſe negavit: cum autem facile plurimorum teſtimoniis revinceretur, res ad Senatum rejecta eſt; cui bellum cum Numantinis geri placuit [a]. Atque idem Popillius anno Urbis ſexcenteſimo decimo quinto, dum Numantiam oppugnat, ſubita eruptione funditur fugaturque [b]. Itaque rurſus Conſul contra Numantinos miſſus eſt *C. Hoſtilius Manci-*
*A. U. 616.* *nus*; qui adverſis ominibus prodigiiſque multis nunciatis profectus dicitur [c]. Is ſæpius cum Numantinis congreſſus & ſemper victus, denique, cum, magna auxilia Numantinis adventare, falſo diceretur, in deſerta quondam Fulvii Nobilioris caſtra fugiendo contendit: qua fuga Numantiæ nunciata ſubito eum inſecuti ſunt Numantini: atque ibi a quatuor millibus hoſtium viginti mil-

† *Philipp.* 18000. a *Cic. Off. L. II. c.* 30. b *Liv. epit.* 55. *Frontin. Strat. L. III. c.* 17. *n.* 9. c *Jul. Obſeq. de prod. c.* 22. *Liv. d. l. Auctor. de vir. ill.*

millia Romanorum cæſa dicuntur. Cumque cum exercitus ſui reliquiis in locum iniquum, unde nullum patebat effugium, incluſus obſideretur, pacem flagitatum legatos ad hoſtes miſit [a]. Numantini, ſe ulli Romanorum præterquam *Ti. Graccho* (Quæſtor hic erat Mancini, Gracchi illius filius, qui quondam rebus egregie in Hiſpania geſtis pacem etiam cum Numantinis fecerat [b]) fidem habituros negaverunt. Et ita Gracchus quædam concedendo, quædam impetrando fœdus fecit: & viginti millia civium Romanorum ſervavit, præter calones & lixas. Caſtra Romana diripuerunt Numantini: cumque in iis etiam fuiſſent tabulæ, quibus rationes quæſturæ geſtæ continebantur, Gracchus eas recepturus Numantinorum rogatu urbem eorum ingreſſus eſt; & cibo cum illis capto tabulas recepit, ex reliqua præda nihil, præter tus ad publica ſacra, licet plurima offerrentur, accipiens. Offendit tamen hac pace plurimos, qui exemplo Conſulum, qui olim Caudinæ pacis auctores fuerant, eum Numantinis dedendum cenſebant [c]. Et ipſe quidem Mancinus rogationem, quam Tribuni de deditione ſua ex Senatusconſulto ferebant, ſuaſit [d]; & Populo jubente [e] hoſtibus eſt deditus a Conſule anni ſequentis *P. Furio Philo*. Sed cum ab iis minime reciperetur [f], & ſuis & hoſtibus miſerum ſpectaculum

a *Plut. Gracch. p. m.* 826. b *Vid. S. L. V. c.* 4. §. 9. c *Plut. Gracch. p.* 827. d *Liv. ep. it.* 56. e *Plut. d. l. Cic. Off. L. III. c.* 30. f *App. Al. Hiſp. n.* 302.

lum præbuit, ad noctem uſque vinctus & nudus ibi perſtare coactus. Hinc, cum Romam reverſus in Senatum venire non dubitaſſet, *P. Rutilius Rufus* Tribunus pl. eum de Senatu educi juſſit, quod eum civem eſſe negaret [a]. Lege tamen lata poſtea civitatem non tantum recuperavit; ſed Præturam quoque geſſiſſe dicitur [b]. Graccho vero Populus pepercit; quod ſumma apud eum gratia valeret: & ejus cauſſa etiam aliis, qui ei foederi faciendo adfuerant. Maximis vero in Urbe turbis hoc negotium occaſionem dedit: unde poſtea (aliis tamen cauſſis accedentibus) ditiones, bella civilia & denique interitus Reipublicæ eſt ortus.

*§. 5. Belli Numantini finis.* §. V. Verum hæc Mancini clades acrius Romanos ad bellum hoc perſequendum incendit. Ergo *M. Æmilium* Mancini in conſulatu collegam confeſtim ei ſuccedere Senatus juſſit. Hic, dum Romæ de pace diſceptatur, otii impatiens Vaccæis bellum intulit, Numantinos ab iis adjutos falſo criminatus. Palantiam quoque præcipuam eorum urbem nullius pacti violati ream oppugnat: vocato etiam in ſocietatem ſceleris D. Bruto, qui ulteriorem Hiſpaniam obtinebat. Nec profuit miſeris, quod legati Roma venientes Vaccæos bello petere vetabant, dicente Bruto & ſcribente ad Senatum, "Hiſpanicarum „ rerum ſtatum Romæ non ſatis eſſe co„ gnitum; Numantinos a Vaccæis omni „ ratione fuiſſe adjutos; periculum eſſe, „ ne,

a *Cic. de Orat. L. I. c. 40.* b *l. ult. ff. de legatis.* *Sex. Aur. Vict. de vir. ill. Vid. Cic. Topic. c. 8.*

„ ne, ſi, hoſtem ſe metuere, oſtendiſ-
„ ſent Romani, omnis Hiſpania rebella-
„ ret." At non felicius, quam æquius id bellum Romani geſſerunt, coacti tandem plurimis malis, & magna ſuorum clade Palantiæ obſidionem ſolvere a. Itaque merito imperium Æmilio abrogatum, & mulcta dicta fuit. Sed hac damnatione miſeræ provinciæ calamitates non tollebantur; nam anno Urbis ſexcenteſimo octavo decimo *Q. Calpurnius Piſo* Conſul in Numantinorum quidem fines non duxit exercitum, a fortitudine nempe eorum ſibi metuens: at *Palantinorum* fines ingreſſus, præda exigua inde abacta, quod ſupererat temporis imperii ſui in *Carpetania* hyemando conſumpſit. Ita jam Populum Romanum tædebat tum ducum, tum belli, quod opinione & longius & difficilius acciderat. Igitur P. Scipio, qui *Q. Fabii Maximi* fratris ſui filii quæſtoriis comitiis in campum deſcenderat, Conſul iterum creatur, ſolutus legibus, quæ vetabant, *ne quis bis Conſul fieret* a. (Lata ea lex fuerat A. U. 603. auctore Catone b: abrogata eſt rurſus A. 649. in favorem Marii.) Hic ſtatim in Hiſpaniam profectus omnia ignavia, factionibus, luxu corrupta reperit. Ergo ante omnia conſtituendæ diſciplinæ animum applicuit c; lixas, ſcorta, hariolos, ſacrificulos caſtris expulit; ſuperſtitionem etiam

*A.U.* 618.

*A.U.* 619.

*Tom. II.* D inter

a *App. Al. n.* 302. b *Cic. Lælio c.* 3. *Liv. epit.* 56. *Val. Max. L. VIII. c.* 15. *n.* 4. c *Vid. Feſt. V. Pavimenta.* d *App. Al. d. l. n.* 303.

inter cauſſas conſternationis militaris reputans. Quicquam præterea in caſtra, niſi quo plane carere non poſſent, invehi vetuit: cibis, *carne tantum aſſa elixave*, uti voluit, ut docet Frontinus *Stratag. L. IV. c.* 1. *ex.* 2. Lipſius quidem (*Milit. Rom. L. V. dial.* 16.) locum Frontini emendare ſe dicit, addens voculas *a ſe; quam* a ſe *aſſa elixave* &c. eaque emendatio olim placuerat [a]. Sed inſpecto diligentius Appiano [b] video, illum idem tradere. Ergo puto, voluiſſe Scipionem, ut abſtinerent cibis delicatioribus, & paratu difficilioribus; quales, exempli gratia, habebantur piſces, acipenſer [c], mulus [d], aut ſcarus [e], aut muræna [f] &c. tum tubera, boletus, &c. [g]. Scipio certe attentiſſime curavit, ut omnibus modis labori & obedientiæ miles aſſueſceret: nec antea caſtra urbi admovit, quam ſatis reſtauratam diſciplinam cerneret. Tum etiam in Vaccæis, unde commeatus accipiebant Numantini, omnia vaſtat: exercituque per varia loca circumducto in fines Numantinorum hybernatum rediit; & ibi *Jugurtham* Maſiniſſæ nepotem cum auxiliis ad ſe venientem excipit. Inde geminis caſtris proxime Numantiam poſitis, cum Numantini frequenter Romanos ad pugnam provoca-

a *Vid. noſtrum Comp. Ant. R. S. V. c.* 5. §. 20. *fin.* b *loco prox. cit.* c *Horat. Serm. II.* 11. 47. *Macr. Sat. L. III. c.* 16 d *Plin. L. III. c.* 17. *Juv. S. IV. v.* 15. *V. v.* 92. e *Macr. l. d. Gell. L. VII. c.* 16. f *Ibid. Hor. S. II. VIII. v.* 42. g *Juv. S. V. v.* 116. 147. *XIV.* 7. *Martial. L. III. n.* 60.

vocarent, ſprevit eos ac riſit, imprudentem ſe fore dicens, ſi cum deſperatione efferatis confligere, quam fame eos perdomare mallet. Atque in eum finem magnis operibus exſtructis arctiſſime eos incluſit. Evaſerant tamen, qui ſupplicum more proximas urbes circumirent, ut auxilium conſanguineis ſuis ferrent, orantes [a]: quod Romanorum metu negatum eſt; niſi quod *Lutiæ*, opulenti oppidi, juventus civitatem ſuam ad ſubſidia mittenda permoverit: Scipio ejus rei a proceribus urbis certior factus citiſſime eo advolat, utque ſibi traderentur juventutis principes jubet; quibus, numero quadringentis, manus amputat. Inde Numantiam verſus regreſſus, ubi jam humanam carnem cibi loco adhibere fames coegerat, urbem tandem in deditionem recipit, pauciſſimis civium ſuperantibus; cum non armis tantum & fame, ſed etiam voluntaria morte plurimi periiſſent. Capta eſt Numantia anno Urbis ſexcenteſimo vigeſimo: & ſub finem anni ſequentis Scipio ordinata provincia de Numantinis triumphavit. Auctores ſunt, qui etiam ab hac urbe victa *Numantini* cognomen habuiſſe Scipionem dicunt [b]: ſed verius videtur, illud non uſurpaſſe Scipionem, licet forte a Populo ipſi tributum fuerit; cum nuſquam in marmoribus ipſi id tributum legatur. *A. U. 620.*

D 2 CA-

a *App. Alex. Iber. n.* 308. b *Ovid. Faſt. L.* I. *v.* 596. *App. Al. d. l. n.* 311. *Sex. Aur. Vict.*

## CAPUT QUARTUM.

### *De bellis cum Liguribus, & Gallis.*

§. I. Vidimus *libri præcedentis cap. 7.* §. 2. victos quidem fuiſſe ab Opimio Conſule A. U. 599. Ligures: ſed ita, ut plene pacata provincia non fuerit: quod idem de Gallis Ligurum viciniſ intelligendum eſt: quemadmodum videmus, Julium Obſequentem *cap.* 16. dicere, in Gallia anno ſexcenteſimo primo proſpere pugnatum fuiſſe. Sed penuria auctorum hiſtoriæ hujus temporis pars magna in obſcuro latet: niſi, quod ex eodem Obſequente *cap.* 19. videmus, anno Urbis ſexcenteſimo decimo Salaſſos, gentem Alpinam, Romanis aliquam cladem intuliſſe: quam tamen ab Ap. Claudio Conſule fuiſſe reparatam quinque millibus hoſtium occiſis narrat Oroſius *L. V. c.* 4. eamque gentem tunc a Claudio domitam fuiſſe ſcripſit Livius; ut ex *epitome* ejus *quinquageſima tertia* intelligitur. Cumque ob cladem acceptam triumphus ipſi negaretur, infami ambitione & impudentia uſus privatis ſumptibus triumphavit [a]. Ergo manum ei injecit Tribunus plebis, ut curru eum detraheret: verum filia Appii *Claudia* Veſtalis (Suetonius [b] ſororem facit) dignitate ſacerdotii ſui Tribunum repulit [c]. Hinc per ali-

*A.U. 609.* (margin, beside "re, in Gallia anno ſexcenteſimo primo")

*A.U. 610.* (margin, beside "Urbis ſexcenteſimo decimo")

a *Oros. l. c.* b *Tiber. c.* 2. c *Val. Max. L. IV. c.* 4. *ex.* 6. *Cic. pro Cal. c.* 14. *Suet. Tib. c.* 2.

aliquot annos nihil in hiſtoriarum monumentis reperimus ; quod Gallos , aut Ligures ſpectat : donec anno Urbis ſexcenteſimo vigeſimo octavo cum Gallis Transalpinis etiam bellari cœptum eſt ; cum importuno Patribus Conſuli M. Fulvio Flacco bellum adverſus Gallos mandatum fuit : ut ſuo loco porro docebimus .

## CAPUT QUINTUM.

### *De bello Servili.*

§. I. DUm ita ab omni parte augetur Reſpublica , etiam augebantur res privatorum ; & , ut fieri ſolet cum divitiis luxus . Ejus rei hoc capite ſpecimen tantum dabimus , plura libro ſequenti dicturi . Ex continuis , quæ vidimus , bellis maximam vim ſervorum , ut facile intelligitur , habebant Romani ; cum , non interficere ; ſed ( id , quod humanitatis ſimul & utilitatis ratio ſuadebat) in uſum ſervare, aut vendere captivos ſolerent [a] . Igitur multitudinem ſervorum *exercitibus* comparat *Seneca* [b] : & *Athenæus L. VI. c.* 20. dicit *decies* , imo *vicies mille ſervos* quosdam habuiſſe . Et plura de ea re videri poſſunt apud Scriptores [c] in margine libri

*§. I. Origo belli Servilis.*



a *Horat. Epiſt. L. I. ep. XVI. v.* 69. §. 3. *Inſtit. de jure perſon.* b *de tranquill. an. c.* 8. c *Id. de clem. L. I. c.* 24. *Tac. Ann. XII.* 65. *XIV.* 44. *Alia exem. Vid. ap. Pignor. de ſervis præf. Reines. ad Petron. c.* 37. & *Gonſal. ad eund. c.* 119.

libri citatos. Ac licet iſtis locis fere agatur de temporibus recentioribus, tamen vel ex hoc ipſo ſervili bello certum eſt, jam tum ingentem plane ſervorum in Italia potiſſimum & Sicilia fuiſſe numerum. Cum enim in iſtis regionibus ingentia latifundia haberent Proceres illi & Divites Romanorum, ingenti quoque multitudine ſervorum, qui ea colerent, indiguiſſe patet [a]. Ergo Italia & Sicilia ſervis barbaris, per quos divites expulſis civibus agros ſuos colerent, implebatur: iique in ergaſtulis ſervabantur; atque inde producti opus faciebant compedibus fere vincti & omnibus modis duriſſime a dominis habiti [b]. Ex Sicilia itaque belli hujus origo fuit: ubi *Eunus* [c] quidam na-

A. U. 615. tione Syrus circa annum Urbis ſexcenteſimum decimum quintum ſimulato furore fanatico & inſtinctu *Syriæ Deæ*, (quæ eadem ac Mater Deorum, ſive Cybele fuiſſe *videtur* [d]: *videtur*, dico; non enim puto in his omnibus certi aliquid poſſe ſtatui; ſed potius diverſos plane Orientis & Græciæ Deos fuiſſe credo: licet ob levem ſimilitudinem paria ſæpe iis nomina, pares functiones fuerint adſcriptæ. Ἀλλὰ ταῦτα ὡς ἐν παρόδῳ) igitur illius Deæ, inſtinctu ad libertatem & arma ſervos, quaſi numinum imperio concitavit,

Utque

a *Plut. Gracch. p. m.* 827. *D.* b *Diod. Sic. exc. L XXXIV.* c *Id. Sylla. p. m.* 475. *Liv. epit.* 56. *Flor. L. III. c.* 19. d *Vid. Lucian. de Dea Syria. Apulej. L. VIII. Selden. de DIS Syris Synt. II. c.* 2. *p. m.* 165. *ſqq.*

Utque fidem fraudi faceret, in ore abdita nuce, quam ſulfure & igne ſtipaverat, leniter inſpirans flammam inter verba fundebat: atque ita primum viginti millia ex obviis collegit; mox refractis ergaſtulis ſexaginta amplius millium fecit exercitum [a]. Adverſus eum primum miſſus videtur Prætor *T. Didius*; colligitque Pighius ad annum ſexcenteſimum decimum quintum ex nummo Didii, eum ſervos rebelles non tam pilis vel gladiis inſtructo milite, quam ſcuticis & flagris ſervilibus profligaſſe: probatque fere idem Illuſtris Spanhemius *de Præſtantia & Uſu Numiſm. Diſſert. X. p.* 230. *edit. ult.* Et potuiſſent addere, feciſſe hoc Didium *Scytharum* exemplo, qui quondam adverſus ſervos ſuos rebelles, non tela, ſed virgas & flagella expedierunt [b]. Verum adeo non profligavit hac ratione bellum Didius, ut anno ſequente Eunus validior factus, & exercitu ex omnium gentium ſervis, ut credi par eſt [c], collecto regia etiam inſignia ſumpſerit: atque oppida plurima, vicoſque miſerabili direptione vaſtaverit. Et alter quoque ſervus *Cleo* ad ſeptuaginta millia ſervorum contraxit [d]: copiiſque cum Euno junctis adverſus Populum Romanum bellum geſſit, tanto quidem ſucceſſu, ut *P. Manilium*, & anno ſequente *P. Lentulum* Prætores caſtris exuerint. Eadem quoque anno Urbis *A. U.* 618.

D 4 ſex-

a *Florus d. l.* b *Herod. L. IV. c.* 3. *Juſtin. L. II. c.* 5. c *Vid. Plut. de Pythiæ or. p. m.* 339. d *exc. ex Diod. Sic. L. XXIV.*

A. U. 619. ſexcenteſimo octavo decimo ſors Piſonis fuit: & anno rurſus proximo *Plautii Hypſæi*; ita ut tandem ejuſdem anni Conſuli *C. Fulvio* id bellum mandaretur [a]. Verum quid in eo imperio egerit Fulvius præ librorum, qui ad nos pervenerunt, penuria ſcire non poſſumus.

§. 2. *Exitus belli.* A. U. 620. §. II. Scimus tamen, verum ex ſolo Oroſio [b], ſucceſſiſſe Fulvio in adminiſtratione hujus belli in Sicilia *L. Calpurnium Piſonem Frugi*: iſque *Mamertio* expugnato octo fugitivorum millia occidit: crucibus alios, quos paſſim capere potuit, affixit. In exercitu etiam Romano diſciplinam militarem collapſam ſeveritate reſtituit: &, ut exemplum ſtatueret, Præfectum cohortis, ut Frontinus [c]; vel, juxta Valerium Maximum [d], Præfectum Equitum *C. Titium*, quod circumventus fugitivorum multitudine arma cum ſuis tradidiſſet, variis ignominiæ generibus affecit. Eaque ratione Siciliam gravi hoc bello fere liberavit: & anno ſequente *P. Rupilius* Conſul *Tauromenium*, cujus arx negligentia Q. Fabii generi Conſulis amiſſa fuerat [e], & Ennam, firmiſſima fugitivorum præſidia, vi recepit: belloque tandem cruentiſſimo, & quod jam in Italiam tranſierat, finem impoſuit [f]: ac de ſervis fame maxime ad deditionem coactis ſupplicium ſumpſit. Atque anno ſequente ovans Urbem

a *Liv. Epit.* 56. b *L. V. c.* 9. c *L. IV. c.* 1. *ex.* 28. d *L. II. c.* 7. *ex.* 9. e *Id. Val. Max. L. II. c. VII. n.* 3. f *Flor. L. III. c.* 19. *Liv. ep.* 59. *Oros. L. V. c.* 9. *Jul. Obſ. c.* 25.

Urbem introiit: ne dignitatem triumphi ſervili inſcriptione violaret. Antequam autem provincia decederet Rupilius novis eam legibus [a] ex decem legatorum ſententia, ut moris erat, reſtauravit.

§. III. Ut autem uno tenore ſerviles haſce conjurationes pertexamus, ſubjungemus hic alterum bellum cum ſervis, & in eadem Sicilia enatum; quod alioquin pro ordine temporum ad ſequentem librum referendum fuerat. Nempe anno Urbis ſexcenteſimo quinquageſimo *Athenio* gente Cilix ſervus & paſtor interfecto domino familiam ergaſtulo liberatam ſub ſignis ordinavit [b]. Ipſe veſte purpurea argenteoque baculo, & regium in morem fronte redimita, non minorem, quam antea Eunus, conflat exercitum. Et quaſi etiam illum vindicaret, vicos, caſtella, oppida diripiens in dominos, in ſervos promiſcue ſæviebat: in hos quidem infeſtius, quaſi in transfugas. Periculoſiſſimo autem Romanorum tempore hæc ſervilis ſeditio erumpebat; quippe cum graviſſimum a *Cimbris* bellum tum maxime eorum cervicibus incumberet: de quo ſuo loco dicemus. Et male præterea dicto jam anno adverſus ſervos res geſta eſt *a C. Servilio* [c]: & anno ſequente a *L. Licinio Lucullo.* Diodorus Siculus in *excerptis ex libro XXXVI. Bibliothecæ* hunc Lici-

*§. 3. Secundum bellum ſervile cum Athenione.*

*A. U. 650.*

a *Cic. in Verr. Div. c. 5. & ibi Aſc. Ibid. L. II. c. 13. Aſcon. Ibid. c. 50. L. III. c. 40.* b *Flor. l. d.* c *Flor. Ibid.*

Licinium *Nervam* appellare videtur : & in multis ejus narratio diverſa deprehenditur : quam tamen, cum ceteris diſtinctius multo & latius rem narret, in hujus belli expoſitione ſequemur. Dicit itaque Diodorus, poſt leviores aliquot ſervorum in Italia ſeditiones maximam tandem eorum in Sicilia contigiſſe conjurationem: cujus hæc fuerit ratio. Suſcepta adverſus Cimbros expeditione C. Marcius ex poteſtate Senatusconſulto conceſſa per literas a *Nicomede* etiam Bithyniæ Rege auxilia expetierat. Reſpondit Nicomedes, „ Bithynorum multos a vectigalium pu„ blicorum redemptoribus direptos ſer„ vitutem per provincias Populi R. ſer„ vire : ut ita inique a ſe auxilia expe„ terentur. „ Itaque Senatus decernit ; „ ne quis ex Populi R. ſociis, qui qui„ dem liber eſſet, in ulla provinciarum „ ſerviret : &, ut Imperatores eorum „ manumittendorum curam haberent. " Ex hoc decreto Licinius Nerva in Sicilia intra paucos dies plures octingentis in libertatem reſtituit. Verum mox, ſive pecunia dominorum ſive gratia expugnatus non ultra libertatem petentibus conceſſit : quin potius quemque ad dominum ſuum reverti juſſit. Hinc indignatio ſervorum orta: imo mox quidam interfectis dominis ſuis, aliiſque etiam defectionis ſociis ſibi adſcitis, locum quendam munitum occuparunt. Cumque inde eos armis pellere Licinius non poſſet, proditione graſſatus hanc qui-

dem

dem ſeditionem repreſſit. Sed mox, cum bonam exercitus ſui partem dimiſiſſet, ſeditio recruduit: cumque multos ex Ennenſium præſidiariis interfeciſſent defectores, arma etiam nacti audaciores multo facti ſunt: regemque ſibi crearunt *Salvium* quendam. Hunc tamen Romani, dum Morgantiam obſidet, caſtris exuerunt: ſed mox ex ſuperiore loco pugnantes ſervi Romanos viciſſim pellunt, cum prudenter Salvius juſſiſſet, ut arma abjicientibus parceretur: quod plures, ut ſe in fugam darent, compulit: ita ut hoc prælio non multi cæſi, ſed quatuor fere millia capti dicantur. Inde ad Murgantiæ obſidionem reverſus Salvius ſervis, qui in præſidio erant, libertatem promiſit: quod idem fecerunt ſervorum domini. Verum cum ſtrenue pugnando ſervi obſidionem ſubmoviſſent, Imperator Romanus dominorum pactis ſtare recuſans cauſſa fuit, cur plurimi ad defectores transfugerent. Et tum demum per finitimos etiam populos in ſervorum gregibus ſæviente morbo, Athenionem Cilicem Regem a ſervis factum fuiſſe Diodorus tradit: qui, non niſi ſtrenuiſſimis quibuſque in militiam allectis, reliquos operas ſuas ſolitas obire jubebat: unde largum ſuis parabat commeatum. Ergo etiam Lilybæum munitiſſimam urbem obſidere auſus eſt, ſed difficilem nimis rem expertus tanquam monentibus Diis ab ea receſſit: quod majorem fidem habuit, quia eodem tempore Lilybæenſibus auxi-

lium

lium advenerat. Interea Salvius, qui jam *Tryphon* regio nomine dicebatur, Athenionem ad ſe evocat: & hic, contra omnem Romanorum ſpem Tryphoni, ut ſupremo ſuo Imperatori dicto audiens fuit. Tryphon tamen Athenioni diffidens, in carcerem eum conjecit: regiumque ſplendorem in omnibus rebus etiam magis ac magis prætulit. Verum poſtquam cum novis copiis in Siciliam trajecit Lucullus Athenionem iterum in conſilium adhibuit: & contra ejus ſententiam cum Romanis prælio decertans maximam ſtragem accipit. Tamen Romani *Tricala* (alii *Triocala*, vel *Triacala* vocant[a]) obſidione capere non potuerunt: unde aucti defectoribus ſpiritus: ita ut nec Lucullus, nec Servilius quicquam memorabile geſſerint; cum Athenio (penes quem ſolum mortuo Tryphone omnis poteſtas erat) totam Siciliam pro libidine infeſtam redderet. Ita ut etiam & Lucullus & Servilius eo nomine accuſati & exſilio mulctati fuerint. Tandem *Aquillius* Conſul victis fugitivis huic bello finem impoſuit, cum Athenionem Regem ſtrenue pugnantem ſua manu interfeciſſet. Supererant poſt hæc omnia mille etiam fugitivi duce *Satyro*: quos cum in deditionem Conſul accepiſſet, pœnam quidem in præſens remiſit: ſed mox Romam abductos cum beſtiis ad internecionem depugnare juſſit. At dicuntur detrectantes illud certamen mu-

a *Vid. Luc. Holſten. ad Steph. de U. b. V.* Τρίκαλα.


Pag. 61.
III·VIR
VIRTVS
SICIL·
CAESAR·
AVGVSTVS
L·AQVILLIVS FLORVS·III·VIR
SICIL·
Pag. 63.
S
V
Pag. 110.
C·LICINIVS
P·F·GETA

mutuis vulneribus occubuiſſe: ita ut poſtremus omnium Satyrus forti animo ſibi ipſi manus intulerit. Ita fere narrat Diodorus. Florus Athenionem inter rixantium manus laceratum dicit, dum multitudo ad prehendendum eum concurrit. Sed minima ejus declamatoris fides eſt, qui absque judicio monſtroſa ſectari ſolet. Victoriæ Aquillianæ memoria ſervata eſt in nummis, quos refert Vaillantius [a]; & quorum priorem etiam laudat Pighius [b]: in quibus imaginem afflictæ Siciliæ Imperator armatus relevat. Hi nummi a nepotum hujus Aquilli uno cuſi fuiſſe videntur.

## CAPUT SEXTUM.

### *De quæſtionibus perpetuis conſtitutis.*

*§. I. De quæſtionibus perpetuis conſtitutis.*

CUm ita Imperium Romanum jam per tres orbis eo tempore cogniti partes propagatum eſſet; & maximæ inde, ſi priora tempora reſpiciamus, divitiæ in urbem Romam confluerent, priſtina illa in omni victu ſimplicitas cito evaneſcere cœpit. Itaque, cum, quo corruptior eſt civitas [c], eo plures leges & ſint, &, ut ſint, requiratur, antequam hunc librum finiamus, de iis breviter hic agendum eſt: quamquam nondum præcipiti adeo ruina mores peſſum ierint, quam quidem poſt paucos annos

a *Gente Aquillia n.* 4. *&* 6. b *Ann. ad A. U.* 654.
c *Tac. Ann. L. III. c.* 27.

annos factum eſt: unde de ipſo incremento luxus inferius paulo dicturi ſumus. Et hactenus quidem judicia de criminibus omnia extraordinaria fuerant: ſed anno primum ſexcenteſimo quarto *L. Calpurnius* Piſo Frugi Tribunus plebis ſociorum cauſſa, qui a magiſtratibus Romanis affligebantur, legem *Calpurniam de pecuniis repetundis* tulit [a], qua magiſtratuum injurias propellere ſocii poterant, *repetendo* nempe, *quas in provinciis magiſtratus Populi Romani, eorumve comites contra leges pecunias cepiſſent*: eoque hæc lex *ſocialis*, & *arx ſociorum* dicitur [b]. Neque diu poſtea etiam aliæ quæſtiones, ut *de ambitu*, *majeſtate*, *peculatu* conſtitutæ ſunt: quemadmodum hoc ab iis, qui antiquitates Romanas explicant, plenius tractatur.

*§. 2. De legibus tabellariis. A.U. 614.*

§. II. Verum ambitus etiam alia ratione coercendus fuit: cum enim antea in comitiis voce ſuffragia lata fuiſſent anno ſexcenteſimo decimoquarto *Q. Gabinius* Tribunus plebis legem tulit, „ut in „magiſtratibus creandis non voce, ut „antea, ſed per tabellam obſignatam, „nullo inimicitiarum obſtante metu, ſuf„fragium ferretur:" qua ratione optimatum in ſuffragiis auctoritas fere concidit. Neque eam legem unquam Populus liber deſideravit: ſed oppreſſus demum dominatu ac potentia principum flagitavit. Itaque dicit Cicero loco in margine

gine

a *Cic. in Ver. L. III. c.84. cl. Or. c. 17. de Off L. II. c. 21*
b *Vid. eund. in Verr. Divin. c. 5. & ibi Aſcon.*

gine citato [a], „ non fuiſſe hanc latebram „ dandam populo, in qua, bonis igno„ rantibus quid quiſque ſentiret, tabella „ vitioſum occultaret ſuffragium: ita ut „ iſti rationi [b], neque lator quiſquam ſit „ inventus, neque auctor unquam bo„ nus. " Additque latorem Gabinium hominem ignotum & ſordidum fuiſſe. Sed eodem tamen loco fatetur, „ ſuffragandi „ nimiam libidinem in non bonis cauſſis „ eripiendam fuiſſe potentibus. " Verum ipſi Ciceroni in his cauſſis non niſi ſumma cum circumſpectione credendum: ipſe enim, quod ſe optimatium factioni tradidiſſet, plebejis paſſim iniquior videtur. Et merito, puto, rurſus poſt biennium *L. Caſſius Longinus* [c] Tribunus plebis, rigidæ vir virtutis, unde ejus tribunal, cum Prætor eſſet (fuit id A. U. 622.) *ſcopulus reorum* dicebatur [d], legem tulit, „ ut in judiciis etiam, perduellio„ nis judicio excepto, Populo per tabel„ lam ſuffragium eſſet: " unde nummi exſtant Caſſiæ gentis, qui virum togatum tabulam in urnam mittentem exhibent [e]. Et tanta hujus legis æquitas viſa eſt, ut etiam P. Africanus, acerrimus licet optimatum fautor, auctoritate ſua *M. Antium Briſonem* Tribunum plebis, quo minus legi Caſſiæ intercederet, prohibue- *A. U. 616.*

a *de LL. III. c.* 15. b *num legendum* rogationi? c *Cic. de amic. c.* 22. d *Val. Max. L. III. c.* 7. *n.* 9. *& ab eo* Caſſiani judices *pro* Severis *dicuntur. Cic. pro Sex. Roſc. A. c.* 30. e *Vid. Vaill. de fam. Rom. Gente Caſſia n.* 5.

hibuerit [a]. Tertia lex tabellaria de ſuffragiis lata eſt A. U. 622. a *C. Papirio Carbone* Tribuno plebis, quem Cicero [b] *improbum civem & ſeditioſum* vocat. Demum A. U. 646. judicio quoque perduellionis *Cœlius* Tribunus plebis tabellam dedit [c]. Nec tamen hæ & ſimiles leges Rempublicam vergentem ſiſtere potuerunt, immenſum aucta ambitione; quemadmodum in ſequentibus videbimus.

§. 3. *De viris eruditis hujus temporis.* §. III. Intervallum adeo breve, quam illud eſt, quod hoc libro complexi ſumus, ſatis multos tamen nobis viros ſcriptis claros exhibet: cum eloquentiæ præcipue ſtudium hoc tempore maxime vigere [d] inciperet. Ita mentionem fecit Livius [e] *C. Julii* Senatoris, qui Græce res Romanas ſcripſit. Latine vero annales & orationes ſcripſit Piſo ille [f], quem legem Calpurniam de repetundis tuliſſe diximus, ſtylo exili quidem, ſed ſimpliciſſima & rei & orationis ſuavitate [g]: imo *gravis auctor* Plinio dicitur [h]. *L.* etiam *Caſſius Hemina* annales hoc tempore condidit [i]: ut etiam ille Fabius Servilianus, quem anno ſexcenteſimo undecimo Conſulem vidimus [k]. Hiſtoriam quoque ſcripſit *C. Fannius M. F.* [l] ac ſumma quidem fide, ſi credimus *Mario Victorino* veteri commentatori

a *Cic. de clar. Orat. c.* 25. b *de leg. L. III. c.* 16. c *Ib.* d *Id. de clar. Or. c.* 20. *ſqq.* e *Epit.* 53. f *Cic. ad Fam. L. IX. n.* 22. g *ibid Id. de clar. Or. c.* 27. *& de Orat. L. II. c.* 12. h *Hiſt. Nat. L. II. c.* 53. i *Ib. L. XIII. c.* 13. k *Supr. c.* 3. §. 1. l *Cic. Bruto c.* 21.

tatori in Ciceronem *de Invent. L. I. c.* 19. Floruit præterea hac ætate *L. Cælius Antipater* Hiſtoricus & Juriſconſultus [a]: & *P. Rutilius Rufus*, qui belli Numantini ſcripſit hiſtoriam [b]. Tum *L. Æcius* poeta fabularum non tantum; ſed etiam annalium [c] carmine ſcriptor [d]. Is cum Pacuvio A. U. 613. fabulam docuit; cum ille octoginta, ipſe triginta annos natus eſſet [e]. Lucilius, cujus ſatyrarum fragmenta edidit Generoſiſſ. *Franc. Douza Jani F. Lugd. Bat.* 1597. 4., ſub P. Africano, Numantino bello, eques militavit [f]: ejus ſoror avia fuit Pompeji *Magni* [g]. Et alios, ſi qui forte fuerunt, ut ad inſtitutum noſtrum nihil facientes, præterimus. Sed religio fuerit præterire Oratores, qui primo loco nominandi fuerant: cum eorum ars ſat magna hac ætate incrementa ſumpſerit. Eos recenſet Vellejus Paterculus *L. II. c.* 9. ſed multo latius ipſe omnium quotquot unquam fuerunt, futurique ſunt Oratorum princeps libro, qui *Brutus*, ſive *de claris Oratoribus* inſcribitur: unde paucos & illuſtriores tantum notabimus initium facientes a C. Sulpicio Gallo, qui A. U. 584. Prætor fuit [h]: quique in oratorum numero eſt habitus. Eodem anno Cenſor fuit. Ti. Sem-



a *Cic. Bruto c.* 26. *& Orat. c.* 69. *l.* 2. *ff. de Orig. jur.* §. 40. b *App. Al. Hiſp. n.* 305. c *Vid. Cic. Bruto c.* 18. *ſq.* d *Macr. Sat. L. I. c.* 7. *f. Feſt. V. Metelli Cic. de Leg. l.* 2. e *Cic. Bruto c.* 64. *Gell. Noct. Att. L. XVII. c. ult.* f *Vell. Paterc. L. II. c.* 9. g *Porphyrio ad Hor. Serm. L. II. S. I. n.* 75. h *Cic. Bruto c.* 20.

pronius Gracchus, qui etiam ab eloquentiæ laude celebratur; ut & anni ſequentis Conſul Paullus ille Æmilius Perſei victor. Laudat quoque Cicero eodem loco P. Scipionem Naſicam, qui *Corculum* appellatus eſt, & Conſul fuit A. U. 594. tum L. Cornelium Lentulum Conſulem A. U. 591. & A. U. 597. Q. Fulvium Nobiliorem Conſulem A. U. 600. ejuſque collegam *T. Annium Luſcum*. (Addo dignitates, quas hi Oratores geſſerunt, ut pateat, primarios fuiſſe viros, qui hiſce literarum & eloquentiæ ſtudiis operam darent; ejuſque rei in ſequentibus plura habebimus exempla.) Juniores paullo fuerunt, ut plures minus celebres mittam, P. ille Africanus: &, in quo dicendi laus etiam illuſtrior fuit, amicus ejus C. Lælius [a]: tum, qui ſine controverſia ceteris ejus temporis eloquentia præſtitit, Ser. Galba Conſul A. U. 609. Læliique gener C. Fannius [b]. Celebris etiam *P. Licinius Craſſus Mucianus* Pontifex Maximus & Conſul A. U. 622. ejuſque frater *P. Mucius Scævola* Conſul A. U. 620. [c] tum Carbo ille [d], quem auctorem legis tabellariæ vidimus. Alii, quos porro recenſet Cicero, vel minus ſunt celebres; vel commodius ad librum ſequentem referrentur: ſed de Craſſo omittendum non fuerat, quod de eo tradit *Sempronius Aſellio*, (hic etiam bello Numantino Tribunus militum fuit [e]; & plures hiſtoria-

a *Ibid. c.* 21. b *Ibid. c.* 26. c *Id. de Orat. L.* 1. *c.* 39. *& de cl. Or. c.* 35. d *Ibid. c.* 27. e *Gell. noct. Att. L. II. c.* 13.

ſtoriarum libros reliquit[a], ſed quos ſenex demum ſcripſiſſe videtur[b]) ſcilicet, „ ha-„ buiſſe eum quinque rerum bonarum „ maxima & præcipua; quod eſſet ditiſ-„ ſimus, quod nobiliſſimus, quod eloquen-„ tiſſimus, quod juriſconſultiſſimus, quod „ Pontifex Maximus." Ti. & *C. Gracchi* fratres præcipua eloquentiæ laude eminuerunt. Verum de iis plurima ſtatim libro ſequente dicturi ſumus. Unum adhuc adjiciamus, *C. Perſium* literatum hominem & valde doctum: ſed, ut videtur, obſcuriorem; ita ut de eo diceret Lucilius ſatyrarum ſcriptor, *Perſium non curo legere, Lælium, Decimum volo*. (Quæ verba, in alium plane ſenſum detorſit Plinius *præfatione hiſtoriæ naturalis ad* Veſpaſianum.) Hunc addo, quod, niſi fallit memoria, Auguſtino, aut *Hieronymo*, aut alii etiam ejus fere ætatis dictum hoc adſcribi, & de *Perſio*, cujus habemus ſatyras intellectu revera difficillimas intelligi ſoleat.

a *Il. L. XIII. c.* 21. b *Cic. de Leg. I.* 2. c *Id. de cl. Orat. c.* 26.

# LIBER SEPTIMUS.

## CAPUT PRIMUM.

### *De bello Aſiatico cum Ariſtonico; & aliis rebus.*

§. I. *Occaſio belli.*

§. I. ATtalus cognomine *Philometor* Aſiæ Rex [a] Eumenis illius, qui conſtanter adeo Romanorum amicitiam coluerat, filius fuit. Hic, poſtquam per annos quinque jam in ſua tutela fuiſſet, nam Attalus patruus ipſi tutor fuerat, anno Urbis ſexcenteſimo vigeſimo decedens Populum Romanum teſtamenti tabulis hæredem reliquit. Qui tamen vix legitimum teſtamentum facere potuiſſe videtur, cum ex Juſtino ſatis pateat [b], eum parum ſanæ mentis fuiſſe, imo potius plane inſaniviſſe. Et, licet ſanæ mentis fuiſſet, dubium inter eos, qui res civiles tractant, habetur, *an regna teſtamento transferri poſſint* [c]? ut per bona, quorum hæredem Populum Romanum faciebat, tantum intelligenda fuerint ſupellex omnis & inſtrumentum regium [d]: quanquam plura regna etiam hac ratione acquiſiverunt Romani: nec litem hanc noſtram facimus. Sed præterea non tantum impium hoc teſtamentum habebatur, reliquerat enim Eumenes Attali pater filium *Ariſtonicum* ex pellice natum [e];

ve-

a *Strabo L. XIV. num.* 624. *&* 646. *Epit. S. Prologus Trogi L.* 36. b *L. XXXVI. c.* 4. c *Vid. Grot. de I. B. P. L. I. c.* 1. §. 12. d *Vid. Flor. L. II. c.* 20. e *Strabo Juſt. alii. Livii epit.* 59. *nude* Eumenis F. *dicit.*

verum omnino fictum eſſe a Romanis multi jactabant; ut ex epiſtola *Mithridatis* ad *Arſacem* apud *Salluſtrium* [a] patet. Nec videtur diffiteri Horatius [b]. Sed Mithridati forte profeſſo Romanorum hoſti, niſi ſub idoneis teſtibus credere fas non fuerit. Livius [c] hic diverſum ab aliis ſenſiſſe videtur, & putaſſe, Aſiam ita Romanis legatam, ut ab iis liberaretur. Et forte in ipſo Senatu Romæ diu de juſtitia hujus cauſſæ dubitatum fuit; cum demum poſt biennium Aſia Craſſo Conſuli eidemque Pontifici Max. provincia decreta fuerit: iſque primus eorum, qui Pontifices Maximi conſulatum obtinuerunt, cum exercitu extra Italiam profectus eſt: cum Flacco collegæ mulctam dixiſſet, ſi a ſacris diſceſſiſſet, quod Flamen Martialis erat [d]. *A. U. 622.*

§. II. Et infelix ſane Craſſi expeditio fuit: nam, cum prædæ, quam bello, intentior [e] prælium cum Ariſtonico juxta *Leucas* commiſiſſet, (prope Smyrnam illud oppidum [f] fuit) victus pœnas inconſultæ avaritiæ ſuo ſanguine dedit: vel, juxta alios, ne in manus Ariſtonici veniret, dedecus arceſſita ratione mortis effugit [g] Virgam enim, qua equum regebat, cum in cuſtodis ſui barbari oculum direxiſſet, vi doloris eum ad necem ſuam accendit. Vellejus Paterculus *L. II. c.* 4. *§. 2. ipſum bellum.*

E 3 eum

a *Hiſtor. L. IV.* b *Od. L. II. n. XVIII. v. 5. ubi vid. Porphyr. & Vet. comm. Cruquii.* c *Vid. epit.* 59. d *Cic. Phil. XI. c.* 8. e *Juſtin. d. l.* f *Stra L. XIV. n.* 646. g *Val. Max. L. III. c.* 2. *n.* 12.

cum ab Ariſtonico ( puto, ejus juſſu ) interemptum dicit. Succeſſit Craſſo *M. Perperna* Conſul anni ſexcenteſimi vigeſimi tertii, qui nondum civis Romanus Conſulatum adeptus eſt [a]; cum pater ejus nihil ad ſe pertinentia civis Romani jura complexus eſſet. Hic victum Ariſtonicum fame ad deditionem compulit [b]; eumque in triumphum duxit teſte Vellejo, &, ut videtur, Valerio Maximo, ſed potius locus Velleii levi diſtinctione juvandus eſt, ut triumphus ad *M' Aquillium* Perpernæ ſucceſſorem referatur; nam hunc quidem Pergami mortuum hiſtorici tradunt [c]; cum tamen Ariſtonicum jam Romam miſiſſet. Et certe properavit in provinciam Aquillius, ut triumphum Perpernæ eriperet; ibique reliquias belli conficere juſſus, immani ſcelere & Romanis hactenus moribus incognito, fontes veneno miſcuit [d], ut certas urbes ad deditionem compelleret. Atque ita Aſia in poteſtatem redacta eam ex Senatusconſulto & decem legatorum conſilio legibus, inſtitutis, atque conventibus ordinavit [e]. Regibus inde, qui adverſus Ariſtonicum arma tulerant, præmia perſoluta ſunt [e]. Filiis *Ariarathis* Regis Cappadociæ, qui eodem bello occiderat, Lycaonia & Cilicia data: *Mithridati* Pontico Phrygia Major. Fuit hic Mithridates dictus *Euergetes*, pater Mithridatis *Eupatoris* [f], cujus §. præc. men-

A.U. 623.

a *Val. Max. L. III. c. 4. n. 5.* b *Eutrop. L. IV. c. 20.* c *Vid. Strab. Juſtin. Eutr. dd. ll.* d *Strabo d. l.* e *Juſtin. L. XXXVIII. c. 1.* f *Appian. Mitrid. n. 177.*

mentionem fecimus. Aquillius Romam reverſus anno demum Urbis 627. triumphavit.

*§. 3. Luxus incrementum: leges ſumptuariæ, & de ambitu.*

§. III. Ita immenſæ plane opes ex Aſia devicta Romam invectæ ſunt; quæ perniciosiſſimæ Romanorum moribus fuerunt. Nam ſtatim quidem a victo Antiocho multum a priſca illa frugalitate mores Romanorum mutati fuerant, luxuria peregrina ab exercitu Aſiatico in Urbem invecta [a]: ſed ſubacta jam penitus Aſia iiſdem moribus plane funeſta fuit [b]. *Aſiaticos* enim *mores* jam dudum luxu infames fuiſſe notiſſimum eſt [c]: & de variis ejus gentibus facillime probari poſſit. Pauca ſpeciminis loco addemus *Jones* luxurioſiſſimos fuiſſe loci in margine citati probant [d]: & præcipue Epheſios [e]. De *Phrygibus* idem notiſſimum eſt, vel ex iis, quæ *Remulius* apud Virgilium [f] iis objicit: a quo etiam alibi [g] *Semiviri* dicuntur. *Lydi* demum ita infames otio & deliciis fuerunt (poſtquam certe a Cyro fuerunt ſubacti [h]) ut non tantum ipſum *ludorum* nomen ab iis acceperint Romani: ſed ut etiam variis proverbiis eorum mores perditi originem dederint [i]. Poſtquam ergo



a *Liv. L. XXXIX. c. 6.* b *Plin. H. N. L. XIII. c. 3. XXXIII. c. 11. XXXIV. c. 7. XXXVII. c. 1. f.*
c *Cic. pro Mur. c. 5. Juven III. 62. ſqq.* d *Plaut. Stich. A. V. S. VII. Hor. Od III. vI. v. 1. Propert. I. vI. v. 31. Cl. Periz. ad Ael. V. H. L. II. c. 28. &c.*
e *Strab. L. XIV. n. 642.* f *Æn. IX. v. 614. ſqq.*
g *Æn. IV. v. 215. XII. v. 99.* h *Herod. L. I. c. 44.*
i *Vid. Eraſm. Ad. Ch. II. Cent. VI. n. 93. 94 96. 67.*

Romanorum arma etiam in Aſiam ferri[a] cœperunt contagio facile labem eorum moribus dedit. Hinc variæ leges ſunt ortæ, quæ, *quod nimios ſumptus coercerent*, *ſumptuariæ* ſunt dictæ. Tales fuerunt *Orchia* lata A. U. 572. a *C. Orchio* Tribuno pl. de numero convivarum, quam primum diſſuaſiſſe [b], poſtea defendiſſe videtur Cato [c]: niſi dicamus, mendum in Feſtum irrepſiſſe alterutro locorum hic in margine citato. *Fannia* lata ex SC. a *C. Fannio Strabone* Conſule A. U. 592. qua ſumptus ſingulis cœnis eſt poſitus [d]. *Didia*, quam A. U. 620. tulit *T. Didius* Tribunus pl. ut non tantum Urbs, ſed etiam omnis Italia legibus ſumptuariis teneretur: utque non dominus convivii tantum, verum etiam invitati pœnis legis tenerentur [e]. Legem poſthæc invenio *Æmiliam* [f] de ciborum genere & modo; quam mortuo Sulla latam dicit Macrobius: ſed Plinius [g] legem memorat a M. Æmilio Scauro in conſulatu promulgatam, quem geſſit A. U. 638., qua ſorices & glires menſis ademerit. Sorices, & quidem hyeme conditos, ut Nigidius apud Plinium auctor eſt, in cibis fuiſſe alibi legiſſe non memini: ſed glires quomodo condi debeant docet *Auctor libri de arte coquinaria* [h], qui *Apicii Cœlii* nomine circumfertur, & fre-

a *Macr. Sat. L. II. c.* 13. b *Feſt. V. Percunctatum.* c *Id. V. Obſonitavere.* d *Plin. H. N. L. X. c.* 50. *Gell. L. II. c.* 24. e *Macr. Sat. L. II. c.* 13. f *Gell. l. d.* g *L. VIII. c.* 57. h *L. VIII. c.* 9.

& frequens eorum mentio, tanquam cibi delicatioris etiam apud alios occurrit [a]: imo Varro jam docuit, qua ratione ſaginari debeant [b]. Verum puto fuiſſe animalia, non quæ nos *ratten* dicimus aut *cotten*: ſed potius, quæ, ni fallor, his majora nobis etiam *meerſvviinties* dicuntur. Et, ut hic in unum conjiciamus cumulum, quæ de legibus ſumptuariis ad inſtitutum noſtrum pertinebant, etiam *Cornelia* lex fuit a *Cornelio* Sulla Dictatore lata; ſed qua quibuſdam modo rebus & certis deliciarum generibus minora pretia impoſita ſunt [c]: ut ita irritandæ magis gulæ, quam reprimendo luxui facta fuiſſe videatur. *Antii* etiam *Reſtionis* (Tribuni pl. credo) legem, ſed concordia vitiorum irritam poſt Æmiliam recenſet Macrobius: ſed quando latam, aut quid proprie ſanxerit, non addit. Omiſeramus legem Liciniam, quam tulit A. 643. P. Licinius Craſſus Tribunus pl. Fanniæ non diſſimilem, & certos etiam ſumptus & cibos certis diebus aſſignantem [d]. Nec alterius generis fuit lex Julia ab Auguſto Imperatore lata: ſed cujus latio terminis, quos nobis propoſuimus non comprehenditur. Nos redeamus ad hiſtoriam noſtram, cum prius tantum obſervaverimus, parum ſervatas fuiſſe has leges, ut hodieque in ſimilibus fere fieri ſolet.

At

a *Vid. Petron. c.* 31. *Amm. Marc. LXXVIII. c.* 8.
b *de R. R. L. III. c.* 15. c *Macr. l. c.* d *Gellius & Macr. dd. ll.*

At non unum duntaxat hoc luxuriæ malum civitatem invaſerat: ſed atrocius etiam & ſævius ambitionis & avaritiæ, quæ luxum individuus ſequitur comes; cum abſque rapinis & ſceleribus neutri ſatisfieri queat. Igitur ambitus etiam legibus variis fuerat coercitus: verum omnibus obicibus aggeribuſque perruptis brevi tempore in exitium Imperii exundavit. Et, licet præcipuæ leges ad inferiora demum tempora ſint referendæ, invenimus tamen jam, ut antiquiſſimas quaſdam leges mittam, anno Urbis 572. legem Bœbiam Corneliam de ambitu [a]; & anno 594. Corneliam Fulviam [b]; quarum quæ ſententia fuerit non ſatis conſtat. Tum eo referendæ ſunt leges tabellariæ; de quibus jam dictum eſt.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De legibus Tiberii Gracchi.*

*§. I. Quis fuerit Ti. Gracchus.*

§. I. VIdimus libri præcedentis capite tertio §. 4. Ti. Gracchum Quæſtorem Mancini Conſulis auctorem præcipue fuiſſe fœderis cum Numantinis initi, quod Imperio quidem Romano minus honeſtum, ſed plurimorum civium ſaluti neceſſarium fuerat. Sed vidimus ſimul fœdus illud Mancini deditione fuiſſe reſciſſum; Gracchum vero, quo minus dederetur, Populi favore fuiſſe conſecutum. Hinc tamen

a *Liv. L. XL. c. 19.* b *ejuſd. epit. 47.*

tamen Gracchus infenſus illis [a], quibus annitentibus maxime fœdus hoc abolitum fuerat, qui fere erant ex optimatibus, diligentius in originem multorum, quibus Reſpublica premebatur, malorum inquirere cœpit. Erat enim ipſe Gracchus vir omni laudis genere ornatiſſimus, vita innocentiſſimus, propoſito ſanctiſſimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta & natura & induſtria mortalis conditio recepit [b]. Neque mirum, cum a teneris uſque iis imbutus eſſet præceptis, quibus optimi parentes filios ſuos bene natos imbuere ſolent [c]. Nam pater hujus Tiberii & fratris ejus Caji fuit vir egregius Ti. Gracchus, cujus tum alia, tum de Sardis victoriam vidimus. Mater vero laudatiſſima fuit matrona Cornelia Magni Scipionis filia [d]. Cum enim, ut jam etiam antea attigimus, capitales inimicitiæ inter Gracchum & Scipionem fuiſſent, neque tamen Gracchus, qui eo tempore Tribunus plebis erat, paſſus fuiſſet L. Scipionem a collega in vincula duci, evenit, ut eo die Senatus in Capitolio cœnaret. Ibi inter epulas Senatum conſurrexiſſe ferunt, & petiiſſe, ut Graccho filiam Africanus deſponderet. Quo rite facto Scipionem domum reverſum dixiſſe uxori, *filiam ſe minorem deſpondiſſe*. Quum vero illa muliebriter indignabunda nihil de communi filia ſecum conſultatum adjeciſſet, *non, ſi Ti. Graccho daret*,

*exper-*

a *Vell. Pat. L. II. c. 2.* b *Ibid.* c *Vid. Val. Max. L. IV. c. 4. init.* d *Cic. ſomnio Sc. c. 2.*

*expertem conſilii debuiſſe matrem eſſe*, læ-tum Scipionem tam concordi judicio, *ipſi deſponſam*, reſpondiſſe. Hæc tamen Livius [a] non ut certa tradit; & variat hic etiam Plutarchus [b]. Imo traditum fuit, quemadmodum idem narrat, (ut jam fabulam de duobus anguibus in cubiculo Gracchi patris conſpectis [c] mittam) tantam morum & prudentiæ famam Corneliæ fuiſſe, ut mortuo Graccho ejus nuptias Rex Ptolemæus ambiverit. Et ſumma ſane cura filios duos ſororemque eorum, quæ Africano minori nupſit, educavit: Ita ut egregiis artibus imbuti ad omnia ſumma aſſurgerent. Sed vita quidem eorum privata ad inſtitutum noſtrum non pertinet: videamus potius, quæ cauſſæ ab optimatibus eos alienarint.

*§. 2. Origo legis agrariæ T. Gracchi. A.U. 620.*

§. II. Nam, ut diximus, optimatibus ob cauſſam Mancinianam infenſus Gracchus ſtatim in Tribunatu plebis leges olim libertatis adverſus optimates tuendæ cauſſa latas referre cœpit [d]; & potiſſimum *agrariam* Licinii Stolonis (quam A. U. 377. ferre cœperat) *Ne quis ultra quingenta agri jugera poſſideret* [e]. *Filiifamiliarum emancipati non ultra dimidium. Neve quis ex publico plus quam centum jugera haberet. Tresviri quotannis crearentur, qui agrum publicum a privato diſcernerent. Agri, quod ſper-*

a *L. XXXVIIII. c.* 57. *Vid. Val. M. L. IV. c.* 2. *n.* 3. *Gell. L. XII. c.* 8. b *vita Gracchor.* c *Cic. de Divin. L. I. c.* 18. *Val. Max. L. IV. c.* 6. *n.* 1. d *Vid. Sigon. de ant. jur. civ. Rom. L. I. c.* 16. e *App. Alex. civ. L. I. n.* 354.

*ſupereſſet pauperibus divideretur*. Nam poſt legem Liciniam A. U. 385. perlatam nulla agrorum diviſio facta fuerat, niſi publici, aut ex hoſtibus capti: atque adeo maximam partem agri publici jam ditiores invaſerant [a]; eoſque per eam ſervorum multitudinem colebant, quam bello ſervili originem dediſſe vidimus. Ita ut plebs plane agris exuta, & ad incitas redacta eſſet [b]. Quoniam autem Licinii Stolonis hic mentio facta eſt, notanda hic eſt, antequam pergamus, elegantiſſima obſervatio Ampliſſimi Viri *Guilielmi Goeſii* (*Gouſii*) in *Antiquit. Agrariis c.* 5. nempe, C. quidem Licinium legem ſuam pertuliſſe, ita ut Patres jurarent, ſe eam eſſe ſervaturos: ſed nihil mirum eſſe, legem a reliquis fuiſſe antiquatam, quam ipſe prius exemplo ſuo antiquaſſet. Gracchos autem ita legem agrariam renovaſſe, ut ne eludendi daretur occaſio: atque propterea utrumque ſeditione orta infeliciter occubuiſſe. Tum, ut merito cæſi viderentur, Tiberio crimini datum, quod, quum in ſummo verſaretur diſcrimine caput tetigiſſet, atque hoc videlicet ſigno capiti ſuo diadema popoſciſſet [c]: quaſi vero vir minime ſtolidus furentibus incendium addere voluiſſet. Ita ut merito ſtatuat Gouſius ſola impotentia patriciorum periiſſe viros nobiliſſimos, æternaque laude vel eo dignos, quod nullis territi periculis magno animo in ea aſſerenda

renda

a *Vid. Catonis or. pro Rhodiis ap. Gell. L. VII. c.* 3.
b *App. Alex. civ. L. I. n.* 355. c *Flor. L. III. c.* 14. *Plut. Gracch. p. m* 833.

renda cauſſa conſtanter perſtiterint, quam pro utilitate Reipublicæ non abſque ratione ſuſcepiſſent. Et id ipſum quod Gracchus, agrorum ſcilicet diviſionem, jam antea tentaverunt C. Lælius ille Scipionis familiaris [a]: ſed, quod renitentibus optimatibus tumultus metu, & quidem contra conſcientiam animi deſtitiſſet, *Sapientis* cognomen meruiſſe dicitur. Gracchum autem cum alii impuliſſe dicuntur, tum præcipue mater Cornelia, quæ ſe *Scipionis ſocrum*, non *matrem Gracchorum* (quo nomine tamen poſtea ei ſtatua poſita fuit: Plut. *p.* 836.) a Populo appellari ſæpe filiis objectabat. Verius autem videtur, quod ipſum fratrem Tiberii Cajum libro quodam ſcriptum reliquiſſe teſtatur Plutarchus [b], Tiberium per Italiam iter facientem & ſpectantem ſolitudinem agrorum, atque agricolas & paſtores fere ſervos eſſe & barbaros, tum primum eam rem ſibi in animo propoſuiſſe. Provocabatur præterea a Populo per libellos undique proſcriptos, ut inopibus agrum publicum redderet.

§. 3. *Ipſa latio legis.*

§. III. Igitur legem compoſuit Gracchus Licinio etiam Craſſo Pontifice Maximo [c], Mucio Scævola Juriſconſulto tum Conſule, & Ap. Claudio ſocero ſuo (optimates hi ſane erant, ſed, ut videtur, juſtæ cauſſæ & plebi æquiores) in conſilium adſcitis; & eam ſumma quidem æquitate: quippe qua illi, qui pœnas violatæ

a *Ibid. p.* 827. b *p. m.* 828. c *Plut. Ib. Cic. Acad. Quæſt. L. IV. c.* 5.

latæ legis dare debuiſſent, rogarentur, ut ea quæ contra fas uſurpaverant, præmio aliquo accepto reddere vellent. Sed facile credi poteſt, eos, qui agros illos invaſerant, non aliter accepiſſe hanc legem, quam ſi juſtum ſibi patrimonium auferret: cum multi etiam hodie rapinis ita indulgere ſoleant, ut præda ſua tanquam bonis optimo jure quæſitis utantur. Verum Tiberius facundia ſua, qua adeo pollebat, ut etiam turpem cauſſam, nedum æquiſſimam defendere potuiſſet, plebem plane ſibi devinxerat. Ergo optimates *Octavium* Tiberii collegam precibus expugnant, ut ejus rogationi intercederet: iique primum civiliter inter ſe contenderunt. Cum vero Gracchus etiam Octavium nimium agri publici tenere animadvertiſſet, rogavit eum, pretio etiam ex ſuis facultatibus oſtenſo, ut certamine abjecto legem perferri ſineret. Sed eo abnuente Tiberius interceſſione ſua omnium magiſtratuum functiones ſuſpendit. Et, cum ita per multas contentiones extracto tempore dies tandem comitiorum veniſſet, optimates urnas, in quas ſuffragiorum tabellæ conjiciebantur, ſubtraxerunt [a]. Præterea Manlius & Fulvius viri conſulares ad genua Gracchi accidentes impetrarunt, ut Senatui rem permitteret. Verum ubi nihil expedivit [b] ad legem ſuam rediit: & ſimul Octavio collegæ oſtendit, non aliud ſe belli civilis remedium videre, quam ſi alteruter magiſtratu

a *Plut. l.d. p.* 829. b *App. Al. Civ. L. I. n.* 357.

ſtratu abiiſſet. Octavius tamen de poteſtate Graccho abroganda, quemadmodum hic rogaverat, comitia habere noluit. Ergo ipſe Gracchus tribus in ſuffragium miſit: cum jam in eo res eſſet, ut ſi una etiam tribus ſuffragium dediſſet, privatus jam fieret Octavius. Gracchus ſuffragiis ſuſtineri juſſis omnibus rationibus Octavium complexus eſt, ut a contentione deſiſteret. Sed, poſtquam nihil obtinere potuiſſet, legem pertulit, Octavio e roſtris detracto, & ſervo ejus per tumultum vulnerato: quod nequicquam Gracchus impedire conabatur. Atque ita demum Tresviri agris dividundis creati ſunt ipſe Gracchus cum Ap. Claudio ſocero ſuo & Cajo fratre. Et erat jam in flagranti Populi favore Gracchus, ita ut paucos menſes *regnaſſe* a Cicerone dicatur [a], cum commodam occaſionem eum etiam magis incendendi nactus eſt. Nam nuncio de hæreditate Regis Attali Romam allato legem promulgavit, " ut ea pecunia agrum „ ſortitis ( lege nempe ſua agraria ) ad „ inſtrumentum ruſticum & ſubſidium a„ gri colendi parandum diſtribueretur: „ „ qua re omnium maxime Senatum offendit [b]. Simul odium, quod Octavii injuria contraxerat, amoliturus oſtendit, " Tribunum plebis cauſſam plebis „ deſerentem Tribunum amplius non „ eſſe. "

§. 4. *Alio*

§. IV. Sed cum amici Gracchi de coitioni-

a *di Amic. c.* 12. b *Plut. p. m.* 830.

ſtionibus optimatium ipſi metuentes aucto-res ei fuiſſent, ut etiam in ſequentem annum Tribunatum peteret [a], aliis præterea legibus plebem illicere cœpit, ſtipendiorum tempora contrahens, provocationem a judicibus ad Populum concedens, (quod de cauſſis civilibus eſt intelligendum) judicibus, qui ex Senatu eo tempore legebantur, parem numerum ex ordine equeſtri adjiciens. (Quomodo judicia penes diverſos ordines diverſis temporibus fuerint paulo poſt, cum de C. Gracchi legibus dicendum erit, videbimus.) Cumque vereri ſe dixiſſet, ne noctu ab inimicis domi ſuæ interficeretur, magna hominum multitudo circum ejus ædes, tabernaculis etiam erectis, excubavit. Et poſtridie in Capitolium, ubi habenda erant comitia, progreſſus, cum monitus etiam eſſet a *Bloſio* Cumano philoſopho, ut omina quædam, quæ ipſi evenerant, ſperneret [b]; ſumma quidem alacritate excipitur: verum mox a Flacco Senatore, qui loco celſiore ſtabat, nutu manuum vocatus eo adſcendit, diſcitque, ſtatuiſſe divites etiam invito Conſule eum interficere. Eo intellecto amici Tiberii ſe defenſioni parant, fractis etiam apparitorum haſtilibus, ut ipſis fragmentis ſe defenderent: cumque longius diſtantes mirarentur, quid tumultus eſſet, Gracchus manum capiti admovit, ſummum nempe diſcrimen, in quo verſabatur, innuens. Atque

*etiam leges & finis Ti. Gracchi.*



a *Ib. p.* 832. *Appian. Bell. civ. L. I. n.* 358.
b *Plut. p.* 827. E. 832. E.

ibi turpis inimicorum ejus enituit perfidia, qui ſtatim Senatui nunciarunt, diadema ſibi petere Gracchum. Cumque Conſul Mucius, ſe non vi, ſed legibus in tota hac cauſſa uſurum diceret, exiliens Naſica & togatus, (erat hic Gracchi conſobrinus, cujus mater itidem Africani fuerat filia: ſed qui ſe ejus legibus opponebat, quod infractæ legis Liciniæ reum ſe ipſum eſſe probe noverat [a]) *Quando Conſul*, inquit, *Rempublicam deſerit, ſequimini vos me, qui eam ſalvam vultis*. Atque ita circumdata lævo brachio togæ lacinia, magna parte procerum comitante contendit in Capitolium. Tiberius vero inimicis ſe ſuis imparem cernens pedem vertit, &, dum fugit, fragmine ſubſellii ictus occubuit [b]: fuitque hoc initium civilis Romæ ſanguinis, qui paulo poſt ſæpius Rempublicam inundavit [c]. Ita Ti. Gracchus, dum patriæ bene quidem, ſed violentius conſulit, in ipſo ſacroſancti tribunatus honore in Capitolio necatus eſt. Nec ſolus Gracchus leto eſt datus: ſed etiam amici ejus partim trucidati ſunt, partim in exilium miſſi [d]. Inter eos erat *Bloſius* ille Cumanus, qui a Conſulibus de iis, quæ acta erant, rogatus profeſſus eſt, *ſe omnia Tiberii juſſu acturum fuiſſe*. *Et anne*, inquit Lælius, (Plutarchus minus recte Naſicam hic ponit) qui Conſulibus in con-

a *Ibid. p.* 830. b *App. Al. civ. L. I. n.* 359. *cic. ad Herenn. L. IV. c.* 55. c *Vell. Paterc. L. II. c.* 3. d *Plut. Gracch. p.* 834. *Val. Max. L. VI. c.* 3.

conſilio aderat, *ſi te in Capitolium faces ferre vellet? Nunquam voluiſſet id quidem*, reſpondit Bloſius, *ſed ſi voluiſſet, paruiſſem* [a]. Quippe quem crederet, nihil imperaturum fuiſſe, niſi quod ex uſu Populi foret. Diſcrimini tamen elapſus Bloſius in Aſiam ad Ariſtonicum confugit, eoque victo manus ſibi intulit [b]. Scipio porro Naſica, cum ſumma invidia ex cæde Gracchi flagraret, judiciaque ei jam intentarentur, *liberam legationem* in Aſiam a Senatu impetravit, ſive licentiam per aliquod tempus in Aſia commorandi, ac inſignibus & honoribus legati utendi. Et urgens ſane periculum eſſe debuit, quod hanc legationem ipſi decerni fecit; cum Pontifex Maximus eſſet Naſica, cui a ſacris diſcedere non temere permittebatur [c] Ipſe huc illuc per Aſiam temere vagatus paulo poſt apud Pergamum diem obiit [d] Neque mirum eſt talibus factis Naſicam gratia Populi excidiſſe, cum ipſe Scipio Æmilianus, cujus tunc gloria recens erat a victoria Numantina, & qui merito a Populo Romano celebratur, ejuſdem Populi benevolentiam hoc caſu fere amiſerit [e]. Primum enim ad Numantiam audito Gracchi exitu verſu Homerico omnibus, qui ſimile quid moliti eſſent, ſimilem exitum precatus eſt, eo nempe, quo Pallas



a *Cic. Amicit. c.* 11. *Val. Max. L. IV. c.* VII. *ex.* 1.
b *Plut. d.l.* c *Vid. cap. præc.* §. 1. d *Cic. pro Flacco c.* 32. *Val. Max. L. V. c.* 3. *n.* 2.
e *Plut. l. ſæpius d.*

dignum factis exitum ſortitum eſſe *Ægiſthum* dicit [a],

> Ὡς ἀπόλοιτο ϗ ἄλλος ὅτις το-
> ιαῦτα γε ῥέζοι·

quod ita non incommode quis vertat:

> *Vah! pereat quicumque ſcelus*
> *tam grande peregit.*

A.U. 622. Deinde Romam reverſus cum a C. Carbone Tribuno plebis (qui legem ferebat, ut eundem Tribunum plebis, quoties vellet, Populo creare liceret [b]) coram omni Populo interrogaretur, *Quid de Ti. Gracchi cæde ſentiret? jure cæſum videri*, reſpondit, *ſi Reipublicæ occupandæ animum habuiſſet* [c]. Non addit tamen, eum animum habuiſſe Ti. Gracchum. Cum nihilominus ob eam vocem fremeret Populus, *Hoſtium*, inquit, *armatorum toties clamore non territus, qui poſſum veſtro moveri, quorum noverca eſt Italia?* quorum poſtremorum verborum ſenſus eſſe videtur, multos jam peregrinos in civitatem Romanam irrepſiſſe. Et etiam Mucius Conſul, qui antea ſegnior, an æquior in hac cauſſa fuerat, cædem peractam probaſſe dicitur [d]. Nam quod epitome Liviana eum præcipuum eorum, qui in Gracchum invecti ſunt, facit, dubito an veritati ſatis conveniat. Nos vero huic de Ti. Gracchi narrationi finem dabimus ſolo Quinctiliani judicio addito, qui dicit

a *Odiſſ. α. v.* 47. b *Liv. Epit.* 59. c *Plut. Ibid. Vell. Paterc. L. II. c.* 4. *Val. Max. L. V. c.* 2. *n.* 3. *Cic. de Orat. L. II. c.* 25. d *Cic. pro domo c.* 34. *pro Planc. c.* 36.

dicit [a], „ nequaquam Naſicam exemplo „ Ahalæ [b] defendi poſſe, a quo Melius eſt „ interfectus: Melium regni affectatorem „ fuiſſe: a Graccho leges modo latas eſſe „ populares: Ahalam Magiſtrum Equi- „ tum fuiſſe: Naſicam privatum. “ Sed aliquid adhuc de hac cauſſa ad caput ſequens erit dicendum: & ob affinitatem materiæ turbæ paulo poſt ſecutæ jam narratis melius jungentur; ſi prius aliquid de morte Scipionis Africani dixerimus.

*§. 5. Mors Scipionis Africani.*

§. V. Vidimus enim liberrime eum apud Populum de cæde Ti. Gracchi fuiſſe locutum: ſed hæc libertas, vel forte ipſa Gracchanæ factionis oppreſſio funeſta Scipioni fuit. Niſi dicamus, fato fuiſſe exſtinctum, gravemque de ejus morte fuiſſe opinionem, quod plerumque in magnorum virorum morte, ſiquidem extraordinarium quid habet, eſſe ſolet. Nam, cum anno Urbis ſexcenteſimo vigeſimo quarto acriter ſe diviſioni agrorum & plebi Romanæ oppoſuiſſet, magna frequentia Senatorum, aliorumque civium Romanorum, & maxime ſociorum Latini nominis domum deductus poſtridie mane in lectulo mortuus eſt inventus. Quidam, nulla in cadavere ejus vulnerum veſtigia apparuiſſe ſcribunt [c]. Alii eliſarum faucium in cervice notas repertas dicunt [d]. Nec de auctoribus etiam tanti facinoris convenit. *A. U. 624.*



a *Inſtitt. Orat. L. V. c.* 13. b *Vid. Supr. L. II. c.* 4. *§.* 2. c *App. Al. Civ. L. I. v.* 361. d *Vell. Paterc. L. II. c.* 4.

Fuerunt enim, qui ipſam Corneliam Gracchorum matrem ſuſpectam habuerunt: imo adjutam eam crediderunt a Sempronia Scipionis uxore, quæ ſoror, ut vidimus, Gracchorum erat: quæque ob deformitatem ac ſterilitatem neque amabatur a Scipione, neque eum amabat [a]. Atque hanc ipſi cauſſam mortis fuiſſe etiam Cicero innuere videtur [b]. Apud eundem tamen Pompejus refertur [c] dixiſſe, a C. Carbone, qui Triumvir agris dividundis lege Sempronia creatus erat, interemptum fuiſſe Africanum: & idem dicentem Craſſum inducit *L. II. de Oratore c.* 40. [d] Plutarchus, magnam etiam ſuſpicionem fuiſſe dicit [e] de M. Fulvio, qui unus ex Triumviris erat, & qui eodem die pro roſtris Scipionem conviciis proſciderat. Nec deſunt [f], qui ab ignotis noctu per poſticum inductis ſuffocatum ferant: neque ſervos id prodere fuiſſe auſos, quod ſcirent, Populum inſenſum ejus morte gaudere. De tanti viri morte nulla habita eſt quæſtio [g], plebe illud judicium interpellante, ne Gracchus ejus culpæ affinis deprehenderetur [h].

a *App. Alex. Ibid.* b *Somn. Scip. c. 2. Vid. & Livi. epit.* 59 c *ad Quint fratr L. II. ep.* 3. d *Vid. & omnino Cic. Fam. L. II. n.* 12. e *Gracch. p. m.* 839. f *App. Al. d. l.* g *Vell. Paterc. l. d.* h *Plut. l. prox. d.*

CA-

## CAPUT TERTIUM.

### *De ſeditione C. Gracchi.*

§. I. Non multos porro annos C. Gracchus fratri ſuo ſupervixit, triſtem ex eadem, qua frater, cauſſa vitæ exitum ſortitus: Nam jam anno Urbis ſexcenteſimo vigeſimo quarto, ut diximus, graves motus ex agrorum diviſione orti fuerunt: eratque Gracchus unus ex Triumviris ei diviſioni præfectis. Neque aliter fieri poterat, quin graves rixæ inter eos, qui longa poſſeſſione agrorum, quos uſurpaverant, dejiciebantur, & illos, qui eos agros jam accipiebant, orirentur. Et tamen neceſſaria videbatur multorum in Republica prave factorum emendatio: ita ut minus mirum ſit, Gracchos, & præcipue Cajum (cujus laudes etiam inimici celebrarunt) plebem ab injuriis optimatium vindicare voluiſſe, quam quod eorum oppreſſionem tamdiu plebs perferre valuerit. Paucorum enim hoc tempore arbitrio belli domique reſpublica agitabatur [a]: penes eoſdem ærarium, provinciæ, magiſtratus, gloriæ triumphique: Populus militia atque inopia urgebatur; prædas bellicas Imperatores cum paucis diripiebant. Interea parentes, aut parvi liberi militum, uti quiſque potentiorum confinis erat, ſedibus pellebantur. Ita

*§. I. Origo hujus ſeditionis.*

*A. U.* 624.



a *Salluſt. Jug. c.* 41. *Vid. Iſ. Voſſium de magnit. U. R. cap.* 6.

cum potentia, avaritia ſine modo, modeſtiaque invadere, polluere, & vaſtare omnia, nihil penſi, neque ſancti habere, quoad ſemet ipſa præcipitavit. Hos autem mores ferre non potuit Gracchus, quippe qui ipſe eſſet frugaliſſimus [a]: cujus virtutis, & aliarum plurium egregium edidit ſpecimen cum Quæſtor cum Conſule Oreſte in Sardiniam (rebellaverant enim Sardi) miſſus foret; licet vitam otioſam potius ſectaturus fuiſſe videatur, ni potior Reipublicæ apud eum, quam ſui commodi, ratio fuiſſet. Eadem publici commodi cauſſa eum perpulit, ut, ante quam in provinciam proficiſceretur, diſſuaderet legem M. Junii Penni Tribuni plebis, qua peregrini Urbe prohibebantur [b]: quæ tamen perlata fuiſſe videtur. In Quæſtura quoque ſibi gratiam Populi conciliavit: quod, cum civitates Sardiniæ permittente Senatu Romano veſtem militibus præbere recuſarent, morbos, aliaſque miſerias ſuas prætexentes, ipſe Cajus ſingulas civitates adeundo eas permovit, ut militibus opem ferrent [c]; ita ut optimates a populari adeo animo jam ſibi timerent: & Senatusconſulto Oreſtes cum Gracco in provincia manere juberentur; cum exercitui tamen, qui in ea provincia erat, alius exercitus ſubmitteretur. At Gracchus generoſa animi indignatione ob illam injuriam motus Romam diſceſſit: cum-

que

a *Plut. Gracch. p. m. 835. Gell. L. XV. cap. 2.*
b *Cic. Bruto c. 28. & Off. III. 11. Feſt. V. Reſpublicas.* c *Plut. l. c.*

que propterea ipſi dies apud Cenſores eſſet dicta, injuriam ſibi factam eſſe, luculenta oratione Populum docuit, cum jam per biennium [a] in provincia fuiſſet, unde per leges anno exacto redire licuerit: ſumma ſe præterea abſtinentia in provincia egiſſe oſtendens. Cumque ſe ita purgaſſet plebis tribunatum petiit, & obtinuit incredibili Italicorum hominum ſuffragatione [b].

§. II. Tribunatum adeptus ſtatim eloquentiſſimis orationibus præparatis Populi animis legem promulgavit, „ ut, ſi „ cui Populus magiſtratum abrogaſſet, „ ei ad alterum magiſtratum non eſſet aditus [c], “ Et item alteram, „ uti, ſi quis magiſtratus „ de capite civis Romani injuſſu Populi judicaſſet, de ejus capite Populi eſſet animadverſio [d].“ Quarum legum altera Octavium petebat, cui ut vidimus [e], rogante Ti. Graccho Populus magiſtratum abrogaverat: altera tenebatur Popillius, qui in Prætura amicos Ti. Gracchi in exſilium egerat [f]. Popillius non exſpectato judicio ſolum vertit: Octavium vero matris Corneliæ precibus Cajus dedit. Hinc porro in commodum plebis, & ad infringendam Senatus potentiam etiam alias leges Populo gratas (nec eo minus æquas) tulit. Imprimis agrariam

*§. 2. Leges a C. Graccho latæ.*

a *ipſe ap. Gell. L. XV. c. 12. Plut. dicit triennium, itaut alteruter vel erraverit, vel hodie corrupte legatur.* b *Plut. d. l. p. m.* 836. c *Plut. Ibid.* d *Vid. Cic. pro C. Rabir. perd. reo cap.* 4. e *Vid. cap. præc.* §. 3. f *Ibid.* §. 4.

riam fratris renovavit; addiditque: "ut viæ per Italiam munirentur, curarenturque." Opus certe magno ejus animo dignum, & in quo non uſus magis, quam ornamenti & decori curam gereret [a]: niſi forte credimus, eum hac ratione homines manuum opera victum ſibi quærentes devincire ſibi voluiſſe; ut ad omnem eventum eos paratos & ſibi devotos haberet. Eadem ratione motus etiam *legem frumentariam* creditur tuliſſe, qua civibus tenuioribus frumentum minimo pretio, ſemiſſe [b] nempe & triente [c] diſtribuendum curavit [d]: qua largitione cum ærarium exhauſiſſe dicit Cicero *Officio. L. II. c.* 21. Et ita etiam homines a labore & induſtria ad deſidiam & otium avocaſſe [e] videbatur. Itaque lex perlata fuit invitis Patribus, brevi tamen tempore abroganda: Et quoniam de re frumentaria nobis ſermo eſt, addendum etiam eſt pulcherrimum Senatusconſultum, quod Graccho ſuadente factum eſt; quum enim Fabius Hiſpaniæ Proprætor frumentum provincialibus extortum Romam miſiſſet, auctor fuit Gracchus diſtracto frumento pretium civitatibus remittendi; caſtigandique Fabium, quod intolerandum ſociis Ro-

a *Plut. d. l. p.* 837. *ſq.* b *Liv. epit.* 60. c *Paulo plus hoc* 3. *noſtris denis in modum* d *Cic. Tuſc. Quæſt. L. III. c.* 20. *Vell. Pat. L. II. c.* 6. *App. Al. civ. L. I. n.* 362. *Feſt. V. Sempronia. et. Contaren. de frument. Rom. larg. cap.* 2. *T. VIII. Theſ. Græ. Cic. Heren. L. I. c.* 12. e *Cic. pro Sext. c.* 48.

Romanum imperium redderet [a]: quæ res etiam apud provinciales magnam ei gratiam conciliavit. Sed præterea etiam legem tulit de Attali Regis hæreditate, „ ut agri regii in Aſia publicanis locarentur [b]; idque vectigal in alimenta plebis expenderetur.“ Tum militaris veſtis publice & gratis militibus præberetur; neve quis minor annis ſeptemdecim nomen militiæ dare cogeretur [c]. “ Præcipua tamen omnium, quas hoc anno tulit, legum fuit, „ ut ex confuſis quinque claſſibus ordine ſortis centuriæ ad ſuffragia vocarentur [d]: “ qua lege ditioribus plane poteſtas illa ſuprema, quam hactenus in Republica obtinuerant, eripiebatur. Nam, ſi juxta ordinem claſſium & centuriarum ſuffragia inirentur omnis poteſtas penes ſolos erat ditiores; cum eorum plures eſſent centuriæ, quam omnium aliorum minus divitum; quemadmodum ſuperius diximus [e]: ex Gracchi vero inſtitutione comitia magis quam antea in tenuiorum poteſtate erant futura, licet etiam ſic ditiores, quod eorum plures eſſent centuriæ, majorem poteſtatem obtinerent. Et has quidem leges in primo ſuo tribunatu promulgaſſe videtur [f].

§. III. Sed cum ita Populi gratiam effertiſſimam obtinuiſſet in annum ſequentem

*§. 3. Alteri tribunatus C. Grac-*

a *Plut. Gracch. p. m.* 837. *C.* b *Cic. in Verr. L. III. cap.* 6. *in Rull. Or. I. cap.* 7. *Flor. L. III. cap.* 15.
c *Plut. Ibid.* d *Salluſt. de Rep. Ord. Or. II.* e *L. I. c. VI. p.* 53. f *Vid. App. Alex. Civ. L. n. I.* 362.

*chi, & leges in eo lata.*
*A.U. 631.*

tem iterum Tribunus plebis creatur cum jam lata lex fuiſſet, „ ut, ſi Tribunus pl. tempore opus habeat ad ea præſtanda, quæ Populo promiſerit, etiam in annum ſequentem Tribunus creari poſſit [a]. " Eumque honorem adeptus aliquot adhuc leges populares tulit; & præcipue judiciariam; qua *judicia a Senatu ad Equites transferebat*. Sed, antequam pergamus, breviter hac occaſione explicandum videtur, apud quos ordines variis temporibus judicia apud Romanos fuerint. Nam ab initio quidem Reipublicæ ad C. Gracchi tribunatum uſque penes ſolos Senatores judicandi munus fuiſſe legimus [b]. Sed cum turpiſſime hac ſua poteſtate Senatores abuterentur, C. Gracchus primum lege lata judicia a Senatu ad equites tranſtulit [c]: non vero cum equitibus tantum communicavit, ut male in *Gracchorum vitis* narrat Plutarchus: licet ipſi etiam Appianus Alexandrinus aſſentiatur. Atque ita aliquanto tempore ſumma cum laude judicarunt [d]. Verum cum mox, ut ingenium hominum proclive eſt a virtutibus ad vitia, etiam Equites ea pote-

a *App. Alex. Ibid.* b *Polyb. L. VI. c. 15. Dion. Hal. L. III. c. 9. & 14. Vid. eund. L. VI. c. 66.* c *Vell. Pater. L. II. c. 6. Et huc referend. videtur locus Varr. quem citat Zamoſcius de Sex. B. L. I. c. 15. ſed ubi in ed. Durdr. p. 66. & In edd. Nonii datis ab H. Junio & D. Gothefr. nomen Gracchi non legitur.* d *Cic. pro Font. c. 8.*

poteſtate abuterentur, a Anno Urbis ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo Q. Servilius Cæpio Conſul ea inter utrumque ordinem communicavit b: licet hoc ab illo verbo magis quam re fuiſſe factum ex Tacito appareat: nam re ipſa omnem poteſtatem ad Senatum tranſtuliſſe patet; quod *Senatus patronus* dictus fuerit teſte Valerio Max. *L. VI. c. 9. ex.* 13. qui de ejus appellationis cauſſa minus recte loquitur. Itaque poſt biennium (A. U. *649.*) alter Servilius, cui cognomen erat *Glaucia* Tribunus plebis (alii in Prætura ejus id factum putant c) lege ſua ſolis Equitibus judicandi lites tribuit facultatem. Anno ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo M. Livius Druſus Tribunus plebis judicia Senatui reſtituere conatus eſt; ſed fruſtra; ut latius ſuo loco narrabitur. Igitur adjuvantibus nobilibus Anno ſexcenteſimo ſexageſimo quarto M. Plautius Sylvanus Tribunus plebis ſua lege juſſit, „ut ſingulæ tribus ex ſuo corpore quin„decim legerent, qui eo anno judica„rent d: ita ut in eo numero etiam eſ„ſent Senatores; & ex ipſa quoque plebe aliqui." Et tum etiam liberti ad judicandum admiſſi videntur. e. Verum plebi & Equitibus infenſiſſimus L. Sulla Dictator Anno Urbis 672. voluit, ut

a *App. Alex. l. prox. d.* b *Cic. fragm. Or. pro Scauro p.* 1006. *ed. Grav. Obſeq. de prod. c.* 40. *Caſſiod. Chron.* c *Vid. Patric. ad d. Cic. fragm. Sigon. de ant. jure civ. Rom. L. II. c.* 15. d *Aſcon. in Corn. I. p.* 972. *edit. Grav.* e *Cic. pro Cluent. c.* 42.

*ut judicia penes ſolos Senatores eſſent: utque ex judicibus ſelectis nemini amplius quam trium judicium rejicendi poteſtas foret*. a. Sed cum Senatores ob infamiam judiciorum ſumma rurſus invidia flagrarent L. Aurelius Cotta Prætor Anno Urbis 683. Pompejo Craſſoque Conſulibus legem tulit b, " ut judicia Senatoribus, " Equitibus & Tribunis ærarii communicarentur c; " (erant hi honeſtioris *in plebe* ordinis, & loci commodioris d) ut ita rurſus ex tribus Populi Romani ordinibus cauſſas judicaturi deſumerentur. Dico, fuiſſe *ex plebe*: nam Cicero e varios ordines Populi Romani recenſens diſerte eos a Senatoribus & Equitibus diſtinguit. Eandemque fere legem in Conſulatu ſuo ſecundo f A. U. 698. Pompejus Magnus retulit, nempe, " Ut ampliſſimo ex cen-" ſu, ex centuriis, aliter quam antea " lecti judices, æque tamen ex illis tribus " ordinibus, res judicarent g. " Idem-" que numerum judicum fecit CCCLX h. Sed Julius Cæſar anno Urbis ſeptingeſimo ſeptimo iterum Tribunos ærarii a judiciis amovit i. & poſt biennium, cæſo jam Cæſare, M. Antonius Conſul duobus a Cæſare relictis ordinibus tertium centurionum adjecit, & manipularium

a *Cic. Verr. L. II. c.* 31. b *Vid. Cic in Piſ. c.* 39. *& ibi Aſcon.* c *Vid. Juven. Sat. VII. v.* 228. d *Dio L.* 43. *circa med.* e *in Catil. Or. IV. c.* 7. f *Dio L. XL. c.* g *Aſcon ad Or. in Piſ. c.* 39. h *Vell. Pat. L. II. c.* 76. *Vid. Plut. Pomp. p. m.* 649. i *Suet. Jul. c.* 41.

rium militum legionis *Alaudæ* [a]. Sed Antonio hoſte judicato ad Tribunos judicia rediiſſe videntur. Tandem, ut abſolvamus, quæ de judiciorum conſtitutione hic dicenda erant, Auguſtus ad tres judicum decurias, Senatorum nempe, Equitum & Tribunorum, quartam adjecit, quæ de levioribus ſummis judicaret [b]; & *ducenariorum* decuria dicebatur, quod cenſum haberent *ducentorum millium H. S.* [c] qui dimidius erat cenſus equeſtris. Jam ad leges a C. Graccho latas revertamur. Ubi ſtatim videre poſſumus, quam non iniquus Senatui Gracchus fuerit [d]. Tanquam enim ſolatium ob amiſſa judicia ipſi præſtare vellet, legem pertulit, " Uti provinciæ quotannis a
,, Senatu conſtituerentur ante comitia [e],
,, vel eas jam obtinentibus prorogandæ;
,, vel deſignandis magiſtratibus in ſortem
,, mittendæ [f]. Neve quis deinceps Sena-
,, tusconſulto de provinciis intercederet: ,,
,, quod ultimum tamen de conſularibus tantum provinciis eſt intelligendum [g]. Qua ſane lege Senatus auctoritatem non tantum confirmavit; ſed etiam egregie auxit, unde quoque hæc lex ad monarchiæ uſque tempora ſubſtitit [h]. Tertia lex, quam in ſecundo ſuo tribunatu C. Grac-

a *Cic. Phil. I. c. 8. V. c. 5. XIII. c. 2.* b *Suet. Aug. c. 32.* c *Græv. ad d. Suet. l.* d *Vid. Flor. L. III. c. 13. Cic. pro domo c. 9.* e *Ib. & pro Balbo c. 27. de prov. Conſ. c. 2.* f *Vid. eund. in Vatin. c. 15.* g *Id. de Conſ. c. 7.* h *Salluſt. Jug. c. 27.*

Gracchus tulit, fuit, „ Ut ſociis Ita-
„ licis (& uſque ad Alpes pene Ita-
„ liam extendebat [a]) æque ac civibus
„ Romanis jus ſuffragii eſſet in legibus
„ jubendis [b]. Utque Capuam, Taren-
„ tum, alioque extra Italiam, coloniæ;
„ ſex millia civium, totidemque ſociorum
„ deducerentur [c]. " Ex hac tandem lege maxime veritus Senatus, (licet jam antea Graccho adverſaretur) ne vires Gracchi inſuperabiles evaderent; popularitate cum eo certare inſtituit: negotiumque dedit Livio Druſo Tribuno plebis, ut & ipſe legibus popularibus, blanditiis, quavis denique ratione Populi gratiam demereri conaretur: unde patet, non tam leges Gracchi, quam ipſum Gracchum, Senatui exoſum fuiſſe. Ergo etiam Druſus (cujus filius poſtea A. U. 662. leges Gracchanis ſimillimas tulit) leges promulgavit [d], „ Ne quem ex ſociis Latini nomi-
„ nis in exercitu virgis cædere liceret.
„ Ut duodecim coloniæ deducerentur:
„ inque ſingulas mitterentur terna mil-
„ lia civium Romanorum. Ut vectigal a-
„ gris lege Sempronia diviſis dividundiſ-
„ ve impoſitum plebi remitteretur. Ut
„ Decemviri agris dividundis crearentur.
Quæ ultima lex apud ſcriptores quidem rerum Romanarum non reperitur: ſed ejus mentionem in vetere tabula ænea inveniſſe ſe teſtatur P. Manutius *de legibus*

a *Vell. Paterc. L. II. c.* 6. b *App. Alex. Civ. L. I. n.* 393. c *Plut. Gracch. p. m.* 838. d *Plut. Ibid.*

*bus Rom. c.* 13. Ita conſilio ſceleſtiſſimo, ut aperte, & prout res meretur, loquamur, C. Graccho viro optimo Senatus Druſum ſociorum corruptorem, & veris plebis commodis adverſantem ſubornavit. Pertulit, ut facile credi poteſt, ſummo plebis ſtudio leges ſuas Druſus, quod ſe illud ex Senatus auctoritate facere oſtenderet: quem ita nihilo minus quam erat Gracchus de commodis plebis ſollicitum eſſe, docere conabatur: Atque ita plebe Senatui reconciliata ſummum Gracchanarum legum peperit faſtidium [a]. Unde iterum (Vid. *ſupr. L. VI. c.* VI. §. 2. Cicero optimatibus velificans, *Druſum vulnera ſanaſſe* dicit [b], *quæ C. Gracchus Reipublicæ imponebat*. Et alibi [c], *M. Druſum collegam ſuum C. Gracchum in tribunatu fregiſſe* pronunciat: ut quidem recte in citato ad marginem paginæ Ciceronis loco legiſſe videntur *Victor Piſanus* & *Corradus*: eoſque ſecuti *Lambinus* & Pighius. In eo certe Druſus Graccho ſive callidior fuit, ſive minus gloriæ & opum appetens, quod nihil ſibi, aut in ſuum uſum promulgare videretur: cum, uno ex Tribunorum plebis collegio *Q. Rubrio* legem ferente de colonia in ſolum Carthaginis a Scipione deletæ deducenda, triumvirum ſe ad eam deductionem creari paſſus ſit Gracchus, ſimul cum Fulvio Flacco, qui A. U. 628. Conſul fuerat: quique multis nominibus, ſed ſine ullo argumento, Senatui erat ſuſpectus; ita



a *Vid. Plut. Gracch. p. m.* 839. b *de Fin. L. IV. c.* 24. c *de clar. Orat. c.* 28.

ut ejus invidia multum ad perniciem Gracchi contulerit: præſertim cum imprudentia ſua malignos, qui de ſe ferebantur, rumores confirmaret. Atque ita inſtaurata eſt Carthago anno poſtquam everſa fuerat a Scipione vigeſimo ſecundo. Verum brevi reverſus eſt Gracchus, ut ſe L. Opimio viro, ut ex Plutarcho patet, & ex rebus geſtis confirmari poteſt, improbo Conſulatum petenti opponeret. Atque tum iterum legem *de ſuffragio ſociis dando* tuliſſe videtur [a]: ſed volente Senatu Fannius Conſul ſocios Italicos edicto propoſito Romæ comitiorum die eſſe vetuit: cui ſuum edictum oppoſuit Gracchus auxilium ſociis, ſi Romæ manſiſſent, promittens. At hic promiſſis non ſtetit; ſive quod auctoritatem ſuam imminutam ſenſerat; ſive, ne pugnandi cupidis inimicis ſuis illam occaſionem daret. Aliam adhuc offenſionem contraxit, dum eorum, qui ſecum magiſtratum gerebant, ſordidæ avaritiæ ſe opponit. Futuris enim in foro gladiatoribus magiſtratus illi cuneos in orbem ad ſpectandum ſtruxerant, quos locarent. Indigne has ſordes ferens Gracchus cum fruſtra, *ut tollerentur*, monuiſſet, noctu per opifices ſuos cuneos deturbavit: quod factum plebi quidem generoſum eſſe apparuit; collegis vero ejus violentum.

*§. 4. Exitus C. Gracchi.*

§. IV. Atque ea res exitum ejus maturavit: nam multi auctores ſunt, Gracchum

a *Plut. p. m. 839. F.*

chum cum tertio tribunatum peteret fraude collegarum non obtinuiſſe, licet plurima ſuffragia tuliſſet. Nec eo contenti plurimas leges ejus abrogare inimici conabantur, ſeditionis maxime occaſionem quærentes [a]. Et primum quidem has omnes injurias conſtanti animo Gracchus pertulit: ſed demum monentibus amicis & auxiliante matre Cornelia (ſed, ſi ejus eſt epiſtola, quam habet in fragm. Corn. Nepos, contrarium filio ſuaſit) ſubſidia adverſus Conſulem (ipſe jam Conſul erat Opimius) paravit. Cumque in forum deſcendiſſent, miniſter Conſulis contumelioſe Gracchanos compellans occiditur, inviтiſſimo Graccho, qui ita inimicis ſuis prætextum datum eſſe querebatur. Atque eo quidem die comitia dirempta ſunt. Poſtridie vero ad invidiam Graccho creandam interfecti miniſtri corpus ante curiam delatum eſt, diſſimulante eorum, quæ agerentur, ſcientiam Opimio. Itaque [b], licet plurimi artes principum deteſtarentur, Senatusconſultum illud extremæ neceſſitatis [c] factum eſt, *Videret Conſul Opimius*, (nam collega ejus Fabius ad bellum Gallicum abfuiſſe videtur) *ne quid Reſpublica detrimenti pateretur*. Cujus Senatusconſulti frequentior paullo in ſequentibus fit mentio, quia jam Dictatores creari non ſolebant: nam Sullæ & Cæſaris Dictaturæ legitimæ non fuerunt: Cum igitur Opimius denunciaſſet Patribus & Equiti- *A. U. 632.*

 bus,

a *Plut. Gracch. p. m.* 840. b *Ibid. p.* 841. c *Vid. Supr. L. I. c.* 2. §. 6. *Ibid. c.* 6. §. 5.

bus, ut arma caperent, etiam Fulvius Gracchi ſocius adverſus vim ſe paravit, turbamque contraxit. Gracchum foro diſcedentem multi ſecuti ſunt: & ea nocte ad fores ædium ejus taciti excubias egerunt. Fulvius vero cum ſuis vino merſus ferociterque in adverſarios debacchatus noctem tranſegit: cumque illuxiſſet Aventinum occupat. At Cajus togatus & parvo duntaxat pugione ſuccinctus nequicquam orante uxore, *ne ſe publico committeret*, in forum progreditur: atque ex ejus conſilio Fulvius filium minorem cum caduceo pacis inſigni ad Conſulem & Patres mittit. Opimius [a], licet pacem ſuaderent multi, juſſit, „ut tanquam ſontes „ſe ipſos traderent, Senatuſque iram de„precarentur.“ Paratus erat ad eam deprecationem faciendam Gracchus: ſed non permittentibus aliis rurſus Fulvius filium, qui pro ſe ageret, miſit. Sed Opimius pugnandi cupidus adoleſcentem in cuſtodiam trahit [b]: & ſtatim Fulvii cohortem disjicit, Fulvius balneo, in quod confugerat, extractus & cum filio occiſus eſt. Gracchus vero arma civilemque ſanguinem declinans in ædem Dianæ, quæ in Aventino erat, ſe recepit: cumque ibi manus ſibi inferre conaretur ab amicis prohibitus eſt, &, ut fugeret monitus. Supplex autem Deam precatus eſſe dicitur, ut pro ingrato iſto animo & proditione ſui perpetua Romani ſervi-

tute

a *Plut. d. l. p.* 842. b *App. Al. Civ. L. I. n.* 366.

premerentur. Nec defuit votis eventus, ut videbimus. Inde ad Tiberim fugit, hortantibuſque duobus, quos ſecum habebat, amicis pontem ſublicium tranſit, dum illi ſe inſequentibus Gracchum objiciunt, & memorando in omne ævum exemplo nemini viam dantes fortiſſime occumbunt [a]. Ita unum duntaxat famulum nomine *Philocratem* (alii [b] *Euphorum* vocant) comitem habens Gracchus in *Furinæ* lucum pervenit; & a ſervo ſe interimi jubet; qui mox ſuper domini corpus ſeipſum transfixit. Alii dicunt vivos eos fuiſſe aſſecutos hoſtes; ibique ſervum arcte adeo dominum ſuum fuiſſe amplexum, ut ille, niſi prius interfecto ſervo, occidi non potuerit. Amicorum fideliſſimorum nomina minus certa ſunt. Plutarchus *Pomponium* & *Licinium* vocat: pro Licinio *Lætorium* habent Val. Max. *L. IV. c. 7. ex.* 2. Sext. Aur. Victor, & Oroſius *L. V. c.* 12. Sed Plutarchi lectionem conjectura firmaverit, ſi forte Licinius ille frater, an cognatus, an gentilis ſaltem Liciniæ uxoris C. Gracchi fuerit. Et ultra mortem etiam inimicorum ſæviit Opimius, [c] perniciosiſſimo & mox ad imitationem trahendo exemplo Gracchi & Fulvii capita referentibus par auri pondus pollicitus: ac ingegnioſæ avaritiæ homo *Septimulejus* Opimii amicus [d] exempto cerebro plumbum capiti Gracchi infuderat.

 Cada-

a *Vell. Pat. L. II. c.* 6. b *Vell. Ib. Val. M. L. VI. c. 8. ex. 3. Aur. V. Et. Macr. Sat. L. I. c.* 11. c *Vid. Sall. Jug. c.* 16. d *Plut. d. l. p.* 142. *E. Plin, H. N. L. XXXIII. c.* 3.

Cadavera horum, & trium præterea millium, quos Opimii crudelitas interfecerat, in Tiberim tracta ſunt: bona omnium publicata. Adoleſcens etiam Fulvius, quem de pace acturum miſſum vidimus, licet octavum demum & decimum annum ageret, omniumque plane inſons foret, ab Opimio interemptus eſt [a]. Quin & conjugibus cæſorum luctus eſt interdictus; & Liciniæ Gracchi dos adempta [b]: licet P. Mucius Juriſconſultus cenſeret, *eam præſtari oportere* [c]. Sed Opimius (qui ex SCto luſtrata Urbe ædem, quam voverat Concordiæ, poſuit, indignantibus civibus, qui per cædes concordiam recte fundari poſſe non putabant. Plut. Gracch. f. App. Al. Civ. L. I. n. *366.*) non diu poſtea etiam apertius oſtendit, venale ſibi ad cuncta flagitia eſſe ingenium, quando anno Urbis ſexcenteſimo quadrageſimo legatus ad Jugurtham miſſus [d], ut regnum, quod Micipſa obtinuerat, inter Jugurtham & Adherbalem divideret, argento a Jugurtha corruptus famæ & fidei pecuniam prætulit. Ergo, licet per injuſtitiam temporum, cum reum eum egiſſet *Decius* Tribunus plebis, judicio de morte Gracchi fuiſſet abſolutus cauſſam ejus defendente C. Carbone [e], (qui Conſul anno ſexcenteſimo trigeſimo quarto ob turbulentiſſimum tribunatum plebis,

a *Vell. Pat. L. II. c. 7.* b *Plut. d. l.* c *l. 66. pr. ff. ſoluto matr.* d *Sall. Jug. c. 16. ſive 19. edit. I. VVaſſe.* e *Cic. de Orat. L. II. c. 25. & de clar. Orat. c. 34. Liv. epit. 61.*

bis, & mortis Africani invidiam, majeſtatis cum accuſante adoleſcente *L. Craſſo*, cantharidas ſumpſiſſe dicitur [a]: vel, ut alii, in exilium fuit miſſus [b]) tamen A. U. 643. captarum ab hoſte pecuniarum a *C. Mamilio Limetano* Tribuno plebis damnatus turpem ſenectutem egit [c]. An obiter addemus, in hujus conſulatu vini adeo generoſi fuiſſe proventum, ut *vinum Opimianum* proverbiali locutione pro *generoſiſſimo* dictum fuerit [d]? Hic exitus Gracchorum fuit meliore utique fato dignorum: ſed quos perdidit rigidæ virtutis ſtudium in civitate, quam nimia felicitas jam corruperat. Nam Tiberii quidem laudes initio jam hujus capitis vidimus: Cajus vero cunctis virtutibus ei ſimilis erat; laudiſque veræ cupidiſſimus, ita ut ſemper Senatui auctor eſſet rei alicujus, quæ tantum ordinem decebat [e]; ingenio etiam & eloquentia longe præſtantior [f]. Imo fuerunt, qui eum M. Tullio anteferre non dubitarent, quod refert & improbat Gellius [g]. Etiam Ciceroni *eloquentiſſimus* dicitur [h]: & idem, *Gracchorum conſiliis, ſapientia, legibus multas Reipublicæ partes conſtitutas aſſerit*

G 4

a *Cic. Fam. L. IX. n.* 21. b *Id. Bruto c.* 27. *Val. Max. L. II. c.* 7. *n.* 6. c *Plut. Gracch. p. m.* 843. d *Cic. Bruto c.* 83. *Vell. Pat. L. II. c.* 7. *Plin. H. N. L. XIV. c.* 4. & 14. *qui ſua ætate id ſuperfuiſſe dicit* e *Plut. p. m.* 837. f *Vell. L. II. c.* 6. *Liv. ep.* 60. *Gell. L. XI. c.* 13. g *L. X. c.* 3. h *de clar. Or. c.* 28.

*ſcrit* [a] : ac rurſus alibi [b] , *C. Gracchum nihil , quod ullam partem æquitatis aut juris haberet , reliquiſſe* , dicit : eumque *morte fraterna , pietate , dolore , magnitudine animi ad expetendas domeſtici ſanguinis pœnas fuiſſe excitatum* [c] . Sed , ut fuit Cicero ingenii non ſatis conſtantis , & gratiæ optimatum captator , aliis locis longe aliter & minus bene de Gracchis loquitur , ut quum in *Bruto c.* 33. ingenium quidem & eloquentiam C. Gracchi ſummis laudibus extollit : ſed ſimul queritur , *eum potius fratri , quam patriæ , pietatem præſtare voluiſſe* . Et ſimilia pluribus locis apud eum videri poſſunt [d] . Alibi [e] rurſus frumentariam C. Gracchi largitionem damnat : & , *capitalem eſſe orationem* dicit , *eam , quæ ad æquationem bonorum pertinet* . Contra laudibus extollit Opimium [f] , *civem* eum *præſtantiſſimum* appellans , & *virum præclare de Republica meritum* [g] : quæ laudes quomodo in ipſum quadrent ex jam dictis facile judicari poteſt ; quemadmodum etiam , penes Gracchoſne , an penes optimates cauſſa harum ſeditionum fuerit . Sed jam externa rurſus bella horum temporum videamus , cum prius verbulum adhuc de *fiſtula oratoria C. Gracchi* addiderimus . Narrat nempe Cicero [h] , & poſt eum alii

a *Or. II. in Rull. c. 5. omnino Ibid. c.* 29 b *pro C. Rabrio c. 5.* c *de Haruſp. reſp. c.* 20. d *Ibid. c.* 19. *in Rull l. 7. in Catil. I.* 1. *IV.* 2. e *de Offic. L. II. c.* 21. f *de clar. Orat. c.* 4. g *pro Sext. c.* 67. h *de Orat. L. III. c.* 60.

alii a. Gracchum, cum concionaretur, habuiſſe ad manum ſervum cum *eburneola fiſtula* peritum hominem, qui inflaret celeriter eum ſonum, quo illum aut remiſſum excitaret; aut a contentione revocaret.

## CAPUT QUARTUM.

### *Bella Gallica, Allobrogica, Liguſtica.*

§. I. ANno Urbis ſexcenteſimo vigeſimo *Salluvii* (*Salyes* alii vocant, ſed alterum prætulerim) Gallorum trans Alpes incolentium gens Maſſilienſes Romanorum ſocios invaſerunt b: idque ſatis commode Senatui Romano evenit; Nam M. Fulvius Flaccus Conſul Italicos ſocios inſtigabat, ut jus Romanæ civitatis peterent c. Et, cum ægre compulſus eſſet, ut in curiam veniret, partim monenti Senatui, partim oranti, ut incepto deſiſteret, reſponſum non dedit d. Sed occaſione belli Gallici oblata ſponte urbanas actiones triumphi adipiſcendi ſpe deſeruit: ac in Galliam profectus fortiter cum hoſtibus Maſſilienſium Liguribus, Vocontiis Salluviiſque rem geſſit; ſi ſaltem honor ipſi non præter merita datus fuit: nam de iis gentibus triumphaſſe ex faſtis Conſularibus diximus e: idque etiam

*§. I. Bellum cum Gallis Salluviis & aliis. A. U. 628.*

a *Quintil. L. I. c. 20. Gell. L. I. c. 11.* b *Flor. L. III. c. 2.* c *Plut. Gracch. p. m. 839. App. Al. Civ. L. I. n. 562.* d *Val. Max. L. IX. c. 5. n. 1.* e *Vid. & Amm. Marcell. L. XV. c. 10. Jul. Obſeq. c. 84 I.*

iam ex Vellejo [a], & Plutarcho [b] colligi poteſt. Et ſane Livius primum omnium Fulvium Gallos Tranſalpinos bello domuiſſe ſcriptum reliquit [c] ſed jam etiam anno præcedente a *C. Sextio Calvino* Conſule victi fuerant: iſque in eorum agrum coloniam deduxit a nomine ſuo appellatam. *Aquas* enim *Sextias* nomen habuit; *quod aquarum ſalubrium ibi eſſet copia* [d]: ex quibus vocibus hodiernum nomen *Aix* eſt contractum.

§. 2. *Bellum Allobrogicum.*

§. II. Inde cum Arvernis & Allobrogibus bellum fuit geſtum; quæ interioris Galliæ gens fuit: habitabat enim fere, qua hodie Delphinatus & Sabaudia regiones ad lacum uſque Lemanum incoluntur. Cauſſa belli fuit [e], quod *Teutomallum* Salluviorum Regem fugientem recepiſſent, & omni ope juviſſent: tum quod *Æduorum*, ſociorum Populi Romani, agros vaſtaſſent. ( Æduos in arctiſſimam ſocietatem acceperant Romani, ita ut *fratres* dicerentur [f]. ) Et notavit Obſequens ( c. 30. ) Anno Urbis 631. jam victas fuiſſe has gentes: quo anno cum C Fannio Conſul fuit Cn. Domitius Ahenobarbus. ( Hic *Neronis* Imperatoris fuit atavus [g]. ) Et Domitium ſane feliciter res geſſiſſe tabulæ triumphales oſtendunt: ex quibus anno

a *L. II. c.* 6. b *Gracch. p. m.* 841. c *epit.* 60. d *Liv. epit.* 61. *Strabo L. IV. n.* 178. *Faſti Caſſiod.* e *Liv. d. l.* f *Cic. Fam. L. VII. n.* 10. *ad Att, L. I. n.* 18. *non ſine joco. Cæſ. B. G. L. I. c.* 43. *Tacit Ann. L. XI. c.* 25. *Plut. Cæſ. p. m.* 720, g *Suet. Ner. c.* 2.

anno Urbis 633. triumphaſſe deprehenditur: quod idem etiam ex Eutropio [a] colligi poteſt: licet ibi Conſulum nomina minus recte legantur; (Pighius ad A. U. 631. reſtituere eum locum conatur) & ipſa etiam rerum narratio eſt confuſa. Et longe magis in diverſum abit Valerius Maximus [b]; qui plane alios auctores ſecutus fuiſſe videtur. Cum tamen belli moles ingraveſceret, Anno 632. Q. Fabio Maximo Conſuli (fuit hic filius fratris P. Africani Æmiliani) Gallia provincia obvenit; licet etiam Domitio in eadem provincia imperium prorogatum eſſet. Et adeo cum parvo exercitu Gallis occurrit Fabius, ut Rex eorum *Betultus* (ita eſt in faſtis Capitolinis, quod Pighius putat lingua Celtica fuiſſe *Betultich*, quaſi *patientem*, vel *modeſtum* dicas) jactaret, „ paucitatem Romanorum vix ad eſcam canibus, quos „ in agmine habebat, ſuffecturam eſſe.“ Itaque ultro etiam Rhodanum ponte ex lintribus facto tranſit Romanos invaſurus. Sed poſt acrem pugnam Galli in fugam converſi ſunt: & feſtinato tranſitu pontem nimium onerantes ejus vincula ruperunt; ita ut plurimi mergerentur. Ex centum igitur octogintaquinque millibus, quæ in exercitu habuiſſe Betultus dicebatur, centum quinquaginta millia vel cæſa vel merſa fuiſſe feruntur. Plinius [c] Appianuſque Alexan-

a *L.IV.c.22.* b *L.IX.c.6.n.6. Sed vid. Pigh. Ann. ad A.632.p.72.* c *H.N.L.VII.c.50.*

xandrinus [a] cæſorum numerum paullo minorem faciunt: & memoratu dignum eſt, quod prior addit, Fabium Conſulem, cum quartana febri laboraret, ea in acie fuiſſe liberatum. Strabo vero, Fabium non totis triginta millibus ducenta millia Gallorum concidiſſe ſcribit [b]. Betultus amiſſo exercitu Romam profectus eſt, ut Senatui ſatisfaceret: ſed quia contra pacem provinciæ videbatur, ut in Galliam remitteretur, Albæ in cuſtodiam datus eſt. Decretum quoque eſt, ut *Congentiacus* filius ejus comprehenſus Romam mitteretur. Domitius & Fabius in ipſis, quibus dimicaverant, locis ſaxeas erexere turres, & deſuper exornata armis hoſtilibus tropæa fixerunt, more tamen Romanis inuſitato [c]. Et Domitium etiam, cum elephantorum ope maxime adjutus in acie fuiſſet [d], elephanto per provinciam vectum turba militum, quaſi inter ſolemnia triumphi proſequente, Suetonius auctor eſt [e]. Sed tamen Urbem quoque triumphantes intraſſe & Fabium & Domitium marmora Capitolina oſtendunt, Fabiumque Regem Betultum in triumphum duxiſſe. Et ad hunc Fabii triumphum, puto, referri poſſe denarium, quem exhibet Vaillantius [f], licet ipſe aliter ſentiat. Triumphi hi anno Urbis ſexcenteſimo triceſimo

tertio

a *in epit. Celticor.* b *L. IV. n. 185. & aliter etiam Liv. Epit. 61.* c *Flor. L. III. c. 2.* d *Oros. L. V. c. 13.* e *Nerone c. 2.* f *de fam. Rom. G. Fabia n. 17.*

tertio ſunt ducti. Julius Cæſar, [a], præter Allobroges ( nam hos in deditionem fuiſſe receptos narravit Livius) etiam Arvernos & *Rutenos* [b] a Fabio ſuperatos ſcribit; iiſque Populum Romanum ignoviſſe, neque in provinciam redegiſſe, neque ſtipendium impoſuiſſe. Sed tamen anno Urbis ſexcenteſimo trigeſimo quinto colonia *Narbo Martius* [c] ( ita dicta, ut videtur, a *Q. Marcio Rege*, qui Conſul ejus anni fuit) in Gallia deducta eſt [d], quæ *ſpecula Pòpuli Romani, ac propugnaculum iſtis ipſis nationibus oppoſitum & objectum* foret [e].

§. III. Et cum Gallis non tantum, ſed etiam cum Liguribus bellum geſſiſſe Marcium ex fragmentis faſtorum triumphalium diſcimus: ubi ejus triumphus de Liguribus *Stoenis* memoratur, qui Livio [f] Straboni *Stoni* dicuntur [g]; & ab hoc Geographorum principe ad *Tridentinas* Alpes collocari videntur; ita ut Ligures origine forte fuerint. In epitome Liviana *gens Alpina* dicitur. Oroſius [h] Gallos ſub Alpium radicibus poſitos expugnaſſe Marcium, & ad internecionem deleviſſe dicit: vel potius, ipſam gentem præ deſperatione ita in ſemet ipſam ſæviiſſe, ut ne parvulus quidem omnino ſuperfuerit, qui ſervitutis conditionem morti præferret. Anno ſequen-

*§. 3. Bellum Liguſticum. A.U. 636.*

b *de bell. Gall. L. I. c.* 41. b *le Diocèſe de Rodes.* c *Narbone.* d *Vell. Pat. L. I. c.* 15. *L. II. c.* 8. e *Cic. pro Font. c.* 1. f *Epit.* 62. g *L. IV. n.* 204. *nec multum diſſentire videtur Plin. L. . c. III* 20. h *L. V. c.* 15.

ſequente bellum cum Grajarum Alpium gentibus continuatum fuiſſe Pighius conjicit ex nummo *C. Licinii P. F. Getæ* (quod nomen alterius hujus anni Conſulis fuit) inſigne admodum tropæum præ ſe ferente [a]: præſertim cum etiam anno ſexcenteſimo trigeſimo octavo Gallia provincia conſularis fuerit: nam & Auctor *de viris illuſtribus M. Æmilium Scaurum* Conſulem Ligures & *Gantiſcos* (ignota quidem hæc gens eſt) domuiſſe, & tabulæ triumphales de Gallis *Karnis* eum triumphaſſe teſtantur. *Karni*, vel *Carni* etiam Alpinus populus fuit, ſed qui poſtea etiam maritimam oram Iſtriæ vicinam, vel eripuerunt Venetis, vel a Romanis in eam deducti poſſederunt. Veſtigia nominis ſervat in illis regionibus *Carniola*, *Germanis Krain*, Imperatori hodie Germanorum ſubdita provincia. Verum minus grave fuiſſe hoc bellum patet, quod milites ſuos laudatiſſimo illo Romanorum more in paludibus exſiccandis exercuerit [b]. Idem poſtea in Cenſura viam *Æmiliam* ſtravit, a ſuo nomine dictam [c], quæ per Etruriam Sabata uſque ferebat: & probe diſtinguenda eſt ab altera via ejuſdem nominis, quam ſtravit in Conſulatu ſuo Æmilius Lepidus A. U. 566., quæ viæ Flaminiæ Arimini juncta inde Aquilejam uſque extendebatur. Exemplum etiam in hoc viro obſervandum eſt diſciplinæ militaris ſanctiſſime cultæ; nam

a *Extat etiam ap. Vaill. G. Licinia n. 28.* b *Strabo L. V. n. 150.* c *Sext. Aur. Victor.*

nam tanta eo Imperatore diſciplinæ reverentia fuit [a], ut pomifera arbor, quam in pede caſtrorum fuerat complexa metatio, poſtero die abeunte exercitu intactis fructibus relicta fuerit. Tum præterea hunc celebrem illum fuiſſe Scaurum, qui ſæpe *Princeps Senatus* dicitur [b], quod dignitatem illam per aliquot luſtra obtinuerit. Obiter autem caſtigari debet Plutarchus, qui eum humili genere, & novum hominem fuiſſe dicit [c]: cum revera ex nobiliſſima fuerit Æmiliorum gente; ſed cujus domus propter paupertatem tribus ætatibus fere jacuerat; ita ut pater ejus carbonarium negotium exercuerit [d]. Poſt hanc victoriam ad Cimbrorum uſque adventum, ſive ad A. U. 644. quietæ res Galliæ fuerunt.

## CAPUT QUINTUM.

### *De bello Balearico, & cum Sardis.*

§. I. CUM Balearium inſularum incolæ piraticam exercendo mare infeſtum redderent, vel potius pauci quidam eorum cum piratis ſocietate facta conſpiraſſent, Q. Cæcilius Metellus Conſul anno Urbis ſexcenteſimo trigeſimo univerſos criminatus invaſit [e]; & gentem vix alio armo-

*§. I. Bellum Balearicum.*

*A. U. 630.*

a *Frontin. Stratag. L. IV. cap. 3. ex. 13.* b *Cic. pro C. Rabir. c. 7. Aſcon. Argum. Or. pro M. Scauro. Et princeps civitatis pro R. Deiot. c. 11.* c *de fortun. Rom. p. m. 318.* d *S. Aur. Victor. de vir. ill.* e *Strabo L. III. n. 167.*

armorum genere, niſi fundis, utentem facili negotio ſuperavit. Triumpho tamen res digna eſt viſa, quem A. U. 632. duxit. Neque illud tantum; ſed etiam a victis non magni momenti inſulis *Balearici* cognomen ſumpſit; videturque hæc Metellorum familia honorem illum a victa gente cognomen aſſumendi præ ceteris ambiiſſe, cum hujus etiam patrem *Macedonicum* dictum viderimus; & etiam frater hujus Balearici *Dalmaticus*, ejuſque filius *Creticus* dictus fuerit: quem male Florus Macedonici filium facit. Tum præterea *Numidicum* Metellum videbimus, qui fratris Metelli Macedonici fuit nepos.

*§. 2. Bellum cum Sardis.*

§. II. Vidimus ſupra L. V. c. 4. §. 8. Tiberium Gracchum de Sardis A. U. 578. triumphaſſe. Et inde per multos ſane annos quieta hæc inſula fuit, donec A. U. 627. rebellaret: & licet tum ab Aurelio Conſule ſubacti dicantur [a], tamen difficile bellum & longum fuiſſe inde coniicitur, quod in tabulis Capitolinis ad annum demum Urbis ſexcenteſimum trigeſimum primum triumphus Aurelii hujus ex Sardinia referatur. Imo anno rurſus ſexcenteſimo trigeſimo octavo conſularis provincia facta eſt Sardinia: & M. Cæcilii Metelli Proconſulis ex ea inſula triumphus in faſtis marmoreis ad annum ſexcenteſimum quadrageſimum recenſetur. Sed forte ab ipſis Præſidibus hæc bella ſu-

a *epit. Liv.* 60.

ſuſcitabantur: quemadmodum anno ſexcenteſimo quadrageſimo octavo T. Albucius bellum undique quærens cum *maſtrucatis* quibuſdam latrunculis [a] una cohorte auxiliaria res geſſit: ( *Maſtruca* erat veſtis e pellibus vilior [b]. ) unde non tantum ſupplicatio ipſi negata eſt: ſed etiam poſtulantibus Sardis reus eſt factus & damnatus [b]: Nec deinde de rebus Sardiniæ aliquid valde memorandum in hiſtoria reperitur; niſi forte notare velimus, anno ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo *M. Æmilium Scaurum*, qui Proprætore Sardiniam rexerat, arroganter adeo rapaciterque eam adminiſtraſſe, ut anno ſequente Sardis requirentibus a *P. Valerio Triario* repetundarum poſtulatus ſit, qui dicere non dubitavit, ſe non recuſare, quo minus Scaurus abſolveretur, ſi centum viginti homines nominare poſſet, quibus in provincia nihil abſtuliſſet [d]. Eum tamen defendere non dubitavit Cicero, & cauſſam obtinuit, Scauro ob vetuſtiſſimam nobilitatem & recentem memoriam patris, ut ferebatur, abſoluto [f]. Tanta iniquitas illorum temporum fuit.

a *Cic. de prov. conſ. cap. 7.* b *Id. fragm. Or. pro M. Scauro p. 1012. ed. Græv. Quintil. L. I. cap. 5.*
c *Cic. de l. de prov. conſ. & Div. in Verr. c. 19.*
d *Val. Max. L. VIII. c. 1. n. 10.* e *Vid. Aſcon. arg. or. pro Scauro. Cic. ad Att. L. IV. ep. 16.*

## CAPUT SEXTUM.

### *De bellis Illyricis, Dalmaticis, Thracicis.*

*§. 1. Bellum Illyr. & Dalmat.*

§. I. Quomodo Gentius Illyriorum Rex A. U. 585. a Romanis victus & triumphatus ſit dictum eſt ſupra *L. V. c. 6. §. 1.* & ſimul, tum provinciam illam ex quinque legatorum ſententia ordinatam fuiſſe. Atque ipſi quidem Illyrii patienter ſatis jugum Romanorum tulerunt; & per plures annos pa-
*A. U. 618.* cata ea provincia fuit: donec anno Urbis ſexcenteſimo decimo octavo Vardæi Illyricum infeſtare cœperunt: qui a Fulvio Flacco Conſule ſubacti [a], & ab ora maritima in interiora translati ſunt [b]. Sic in tabulis Capitolinis reperimus, C. Sempronium Tuditanum Conſulem anni ſexcenteſimi vigeſimi quarti de Japidibus triumphaſſe; qui ex gentibus Illyricis Italiæ, vel Iſtriæ proximi habitabant. Compendium Livianum nos docet, eum primo rem male geſſiſſe: mox victoria cladem acceptam emendaſſe: & maxime eo bello enituiſſe virtutem D. Bruti, illius qui Luſitaniam ſubegerat. Poſt decennium rurſus Metellus Conſul Segeſtanos Illyrici populos in Pannoniæ finibus ſitos bellum moventes, an a Romanis ultro illatum propulſantes (auctores enim rerum

a *Liv. epit. 56.* b *Strabo L. VII. n. 315. ſiquidem de hoc tempore locus ille eſt intelligendus.*

rerum Romanarum hic nos deſtituunt [a]) haud difficili victoria compeſcuit. Inde ſola triumphi cupidine ductus quietis Dalmatis bellum intulit, cum ab his amice fuiſſet ſuſceptus. Et forte ſatis grave tum id bellum fuit, cum non tantum triumphus Metello decretus ſit & cognomen *Dalmatici* ab eo aſſumptum; ſed etiam magnas manubias retulerit [b]: licet fatear, priora illa facile ambitioni, poſtremum ſoli rapacitati Metelli adſcribi poſſe. Finitima porro cum Thracibus & præcipue Scordiſcis bella videamus.

§. II. Thraces, latrociniis aſſueta gens, circa hæc tempora non tantum proximas provincias, ſed ipſam etiam Theſſaliam & Dalmatiam incurrebant; & ad Adriaticum uſque mare penetraverant [c]. Adverſus eos anno Urbis ſexcenteſimo trigeſimo nono miſſus fuit *C. Cato*, qui Priſci illius Catonis fuit nepos, (filius M. Catonis, qui Prætor deſignatus vivo patre obiit [d]; quique egregios de jure civili libros reliquiſſe dicitur [e]) & etiam ad exemplum avi multas orationes ſcriptas reliquit. Sed is non modo fuſus a Thracibus & fugatus fuit; verum omnino totus interceptus exercitus, quem duxerat [f]. At eodem anno T. Didius Prætor diffuſos Scordiſcos intra ſuam repulit Thraciam: triumphumque de iis duxiſſe videtur [g].

*§. 2. Bella cum Thracibus.*

*A. U. 635.*

H 2 Quem-

a *V. d. Pighii ann. ad h. annum.* b *Cic. in Verr. L. I. c. 59. & ibi Aſc.* c *Flor. L. III. c. 4.* d *Vid. Cic. de Senect. inf.* e *Gell. Noct. Att. L. XIII. c. 19.* f *Flor. d. l. Eutrop. L. IV. c. 24.* g *Cic. in Piſ. c. 25.*

Quemadmodum etiam M. Livius Druſus Conſul ulterius eos egit, Danubiumque tranſire vetuit [a]. Tamen rurſus anno ſexcenteſimo quadrageſimo quarto M. Minucius Rufus Proconſul contra Scordiſcos & Triballos proſpere pugnavit, non ſine ſummo tamen ſuo periculo, multis ſuorum amiſſis dum per infidum glacie fluvium equitatum ducit. Triumphum Minucio ob hanc victoriam fuiſſe decretum docent Vellejus [b], & denarii in hujus triumphi memoriam cuſi [c]. Quæ porro in his regionibus bella geſta fuerunt, commodius ad ſequentem librum referrentur. Videamus jam bellum gravius multo, ſive tumultum potius Cimbricum.

## CAPUT SEPTIMUM.

### *De bello Cimbrico, Teutonico & Tigurino.*

*§. I. Origo hujus belli. A. U. 640.*

§. I. SExcenteſimum & quadrageſimum annum *Urbs agebat cum primum Cimbrorum audita ſunt arma Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Conſulibus*. Verba ſunt Taciti in libro *de moribus Germanorum* [d]. Videntur autem hi ex penitiſſima Germania progreſſi [e]; & jam tum forte

a *Flor. d. l. Liv. ep. 63.* b *L. II. c. 8.* c *Vaillant. gente Minuc. n. 9. qui faſtos hic Capitolii triumphales citat, ſupino errore Pighii verba pro faſtorum inſcriptione producens: cum in marmoribus hic triumphus deſideretur.* d *c. 37.* e *Flor. L. III. c. 3.*

forte eam regionem tenuerunt, quæ *Cimbrica Cherſonneſus* eſt dicta, & hodie *Jutiam* & *Slesvicenſem Ducatum* complectitur. Nam plurimorum veterum, & ipſius Strabonis [a] craſſus eſt error, qui *Cimbros* ob levem ſimilitudinem nominis cum *Cimmeriis* confundunt, qui ad *Mæotin* paludem habitarunt [b]. Ea gens hoc anno populabunda in Illyricum uſque pervenit [c]: quemadmodum jam antea itidem ex Septentrione progreſſi Galli, & poſtea variæ gentes Germaniæ, aut Sarmaticæ originis Imperium Romanum populorum innumera multitudine inundarunt. Si bonis auctoribus uſus fuit Florus juſtior aliquantulum harum gentium (quibus etiam magna hodie Batavorum pars & major Francorum Brittanorumque, imo Italorum & Siculorum originem debet) cauſa videbitur. Dicit enim, cum terras eorum inundaſſet Oceanus, novas ſedes toto orbe quæſiviſſe; excluſosque Gallia & Hiſpania in Italiam veniſſe, atque a Silano Conſule (hic anni ſexcenteſimi quadrageſimi quarti Conſul fuit) petiiſſe, „ ut victor gentium Po„ pulus ſibi aliquid terræ quaſi ſtipen„ dium daret; ceterum, ut vellent, ma„ nibus ſuis, atque armis uterentur." Verum vix videtur fide dignum (quanquam ſimilia etiam tradidiſſe Livium ex *epitome ejus ſexageſima quinta* liqueat) eos, qui jam ante quadriennium cum



a *L. VIII. p. 293.* b *Vid. Cluver. Germ. Ant. L. III. c. 22. p. m. 90.* c *Liv. Epit. 63.*

Romanis prælio conflixerant, victoreſque fuerant, illorum confeſtim pacem expetiviſſe. Sed de his penes lectorem prudentem judicium eſto.

§. 12. *Romanorum variæ clades.* *A.U.* 640. §. II. Certe ab anno Urbis ſexcenteſimo quadrageſimo initium ducendum eſt bellorum cum Germanis geſtorum; quos ad ſua uſque tempora per annos ducentos & decem triumphatos magis eſſe, quam victos dicit Tacitus [a]. Nam eo anno Conſul Cn. Papirius Carbo ad *Noreiam* urbem ſupra Aquilejam cum Cimbris congreſſus prælio non ſolum fuſus, ſed etiam exercitu exutus eſt [b]. Inde per Gallias vagati Cimbri Hiſpanos etiam adorti ſunt [c]. Sed ubique excluſi, ut ex Floro vidimus, & *Teutonis* juncti (altera hæc erat a Germania gens) rurſus verſus Italiam iter direxerunt; agroſque quos precibus impetrare nequiverant, armis petere conſtituerunt, Silanumque Conſulem prælio victum caſtris etiam exuerunt: licet, ut militibus alacrioribus Conſul uteretur plures leges per eos annos latas, quibus ſtipendia militibus minuebantur, *A. U.* 635. abrogaverit [d]. Anno Urbis ſexcenteſimo quadrageſimo quinto M. Aurelius Scaurus Conſul iterum ab his gentibus eſt fugatus [e], non tamen occiſus, ut videtur credidiſſe Vellejus [f]. Nam poſt tres demum annos legatus Conſulis a Cimbris fuſo exer-

a *Germ. c.* 37. b *Jul. Obſeq. de prodig. c.* 36. c *Flor. L. III. c.* 3. d *Aſcon. ad Or. I. pro Corn. p.* 131. *ed. Lugd. Bat. A.* 1675. e *Tacit. d. l.* f *L. II. c.* 12.

exercitu captus eſt [a]: & quum in conſilium ab iis evocatus, deterreret eos, ne Alpes tranſirent Italiam petituri, eo quod diceret, Romanos vinci non poſſe, a *Bojorige* feroce juvene occiſus eſt. Nec felicior fuit L. Caſſius Longinus Conſul, cui *A.U. 646.* Gallia Narbonenſis cum bello Cimbrico provincia erat data. Is enim a novis hoſtibus *Tigurinis* Gallis, (pagus erat Helvetiorum, cujus hodie nomen inclyta urbs *Tigurum* ſervat Helveticarum prima) qui a civitate Helvetiorum diſceſſerant, & Cimbris jam vicinis ſe junxerant, in finibus Allobrogum cum magna parte exercitus ſui cæſus eſt [b]; ejuſque exercitus reliquiæ ſub jugum miſſæ [c]: cum legatus C. Popillius, ne reſidua exercitus portio deleretur (ab hoſtibus enim obſeſſus fuga ſe ſervare non poterat) turpiſſimo fœdere cum hoſtibus pactus fuiſſet: ubi quoque cæſus fuit L. Piſo legatus, qui proavus *Calpurniæ* Cæſaris uxoris fuit [d]. Nec melior fortuna fuit [e] Q. Servilii Cœpionis, qui anno Urbis ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo (M. Ciceroni hic annus natalis fuit) prædæ magis, quam victoriæ cupidus in provinciam Galliam venit, dum Cimbri, ut videtur, ſe alio avertiſſent. Ergo non exſpectato Cimbrorum adventu Gallis interim Tectoſagis bellum intulit; ibique Toloſam oppidum antiquum ac celebre diripuit. Dicitur hic inve-



a *Liv. epit.* 67. b *Liv. Epit.* 65. c *Cæſ. B. G. L. I. c.* 7. *Tacit. d. l.* d *Oroſ. L. V. c.* 15. e *Salluſt. Jug. c.* 114.

inveniſſe Cæpio, & abſtuliſſe aurum, quod quondam Galli Brenno duce e templo Delphico abripuerant. Quindecim millia circiter talentorum fuiſſe ex Poſidonio refert Strabo a; quæ faciunt nonagies centies mille Philippæos. Aliter Juſtinus b hanc ſummam effert: ſed horum auctorum conciliatio, aut explicatio nihil ad ſcopum noſtrum facit: ſufficit, ſi ſciamus, ingentem plane auri vim argentique fuiſſe. Nec impune hanc ſacræ pecuniæ rapinam fertur tuliſſe Cæpio: quam jam Galli, quod plurimis ob illud furtum malis afflictarentur, in lacum quendam projeciſſe dicebantur; unde a Romanis educta fuerit c. Nam ipſum Cæpionem vitam deinceps in calamitatibus tranſegiſſe & finiiſſe, tanquam ſacrilegum patria ejectum, tradunt, relictis hæredibus filiabus, quas Timagenes ſcribit conſtupratas turpiter periiſſe d: nec abſonum videtur credere, Deum etiam in gentilibus contemptum deorum, quos ipſi utique Deos eſſe credebant, cœleſti vindicta ultum fuiſſe. Livius ob cladem ejus temeritate acceptam, bonis publicatis fuiſſe damnatum refert, in cujus epitome nulla auri fit mentio. Quæſtionem certe de eo auro fuiſſe habitam etiam ex Cicerone e diſcimus: idemque (*de Orat. L. II. c.* 47. *ſq.*) a C. Norbano Tr. pl. accuſante Antonio Cæpionem reum factum, & damnatum tradit. Valerius Maximus,

a *L. IV. n.* 188. b *L. XXXII. c.* 3. c *Juſtin. d. l.*
d *Strabo d. l.* e *de Nat. Deor. L. III. c.* 30.

ximus, ut paſſim alibi, ita hic rurſus ſupinam negligentiam prodit: cum enim primo loco narraſſet [a], Cæpionem in carcerem quidem ob culpam amiſſi exercitus conjectum fuiſſe; ſed a *L. Regino* Tribuno plebis ob veteris arctæque amicitiæ memoriam inde fuiſſe eductum: alibi tamen [b], quaſi plane ſui oblitus, eum in publicis vinculis ſpiritum depoſuiſſe tradit; & corpus ejus funeſti carnificis manibus laceratum, in ſcalis Gemoniis jacens, magno cum horrore totius fori Romani conſpectum fuiſſe: quod quidem nihil mirum fuerit, quum hactenus talis ignominiæ exemplum non exſtitiſſet. Afflictiſſimam conditionem Cæpionis fuiſſe inter omnes convenit: & Smyrnæ eum exulaſſe teſtatur Cicero [c]. Proverbiali inde locatione dictum fertur de eo, qui magnis ac fatalibus afficitur malis, novoque ac miſerando exitio periit [d], *eum aurum Toloſanum habere*. Prorogatum tamen interim in provincia Cæpioni imperium fuerat: eique additus anno ſexcenteſimo quadrageſimo octavo Conſul *Cn. Mallius Maximus* (minus recte ab aliis *Marcus* prænomine dicitur [e].) cujus collega P. Rutilius Urbi præſidio relictus primus rudem expertemque tironem, doctoribus gladiatorum arceſſitis vitandi atque inferendi ictus

a *L. IV. c. 7.* b *L. VI. c. 9. ex. 13.* c *Or. pro Balbo c. 11.* d *Gell. Noct. Attic. L. III. cap. 9. Eraſm. Adag. Chil. I. Cent. X. n. 98.* e *Salluſt. Jugurth. f. Tacit. German. c. 37. &c.*

ictus ſubtiliorem rationem docuit. [a] Mallius vero, ſive, ut aliis dicitur, *Manlius* ſine virtute, ſine ingenio, vita etiam contempta, præter opinionem Conſul factus, cum etiam vir ſapientiſſimus & primarius in civitate Q. Catulus repulſam paſſus eſſet [b], ſtatim ut in provinciam venit cum Cæpione eam exercituſque partitus eſt, ita ut Rhodano fluvio medio terminarentur. Atque ibi dum acerba inter ſe invidia & contentione diſcordant, cum ſumma ignominia, & periculo Romani nominis victi ſunt, cladem que Allienſi parem acceperunt: nam binis caſtris exuti ſunt: militum octoginta, calonum & lixarum quadraginta millia occiſa feruntur [c]. Ita ut ex omni exercitu decem tantummodo, qui nuncium ad augendas miſerias referrent, ſuperfuiſſe dicantur. Hoſtes binis caſtris atque ingenti præda potiti barbarico more cuncta, quæ ceperant, peſſumdando perdidere. Veſtis diſciſſa projectaque: aurum argentumque in flumen abjectum: loricæ virorum conciſæ: phaleræ equorum diſſipatæ: equi ipſi gurgitibus ſubmerſi: homines laqueis ex arboribus ſuſpenſi; ita ut nihil prædæ victor, nihil miſericordiæ victus perciperet. Magnus ex hac Cimbrorum victoria Romanos terror invaſit: metuſque ingens & trepidatio fuit, ne confeſtim Italia occupata Cimbri ad Urbem properarent. Itaque, quod in graviſſimi belli

a *Val. Max. L. II. c. 3. n. 2.* b *Cic. pro Plancio c. 4. & pr. Mur. c. 17.* c *Liv. epit. 67.*

belli metu fieri ſolebat, juſtitium indictum eſt; ſaga ſunt ſumpta: dilectus in Urbe atque Italia tota diligentiſſime ſunt habiti. P. Rutilius Conſul omnem juventutem ſacramento adigere juſſus eſt: novaſque legiones ſcribere, cum quibus hoſti occurreret: iſque ſeveriſſime & accuratiſſime dilectum egit.

§. III. Alius tamen huic bello Imperator deſtinabatur C. Marius, qui bellum cum Jugurtha jam confecerat: iſque adhuc abſens in Numidia legibus ſolutus, (leges enim & abſentis rationem haberi in comitiis conſularibus, & intra decennium eundem Conſulem refici vetabant; ita ut hic exemplum infractarum legum jam habuerit Julius Cæſar, cujus amita Mario nupta fuit) & Conſul iterum factus eſt, Galliam Narbonenſem cum bello Cimbrico provinciam extra ſortem nactus [a]: qui ea ætate reſtituendæ diſciplinæ virtutique militari natus eſſe videbatur. Verum in eo conſulatu Gallis quidem Tectoſagis bellum intulit: & legatus ejus L. Cornelius Sulla [b] ducem Tectoſagarum *Copillum* cepit. Sed, cum in Hiſpaniam abiiſſent Cimbri, & hunc & ſequentem annum (nam in abſentem Marium etiam tertius conſulatus a Populo collatus fuerat) Marius in apparatu belli & exercendis militibus conſumpſit [c]: adhuc enim extra ordinem ipſi Gallici belli provincia decreta fuerat, inimicis etiam ejus

*§. 5. Marius huic bello dux factus.*

*A. U. 649.*

a *Plut. Mario p. m.* 412. b *Id. Sulla p. m.* 452. c *Polyæn. Strat eg. L. VIII. c.* 10. *n.* 1.

ejus ſententiis ſuis eum ex Gallia non detrahentibus [a]: cum ſola Marii virtute tantus hoſtis repelli poſſe videretur. Ibi jam Sulla Tribunus militum *Marſos* gentem populoſiſſimam, ut dicit Plutarchus [b], ad belli ſocietatem traxerat: quod tamen nomen corruptum eſſe videtur, cum nullos in his tractibus Marſos alii ſcriptores noverint. Sed & in hac expeditione Sulla, quod jam antea bello Jugurthino de quo mox dicemus, fecerat, animum Marii offendit, quod increſcenti jam Sullanæ gloriæ Marius invideret [c]. Marius porro, antequam ex Hiſpania reverterentur barbari, Romam profectus eſt, ut conſularia comitia haberet, cum *L. Aurelius Oreſtes* Conſul inſtante comitiorum tempore diem extremum obiiſſe nunciaretur: ibique *L. Appuleji Saturnini* Tribuni plebis opera quartum conſulatum obtinuit: de cujus Saturnini turbulentiſſimo tribunatu paulo poſt erit dicendum. Et turpibus quidem artibus ac ridiculis uſi ſunt, ut in Marium conſulatus conferretur, Marius quidem in ſpecie eum detrectando, Saturninus vero *proditorem* eum *patriæ* appellando, quod tanto periculo incumbente operam ſuam petenti patriæ negaret [d]. Collega Mario datus eſt Q. Lutatius Catulus, & ambobus Conſulibus utraque Gallia Cimbricumque bellum provinciæ decretæ. Marius Alpibus ſupe-

a *Cic. de provinc. conſular. c.* 8. b *Sulla p. m.* 452.
c *Plut. Ibid.* d *Id. Mario p. m.* 413.

ſuperatis, (cum Catulus ab altera parte Italiæ Cimbris per Noricum irrumpentibus oppoſitus eſſet) ubi hoſtes jam prope adeſſe intellexit, caſtra ad flumen Rhodanum communiit, ingentem undique commeatuum copiam comportari jubens, ne invitus aliquando, & non ſuo tempore, deficientibus rebus neceſſariis, confligere cogeretur: Et, ut earum rerum ſimul convectionem faciliorem, & militem continuo opere vegetiorem redderet, cum oſtia Rhodani magna vi limi arenæque oppleta eſſent, eo exercitum otioſum convertit, foſſamque grandem, & magnorum navigiorum patientem duxit: quæ ab ejus nomine *foſſa Mariana* dicta fuit [a]. Milites inde, licet pugnæ avidiſſimos in caſtris continuit, eoſque ſæpe vallum conſcendere, & contemplari hoſtes juſſit; ut ita & vultui hoſtium, & voci abſonæ feræque aſſueſcerent. Neque, quanquam ſumma contentione flagitarent pugnandi copiam, caſtris tamen ſuos eduxit: ita ut tandem Teutones audaciores redditi vallum ejus oppugnare aggrederentur. Verum mox, ſpretis jam plane Romanis, vaſa conclamarunt; & caſtra eorum prætergreſſi ſunt, per ludibrium rogantes, *ecquid Romam ad uxores ſuas mandare vellent* [b]? Marius autem eos ſenſim ſecutus eſt, caſtra ſemper caſtris conferens, donec ad Aquas uſque Sextias perveniſſent [c]. Ibi de induſtria illum locum caſtris cepiſſe dici-

a *Strabo L. IV. n.* 183. *Pompon. Mela L. II. c.* 5.
b *Flor. L. III. c.* 3. c *Plut. Mario p. m.* 415.

dicitur, qui aquandi commoditate careret, ut etiam hunc ſtimulum militibus ſuis adderet. Cumque ſitim ulterius vix ferrent, monſtrato iis flumine, quod ſub ipſis erat hoſtium caſtris, *illic*, inquit, *habetis potum; ſed ſanguine venalem*. Militibus tamen petentibus, ut confeſtim eos in hoſtem duceret, placide primo, *ut caſtra communirent*, juſſit. Interim calonum & lixarum magna manus ad aquandum deſcendit, hoſtiumque complures nihil minus quam pugnam exſpectântes opprimit. Moxque etiam eos, qui per tumultum arma ceperant, (Ambrones præcipue erant) Ligurum potiſſimum ſtrenua opera uſus profligavit; licet etiam feminæ in Romanos, ut in hoſtes; in ſuos, ut in proditores, horrendam rabiem exercerent. Neque tamen Romani ſecuros ſe eſſe exiſtimabant, cum nec vállo muniti eſſent, (ita quidem habet Plutarchus, ſed eorum, quæ paulo ante dixerat, ut videtur, oblitus) nec ſine terrore horrendos barbarorum ejulatus audire poſſent [a]. Verumtamen nihil tum moverunt hoſtes; ſed ad novam pugnam omnia ſtrenue parabant. Marius interim Claudium Marcellum ſaltum, qui ſupra hoſtium capita erat, occupare jubet: & ipſe orta luce aciem inſtruit. Ibi, dum cum Mariano exercitu pugnam committunt barbari, Marcellus terga eorum cædere cœpit: atque ita undique in fugam converſi ſunt hoſtes, quorum centum millia & ultra, aut cæ-

ſa,

a *Plut. Ibid. p.* 417.

ſa, aut capta fuiſſe dicuntur [a]. Poſt pugnam ſpolia legere juſſit Marius: & dum ingentem ipſe armorum ſtruem incendere parat, amici Roma adveniunt, quintum ei Conſulatum delatum eſſe nunciantes. Sed interim Catulus Cimbris obverſus, cum juga Alpium tueri ſe poſſe diffideret, exercitumque ejus tutelæ cauſſa in varias partes diſcerpere non auderet, deſcendens ex montibus Atheſin [b] fluvium hoſtibus objecit, locis ejus vadoſis diligenter munitis. Hoſtium vero tanta erat ſecuritas, ut lata, quæ geſtabant, ſcuta corporibus ſubjicientes ex ſummis montium verticibus per glaciem ac nivem in valles demitterentur. In planiciem delati ſtatim alveum fluminis complere cœperunt colles vicinos demolientes & rupium ſimul fragmenta congerentes; ita ut plurimi Romanorum præ metu caſtra deſererent. Catulus, cum fugam ſiſti non poſſe videret, ut ſua potius, quam Romani nominis ea ignominia eſſet, utque non fugere, ſed ducem ſequi milites viderentur, abeuntium agmen præceſſit. Præſidium trans Atheſin, cum fortiter ſe defendiſſet, captum eſt: ſed ab hoſtibus virtutem eorum reveritis, datis induciis dimiſſum [d].

§. IV. Cum vero Italiam vaſtare pergerent hoſtes, Marius ab Urbe revocatus eſt, Padumque transgreſſus, & copiis cum Catulo junctis, conſtituto cum hoſtibus die & loco apud Vercellas depugnavit, *§. 4. Belli Cimbrici finis.*

a *Vell. Paterc. L. II. c.* 12. *dicit CLM.* b *hodie Adige. Germ. die Etſch.* c *Plut. Mario p. m.* 419.

vit. Ut vero ſuorum maxime militum victoria eſſet propria, nec ejus gloriæ magnam partem ſibi vindicare poſſet Catulus, ſuos milites in cornibus aciei Marius collocavit; eaque ita produxit, ut media acies, quæ Catuli erat, ſinum faceret [a]: quod Sulla, qui illi pugnæ interfuit, literis prodidiſſe dicitur. Is enim librum commentarium rerum a ſe geſtarum reliquit [b]. Sed fortuna æquior Catulo, quam collegæ fuit. Immenſo enim pulvere excitato, qui conſpectum adimeret, dicitur aciem hoſtium prætervectus fuiſſe Marius: barbaros vero in Catulum fuiſſe delatos, in cujus legionibus Sulla ſe ſtetiſſe ſcribit. Maxime autem Romanis æſtus profuit; cujus intolerantes erant barbari; & pugnabatur circa ſolſtitium æſtivum. Ergo in fugam hoſtes ſunt verſi, quanquam eorum anteſignani catenis per balteos trajectis in ſpeciem valli quaſi colligati ſtarent [c]. Verum hoſtium ſuorum manus evitantes barbari ab uxoribus, ſororibus, filiabus quiſque ſuis interficiebantur: quæ deinde ſeque liberoſque ſuos infantes vario mortis genere perdebant. Capti tamen ad ſexaginta millia fuiſſe dicuntur: cæſi bis totidem. Victoria hæc, licet variis indiciis conſtaret, a Catuli potiſſimum militibus fuiſſe relatam, tamen & Conſulatus majeſtas, & gloria jam ante parta etiam hujus victoriæ decus Mario adſcribi fecerunt.

a *Plut. d. l. p.* 420. b *Id. Sulla p.* 460.
c *Id. Mario p.* 421.

runt. Igitur *Tertius Urbis conditor* appellatus eſt [a]: eique in cœna & in epulis; ut Deo, vel potius ut Heroi, libatum. Ipſe quoque Marius poſt hanc victoriam *cantharo* ſemper potaſſe dicitur [b] exemplo *Liberi patris*; qui primus omnium triumphum egiſſe fertur. Soli quoque Mario Populus triumphum tam ex bello Cimbrico, quam ex Teutonico confecto decreviſſet, niſi ipſe cum Catulo honorem illum communicare voluiſſet [c]. Verum nequaquam hoc ſignum erat animi ab ambitione alieni; ſed potius milites Catuli timentis ſi debito ſibi honore privarentur. Neque unquam odium ex hac æmulatione contractum Marius exuit: imo civili bello victor eum interfici juſſit; neceſſariis Catuli nequicquam eam cædem deprecantibus [d]. Triumphum præter alia ornavit Rex *Teutobochus*; qui inſignis proceritatis fuiſſe dicitur; & quaternos ſenoſve equos tranſilire ſolitus [e]. Belgice forte *Stoutebec* a projecta oris audacia dictum conjectura eſt ſatis frivola viri in ceteris nequaquam inepti, ſed plurimarum ſcientiarum, & præcipue antiquitatum patriæ noſtræ gnariſſimi *Hadriani Junii* [f]. Hujus belli, ut videtur, occaſione Marius antiquam, quæ hactenus apud Romanos obtinuerat;



a *Ibid.* b *Val. Max. L. III. c.* 6. *ex.* 6. *Plin. H. N. L. XXXIII. c.* 11. *ſ. Id. L. VII. c.* 56. c *Cic. Tuſc. Quæſt. L. V. c.* 19. d *Cic. Ibid.* e *Flor. L. III. c.* 3. f *Batavia c.* 23. *S. ult. p. m.* 405.

militiæ rationem plurimum mutavit, proletariis etiam & capite cenſis in militiam adſcriptis [a]; cum antea tenuiores illi non niſi in tumultu milites ſcriberentur [b]. Idem in ſecundo Conſulatu ſuo ſolam aquilam legionum ſignum eſſe juſſit [c]; cum antea etiam Lupus, Minotaurus, Equus, Aper ſingulis ordinibus præferrentur. Tum vaſa & cibaria in faſciculos aptata in ferculis quibuſdam ferre milites juſſit; unde *Muli Mariani* proverbio dici cœperunt [d].

## CAPUT OCTAVUM.

### *De ſeditione L. Appuleji Saturnini.*

*§. 1. Seditio Appulejana. A. U. 653.*

§. I. SEd non eadem porro domi, quæ militiæ fuerat, Marii gloria extitit. Nam ſextum quidem Conſulatum Anno Urbis ſexcenteſimo quinquageſimo tertio adeptus eſt; ſed diviſa per tribus pecunia, & competitore Metello turpi largitione dejecto, ut *Li Valerius Flaccus* ſibi adminiſter potius, quam collega, daretur [e] obtinuit: licet videri poſſit, Conſulatum hunc ei tanquam præmium victoriæ ac meritorum a Populo fuiſſe delatum [f]. Verum in eo jam Conſulatu Marius a bonis defecit: & L. Appulejo Saturnino Tri-

a *Sall. Jug. c.* 86. *Plut. Mar. p.* 410. b *Ennius ap. Gell. L. XVI. c.* 10. c *Plin. H. N. L. X. c.* 4. d *Plut. Mario p. m.* 410. *Feſt. V. Ærumnulas. Frontin. Strateg. L. IV. c.* 1. *n.* 7. e *Plut. Mario p. m.* 422. f *Vell. Pat. L. II. c.* 12

Tribuno plebis ſeditioſo ſe adjutorem & defenſorem præbuit. Hic ſub finem anni præcedentis *A. Nonium* Tribunum plebis deſignatum factione Marii & *C. Servilii Glauciæ* Prætoris deſignati ſubnixus interfecerat: &, nemine Tribunum ejus facinoris accuſare auſo [a], in ejus locum per factionem Tribunus fuerat creatus. Tum ſtatim ejuſdem Marii auctoritate ſuffultus leges pernicioſas plebis captandæ gratia per vim ferre cœpit, militibus Marianis, qui in Urbe erant, & ſeditioſæ plebis multitudine armatus. Legem ergo primum promulgat, " ut ager Gallicus, unde „ Marius Cimbros expulerat, jam non „ amplius Gallici, ſed Romani juris eſ- „ ſet: utque veteranis centena agri ju- „ gera in Africa dividerentur [b]. Ut in „ Siciliam, Achajam Macedoniam co- „ loniæ deducerentur [c]. Utique aurum „ Tholoſanum dolo, ac ſcelere Cœpio- „ nis partum ad emptiones agrorum „ converteretur ". Præterea tulit, " Ut ſemiſſibus & trientibus [d] frumentum „ Populo diſtribueretur [e]. " Atque „ ita Gracchorum leges frumentarias retuliſſe viſus eſt. Præterea, ut leges ſuas ſanciret, addidit " Ut quod tributim „ plebs juſſiſſet, Populum teneret. „ Utque, qui Tribuno legem roganti obſtitiſſet, majeſtatis reus eſſet „ [a]. Ad-



a *App. Alex. Civ. L. I. n.* 367. b *Sext. Aur. Victor.* c *Cic. pro Balbo c.* 21. d *Vid. S. hujus libri c.* III. §. 2. e *Cic. ad Herenn. L. I. c.* 12.

„ [a]. Additum erat legi, “ ut ſi plebs
„ eam ſciviſſet, Senatus juratus intra
„ quintum diem auctor fieret. Qui jus-
„ jurandum recuſaſſet, Senatu movere-
„ tur [b]; & ſeſtertia quadringenta & o-
„ ctoginta † mulctam perſolveret. “
„ Appulejus per vim eam legem pertu-
lit. Marius vero de ea lege ad Senatum referens negavit, ſe unquam ſua ſponte juraturum eſſe. At, cum quintus ille dies veniſſet, dixit, “ jurandum in legem,
„ quatenus ea legitima ſit; ita in præ-
„ ſens multitudinem ruſticam, quæ le-
„ gem urgeat, diſpendi poſſe, & poſtea
„ facile oſtendi, legitimam eam non eſſe,
„ quod & per vim [& Jove tonante lata
„ ſit. “ Ita ſtatim exſurgens ipſe primum cum amicis jusjurandum præſtat: idemque reliqui Senatores faciunt, dum quiſque ſibi metuit. Metello, qui ſolus negabat, exilium a Populo indici curat: quod ille patienter ſubiit affirmans, ſe commiſſurum non eſſe, ut ſua cauſſa periculum patriæ crearetur [c].

§. 2. *Finis ſeditionis.* §. II. Appulejus, ut porro deſtinata perficere poſſet, in tertium annum Tribunus plebis refectus eſt: interque alios collega ipſi additus fuit *Equitius Firmo* municipio oriundus [d]; qui ſe illuſtris illius Ti. Gracchi filium eſſe mentiebatur: ſed quem

a *Vid. eund. de orat. L. II. c.* 25. b *App. Alex. l. d.* † *nobis Flor.* 36000. c *App. Al. l. d. Val. Max. L. III. c.* 8. *n.* 4. *Plut. Mario p. m.* 423. d *Val. Max. L. III. c.* 2. *n.* 18. *L. III. c.* 8. *n.* 6. *L. IX. c.* 15. *n.* 1.

quem mendacii arguerat Sempronia Gracchorum ſoror, & uxor quondam Magni illius Scipionis Æmiliani. Hic tamen plebi ob ſolam Gracchorum memoriam gratiſſimus habebatur a. Hi ergo *C. Glauciam* Prætorem, qui ſe ſatellitem, imo anteſignanum ſeditionis Appulejanæ præbebat in annum ſequentem Conſulem deſignare conati ſunt: & *C. Memmium*, virum primarium, & conſulatus competitorem ( *M. Antonius* Orator celeberrimus b jam conſenſu Conſul creatus erat ) in ipſis comitiis fuſtibus interfecerunt. ( Pater hic fuit *C. Antonii*, quem Cicero in Conſulatu collegam habuit, & avus *M. Antonii* Triumviri. ) Tanti facinoris indignitate commotus Populus Appulejo necem minatur. Appulejus vero nova plebis multitudine ex agris excita, furoriſque ſociis aſſumptis C. Glaucia, *C. Sauffejo* Quæſtore & *Q. Labieno* Capitolium occupat. Tum autem optimatum conſenſu armatur civitas: fitque Senatuſconſultum, quo Saturninus hoſtis judicatur, & Conſules jubentur, *Videre, ne quid Reſpublica detrimenti capiat*. Itaque Marius, licet eadem nocte conſilia cum Saturnino communicaſſet c, armatos, cunctanter quamvis, in forum producit, & interſciſſis a quæductibus obſeſſos in eas anguſtias redigit; ut Sauffejus ſitim non diutius ferens Capitolium incendi ſuaderet. Verum tandem fide publica accepta ſe Mario

I 3 permi-

a *App. Al. Civ. L. I. n.* 369. b *Cic. de Orat. L. III. c.* 3. 4. 9. *&c.* c *Plut. l. prox. d.*

permiſerunt, ejus nempe defenſione freti. Et ſane Marius, cum omnes, ſtatim interficiendos eſſe ſeditioſos, conclamarent, in curiam eos incluſit, velut legitimum de iis ſumpturus ſupplicium, revera, ut a vi eos prohiberet. Plebs vero, juſtam de ſceleratis ultionem ita eludi indignata primum tegulas curiæ convulſas in incluſos conjecit: & mox in forum degreſſos necavit a. Occiſus eſt etiam ſubdititius ille Gracchus primo initi magiſtratus die, cum merito ſacroſancta tribunorum poteſtas tuendæ libertati inſtituta hominem ſceleratum non tegeret. Valerius Max. *L. IX. c.* 7. §. 1. eum a Populo liberatum fuiſſe dicit; ſed ejus parva eſt auctoritas. Saturnini caput C. Rabirius Senator per convivia circumtulit. Hunc Rabirium ob cæſum Saturninum poſt annos triginta ſeptem Conſule Cicerone *T. Labienus*, cujus patruus Q. Labienus cum Saturnino occiſus fuerat, perduellionis accuſavit [b]: quem defendit Cicero oratione, quæ extat, ſed mutila; & negavit, a C. Rabirio occiſum eſſe, oſtenditque, Rabirium in ceteris rebus Senatus imperio paruiſſe; neque fidem publicam violaſſe, quam Marius ſine Senatusconſulto dare non potuiſſet. Condemnatus eſt Rabirius a C. & *L. Cæſaribus*; qui non a Populo, ut moris erat, ſed a Prætore, quod non licebat, crea-

a *Cic. Or. pro C. Rabir. c.* 6. *ſqq. Id. in Catil. I. cap.* 2. *Philipp. VIII. c.* 5. *& in Bruto c.* 62.
b *Ipſe in Piſ. c.* 2.

creati fuerant, ut narrat Dio Caſſius; qui addit [a], eum ad Populum provocaſſe; ſed ibi quoque fuiſſe damnandum, niſi *Metellus Celer*, qui tum Augur & Prætor erat, vexillum e Janiculo avulſiſſet; quo facto nihil amplius a Populo ſtatui poterat: Suetonius [b] vero auctor eſt, abſolutum fuiſſe Rabirium; &, nihil æque ei profuiſſe, quam C. Cæſaris judicis acerbitatem. Et hæc poſt duas Gracchanas tertia gravis in Urbe ſeditio fuit. Metellus ſtatim, ut etiam hoc addamus, maximo Populi Senatuſque favore ex Aſiatico exilio revocatus eſt, & in integrum reſtitutus Q. *Calidio* Tribuno plebis rogante [c]. Romam redeunti ferunt, diem integrum non ſuffeciſſe, dum ad portas Urbis obvios quoſque complecteretur [d]. Scripſit hujus Metelli vitam Plutarchus [e]; ſed ea hodie non exſtat.

## CAPUT NONUM.

### *De Bello Jugurthino.*

§. I. VIdimus *Libri præcedentis c.* I. §. *ult.* paulo ante deletam a Romanis Carthaginem obiiſſe primarium eorum amicum Maſiniſſam Numidiæ Regem: eique ſucceſſiſſe tres filios; ex quibus poſt aliquod tempus Micipſa ſolus ſuperſtes regnum obtinuit. Micipſa moriens re- *§. I. Origo hujus belli.* *A. U. 634.*

I 4

a *L. XXXVII. p. 24. edit. reg.* b *Julio c. 12.* c *Cic. Pro Plancio c. 28.* d *Vid. Liv. ep. 69.* e *Vid. etiam in Mario p. m. 423.*

regnum reliquit *Adherbali* & *Hiempſali* filiis ſuis; tertiumque addidit Jugurtham fratris ſui *Manaſtabalis* filium, quem adoptaverat. Et hunc quidem Micipſa perdere ſtatuerat, quod corpore & ingenio validum cerneret [a]; & omnes æquales gloria anteire, omnibus tamen carum eſſe. Sed cum neque per vim, neque per inſidias opprimi poſſe homo adeo popularis videretur, Micipſa eum auxiliis, quæ ad bellum Numantinum mittebantur, præfecit, oſtentando virtutem, vel hoſtium ſævitia facile eum occaſurum eſſe ſperans. Sed ea res longe aliter, ac ratus erat, evenit. Nam fortitudine & modeſta ſedulitate ſe Scipioni, munificentia aliis gratiſſimum reddidit. Et hic, Numantia deleta, Jugurtham donatum & laudatum dimiſit; ſecreto tamen monitum, ut virtute potius amicitiam P. R. coleret, quam largitionibus (quod jam tum facere inſtituerat) paucorum gratiam emeret. Mortuo Micipſa Hiempſalem primum Jugurtha obtruncari curat [b]. Inde copiis paratis omni Numidiæ imperare parat; & Adherbalem prælio ſuperat. Adherbal Romam querelas ad Senatum defert; ſed, corruptis jam Senatorum animis legatione & donis a Jugurtha miſſis, hoc tantum obtinuit, ut legati mitterentur, qui regnum, quod Micipſa obtinuerat inter Jugurtham & Adherbalem dividerent. Legationis princeps erat L. Opimius [c], quem impro-

a *Salluſt. Jug. c.* 6. b *Ib. c.* 12. c *Ib. c.* 16.

improbum fuiſſe virum jam vidimus, cum de ſeditione C. Gracchi ageremus. Itaque & hic & reliqui legati pecuniam quam fidem cariorem habentes partem Numidiæ agro viriſque opulentiorem Jugurthæ, alteram ſpecie, quam uſu potiorem Adherbali tradunt. At, poſtquam diſceſſiſſent, Jugurtha aperto bello totius Numidiæ imperium petit, & prælio victum Adherbalem in Cirtha oppido circumſedit [a]: legatoſque a Senatu miſſos ſpecioſis verbis deliniit. Cum tamen Adherbal alia legatione miſſa Senatus opem ſupplex imploraſſet, alii iterum legati, & quidem ampliſſimis honoribus uſi, ſunt miſſi; qui iterum oratione Jugurthæ decepti, an mitigati nullo operæ pretio edito diſceſſere. Et interim Cirtha potitus Jugurtha Adherbalem contra Senatus denunciationem necat: atque ita tandem bellum ipſi fuit indictum [b].

§. II. Itaque Anno Urbis ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo *L. Calpurnius Beſtea* in Africam exercitum tranſtulit: atque acriter Numidiam ingreſſus, multos mortales [c], & urbes aliquot pugnando cepit. Sed mox animus avaritia æger, & per legatos Jugurthæ pecunia corruptus pacem cum hoſte flagitioſam, omnium conſiliorum miniſtro aſſumpto legato ſuo *Scauro* fecit: atque inde ad comitia Romam digreditur. At *C. Memmius* Tribunus plebis, liberrimi ingenii vir, quique odio

§. 2. *Initium belli. A. U.* 642.

a *Ibid. c.* 21. b *Ibid. c.* 26. *Liv. Epit.* 64. c *Salluſt. d. l. c.* 28.

odio potentiæ nobilitatis celebris erat, rogationem pertulit, uti *L. Caſſius*, qui tum Prætor erat, ad Jugurtham mitteretur [a]; eumque impoſita fide publica Romam duceret. Ergo Jugurtha cultu quam maxime miſerabili Romam venit; & magna mercede *C. Bæbium* Tribunum plebis parat, cujus impudentia contra jus & injurias omnes munitus foret. Anno tamen ſequente *Sp. Poſtumio Albino* Conſule belli, ſed magis, ut exitus docuit, lucri avido provincia Numidia evenit: cum perſuaſiſſet *Maſſivæ* Guluſſæ filio, Maſiniſſæ nepoti, ut regnum Numidiæ a Senatu peteret. Verum fraude Jugurthæ Maſſiva interfectus eſt: quod cum palam factum eſſet, juſſus eſt a Senatu Iugurtha *Italia decedere*: qui cedens Urbe dixiſſe fertur, cum ſæpe tacitus eo reſpiceret, *Urbem venalem & mature perituram, ſi emptorem inveniſſet* [b]. Cujus dicti veritatem eventus poſt ſexaginta circiter annos firmavit, cum Julius Cæſar immenſa largitione *Æmilium Paullum* Conſulem, *Cajumque Curionem* Tribunum plebis in ſuas partes pertraxit. Albinus porro in provinciam profectus variis Jugurthæ artibus ludificatus eſt: & cum æſtatem, nulla re memorabili geſta, confeciſſet, Romam ad comitia deceſſit, *Aulo* fratre in caſtris Proprætore relicto. Hic, ſeu ſpe belli conficiendi, ſive ut terrore exercitus propius admoto pecuniam a Rege exprimeret, media hyeme urbem;

A. U. 643.

a *Ibid. c.* 32. b *Ibid. c.* 35.

urbem; ubi Regis theſauri erant, obſedit. Sed dolis Jugurthæ, & ſpe pactionis perpellitur a, ut in abditas regiones eum, veluti cedentem, inſequeretur. Interea aſſidue exercitum Romanorum tentando plurimos, ut transfugerent; alios, ſigno dato, locum uti in acie desererent, Jugurtha corrupit: & demum intempeſta nocte caſtra circumvenit, & Romanos ad turpem deditionem adegit; imo ſub jugum mittit. Verum Senatus, ſuo atque Populi injuſſu nullum potuiſſe fœdus fieri decernit: & Conſul ſtatim in Africam proficiſci jubetur: ubi res, ſoluto imperio, licentia & laſcivia ita corruptas invenit, ut ex copia rerum nihil ſibi agendum ſtatueret. Interea Romæ *C. Mamilius Limetanus* Tribunus plebis legem tulit, uti quæſtio inſtitueretur in eos, quorum conſilio Jugurtha decreta Senatus neglexiſſet; quique ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepiſſent; quique de pace aut bello cum hoſtibus pactiones feciſſent. Lege poſt magnam contentionem ſtudio plebis perlata tres quæſitores ſunt facti, qui de eo crimine quærerent; interque eos *M. Scaurus*, qui legatus Beſteæ fuerat; & qui ipſe huic crimini erat obnoxius. Damnatus fuit Scaurus cum Beſtea, *C. Catone*, (cujus tamen damnatio an aliquid cum Jugurthæ cauſſa commune habuerit, neſcio) Sp. Albino, L. Opimio; quas damnationes

a *Ibid. c.* 38.

tiones injuſtas fuiſſe Cicero innuit [a], partium magis ſtudium, quam veritatem rei ſecutus.

§. 3. *Res Metello Coſ. in Africa geſtæ.* *A. U. 644.*

§. III. Anno Urbis ſexcenteſimo quadrageſimo quarto *Q. Metellus* Africam & bellum cum Jugurtha Conſul obtinuit. Is ſtatim ad bellum, quod geſturus erat, animum intendit [b]: novumque fere exercitum conſcribit: quod exercitus, qui in provincia erat, omnem fere diſciplinam ſolviſſet: cum tamen ipſum etiam diſciplina inſtaurata brevi confirmavit. Ergo Jugurtha ingentem in ſeſe concipiens metum legatos ad Conſulem mittit vitam tantum ſibi liberiſque petituros, alia omnia dedituros Populo Romano. Sed parum homini notæ perfidiæ credens Metellus ipſius eum artibus aggreditur [c], multa pollicendo perſuadens legatis, ut Jugurtham vivum, aut necatum ſibi traderent: & interim ſtrenuiſſime bellum curat, atque in Numidiam penetrat: & virtute egregia militum Jugurtham loco ſibi iniquo vincit; cum etiam aliæ Numidarum copiæ ſub duce *Bomilcare* (a quo Maſſiva interfectus fuerat) a *Rutilio* Metelli legato vincerentur [d]. Cum tamen bellum renovaret Jugurtha, Metellus vaſtatione agrorum, incendiis oppidorum, cæde puberum hoſtes ad obſides, frumentum aliaque, quæ uſui forent, danda compellit. Utque ad prælium Jugurtham pellice-

a *Vid. eum de Cl. Orat. c.* 33. *& ſq.* b *Sall. Jug. c.* 43. c *Ibid. c.* 46. d *Ibid. c.* 53.

liceret *Zamam*, primariam urbem, obſedit, ſtrenue Imperatoris ſui conatus adjuvante Mario, qui legatus Metello aderat: quod tamen non prohibuit, quo minus a Zama diſcedere Romani cogerentur [b]. Hibernis contractis Metellus per Bomilcarem (cui impunitatem, & bonorum ſuorum omnium ſecuram poſſeſſionem promiſerat) Regis animum ad deditionem, & ad pecuniæ, elephantorum, perfugarum, aliarumque rerum traditionem compellit. Idem tamen, dum ſecum ipſe reputat, quam gravis caſus in ſervitium ex regno foret, bellum de integro ſumit [c]: & Vaccæos, qui jam præſidium Romanorum receperant, permovit, ut occaſione diei feſti captata eos omnes occiderent: qui tamen graves mox Romanis pœnas dederunt. Verum interim domeſticus Metello adverſarius in ſuis caſtris ſuſcitabatur. Marius enim legatus ejus conſulatui jam inhians a Metello petendi gratia miſſionem rogaverat; ſed ſæpius fruſtratus tandem reſponſum accipit, „ nihil eſſe quod feſtinaret; ſatis mature cum filio ſuo (is „ annorum circiter viginti adoleſcens erat) conſulatum petiturum eſſe. “ Hinc plane a Metello alienatus Marius [d] occulte eum & variis modis impugnat; atque multos impellit, uti Romam, *duci a Metello bellum*, ſcribant. *Marium Imperatorem* poſtulent. Ita Mario Romam

a *Ib. c.* 56. b *Ibid. c.* 61. c *ibid. c.* 66. d *Ib. c.* 63.

mam profecto Conſulatus mandatur [a]; cum jam per multas tempeſtates ille honos homini novo tributus non eſſet: quo nuncio adeo perculſus fuit Metellus, ut neque lacrumas tenere [b], neque moderari linguam poſſet. Ut ergo gloriam præriperet novo Conſuli, neque rem alienam periculo ſuo curaret, legatos ad Bocchum Numidarum Regem, ad quem victus Jugurtha confugerat, mittit; magis, ut ita bellum intactum Mario traderet, quam quod negocium conficere poſſe ſperaret. Mox tamen profectus triumphavit.

*§. 4. Bellum a Mario confectum.*

§. IV. Marius interea ſummo conatu, & fruſtra adverſantibus clam optimatibus, quæ bello opus erant parat, oratione ſimul acerba in nobiles, quos ducti in longiſſimum tempus belli auctores arguebat, invectus. Et poſtquam in Africam transmiſiſſet brevi ſpatio veterum militum virtutem reſtituit; novoſque cum iis coaleſcere fecit [c]. Et cum Jugurtha manum conſerere cupiens mediocria primum gerebat: inde majora & magis aſpera aggrediens feſtinato & agmine & impetu *Capſam* urbem inter ingentes ſolitudines ſitam occupavit [d]; terroremque ſui longe lateque ſparſit. Ita Jugurtha, & oppidis multis, & militibus, & pecunia magna amiſſis, Bocchum tertia Numidiæ parte, ſi fines ſuos recepiſſet, promiſſa, ut ad ſe veniret, illexit. Et ſtatim ſimul Marium [e] circa veſperam inva-

a *Ibid. c.* 73. b *Ibid. c.* 82. c *Sall. d. l. c.* 87. d *Ibid. c.* 91. g *Ibid. c.* 98.

invadunt, rati, aut noctem, ſi victi eſſent, ſibi fore munimento; ſi viciſſent, nulli impedimento, quia locorum ſcientes erant. Magno tamen cum damno ſuorum ſunt repulſi; &, cum paulo poſt iterum barbari male pugnaviſſent [a], Bocchus petiit, ut legatos ad Senatum mittere liceret. Senatus fœdus & amicitiam petentibus reſpondit „ delicti quidem „ gratiam Boccho fieri; fœdus & amici„ tiam accepturum eſſe, cum meruiſſet.“ Sullam inde, Marii Quæſtorem, Rex Bocchus arceſſivit; eique Jugurtham in inſidias deductum & vinctum tradidit [b]. Cum felix hic belli exitus Romæ auditus eſſet, Marius Conſul iterum abſens factus eſt: iſque Kalendis Jan. A. U. 649. magna gloria Conſul triumphavit. Jugurtha poſt triumphum in carcerem conditus, aliis tunicam ejus dilacerantibus; dum alius per vim ornamentum aureum, quod patrio more ex aure pendulum geſtabat, illi deripere feſtinans [b] infimam una auriculam avelleret: ita ut barbare magis quam Romane cum Rege captivo actum eſſe videatur. Nam in infimum carcerem, & nudus quidem detruſus eſt; ita ut ipſe cavillans, *frigidum nimis id balneum eſſe*, quereretur. A. U. 949.

Certum autem ſatis eſt, plura hoc tempore etiam memoranda eveniſſe, ſed quæ propter auctorum defectum dilucide ſatis explicari nequeunt; ita ut libro proximo bella

a *Ibid. c.* 113. b *Plut. Mario p. m.* 412.

bella potiſſimum civilia nobis explicanda ſint: nam ſi quid de bello Piratico, quod hoc jam intervallo (A. U. 650.) cœperat, diligentius ſit dicendum, ad ſequentem quoque periodum, qua maxime geſtum eſt, commodius referretur.

§. 5. *Legatum regni Cyrenaici.*

§. V. Sed, quoniam in Africa adhuc verſamur mentio hic facienda eſt alterius hæreditatis regiæ, (Aſiam teſtamento Attali Romanis acceſſiſſe ante vidimus) quam Populus Romanus crevit *Ptolemæo Apione Cyrenarum* Rege mortuo [a]. Fuerat hic Ptolemæi Evergetis ejus nominis ſecundi, qui *Phyſcon* etiam dictus eſt, filius ex pellice ſuſceptus [b]; qui joculari cognomine *Apion*, hoc eſt, *macer* dictus fuit; quod cum patri, qui craſſus & obeſus fuerat, comparaviſſent: niſi verius ſit, eum a Deo Ægyptiorum *Api* id nomen habuiſſe. Huic pater teſtamento Cyrenarum regnum reliquerat: ipſe moriens A. U. 657. Populum Romanum hæredem inſtituit: Sed Senatus ejus regni civitates liberas eſſe voluit [c]: quæ, cum poſtea a tyrannis oppreſſæ eſſent, ea occaſione uſi Romani Cyrenaicam in provinciæ formam redegerunt per *Lucullum*, qui miſſus a Sulla ad leges Cyrenæis ferendas fuerat [d]. Hæc provincia poſtea ex inſtituto Imperatoris Auguſti eundem cum Creta Inſula Præſidem habuit [e]. An vero duo fuerint Ptolemæi, qui Populum Romanum hæredem reli-

que-

a *Vid. Cic. Agrar. II. c.* 19. b *Juſtin. L. XXXIX. c.* 5. c *Liv. epit.* 70. d *Plut. Lucull. p.* 492. e *Vid. Dion. L. LIII. p.* 341. *ed. regia* 1548.

querint, maturiorem conſiderationem meretur. Credit illud Sigonius [a]; & putat ſuperiorem Cyrenas Populo R. teſtamento reliquiſſe, cum eo ut liberæ eſſent; poſteriorem, cognomine *Apionem*, cum Cyrenaica *aridam* etiam *Libyam*: ſed auctores, quos citat *Jornandem* & *Sex. Rufum*, non magnæ ſunt, præſertim in rebus hujus ævi, auctoritatis; & *Ammianus* etiam *Marcellinus* [b], licet nobilis ſcriptor, nimis ab hoc quidem ſeculo remotus eſt, quam ut tuto fides ei adhiberi poſſit.

---

# LIBER OCTAVUS.

## CAPUT PRIMUM.

*De ſeditione Druſi, & bello Sociali, quod Italicum etiam & Marſicum dicitur.*

§. I. CUm, ut dictum eſt, in horum temporum hiſtoria quædam auctorum veterum inopia non ſatis certo tradi poſſe certiſſimum ſit, rerum tantum capita perſequi cogimur: nec ſeriem earum continuam pertexere poſſumus. Et primo quidem, poſt ea quæ libro proximo narravimus, occurrit nobis ſeditio *Druſiana*; &, quod ei annexum fuit, graviſſimum bellum cum *ſociis Italiæ gentibus* geſtum. Voca- *§. I. Origo belli ſocialis.*



a *de ant. jure prov. L. II. c.* 16. b *Vid. eum L. XXII. in f.*

tur hoc bellum non tantum *Italicum* [a]; ſed etiam *Sociale* & *Marſicum*. Et *Sociale* dicitur, quod Italia a Romanis quidem eſſet ſubacta; ſed nec tota, nec pars ejus in provinciæ formam redacta eſſet: unde *Socii* dicebantur Populi Italiæ, non *ſubditi*: & plerique ſuis legibus ſuiſque magiſtratibus utebantur. *Marſicum* autem vocatur hoc bellum [b]; quod hoc tempore *Marſi* (gens hæc late circum *Fucinum* lacum incolebat) vel præcipui inter Italiæ Populos forent: quodque illi potiſſimum, & eorum Imperator *Silo Popedius* hoc bellum Romanis intulerint [c]. Cauſſa belli ſociis Italicis erat ſane æquiſſima: cum enim ſuo ſanguine ſuiſque opibus civitatem Romanam ex mediocri maximam feciſſent, juſtiſſime profecto jus illius civitatis, quæ magnam incrementi ſui partem ipſis debebat, flagitarunt [d]. Sed indigniſſime ſemper Romani tulerant, ſi quis in hoc negocio vel hiſcere auſus fuiſſet: & jam antea dictum eſt [e], quanta cum indignatione exceperint Romani poſtulata Latinorum petentium, "ut alter Conſul & æqua pars Senatus ex La-,, tio crearentur." Et *libro præcedente* [f] vidimus, Cajum Gracchum in ſecundo ſuo tribunatu legem inter plures alias, quas pernicioſas eſſe optimates cenſebant, tuliſ-

a *Strabo L. V. n.* 241. b *Cic. Agrar. II. c.* 33. *Horat. Od. III. XIV. v.* 18. *Id. Epod. XVI. v.* 3. c *Vellej. L. II. c.* 15. *ſq. Strabo L. V. n.* 271. *omn.* d *Flor. L. III. c.* 18. e *Supr. L. II. c.* VIII. §. 3. f *c.* III. §. 3.

tuliſſe, „ ut ſociis Italicis jus ſuffragii in „ legibus ferendis eſſet „ ; quam tamen, oppreſſo Graccho ; irritam fuiſſe vidimus.

§. 2. *Leges Druſi.* *A. U. 662.*

§. II. Sed poſtea Anno Urbis ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo *M. Livius Druſus* Tribunus plebis ( cujus pater, ut dictum eſt [a] ; ſe promulgatione legum C. Graccho oppoſuerat ) ſimilia moliri cœpit. Obſervandum autem obiter eſt ; huic Druſo aliquando quæ a patre ejus facta ſunt adſcribi errore ſatis gravi : idque, ut exemplum quod primum animo occurrit allegem ; facit Eruditiſſimus Tarraconenſium Archiepiſcopus *Antonius Auguſtinus* in libro ſuo *de legibus*. Verum paullo altius etiam res eſt repetenda. Cum ſocii aſſidue ſpei dudum conceptæ inſiſterent, plurimi ex iis omnibus occaſionibus intenti aſſidue Romæ hærebant. Igitur Anno *A. U. 658.* Urbis ſexcenteſimo quinquageſimo octavo Conſules *L. Licinius* & *Q. Mucius* ex Senatusconſulto legem pertulerunt, *ut quiſque in ſuæ civitatis jus redigeretur*: qua lege ita animos Principum Italicorum populorum alienatos eſſe dicit Aſconius [b], ut ea vel maxima cauſſa belli Italici, quod poſt triennium exortum eſt, fuerit. Antequam autem ad ejus belli deſcriptionem perveniamus, aliquid etiam de aliis Druſi legibus dicendum eſt. Et etiam obſervandum eſt, non parum hoc



a *L. VII. c. 3. §. 3.* b *ad Or. pro C. Corn. I. p.* 131. *edit. Lugd. Bat.* 1675. *p.* 960. *ed. Græv. Cic. de Offic. L. III. c.* 11.

tempore turbas in Republica auctas fuiſſe; ſive per nimiam novorum hominum ambitionem; ſive per nobilium in honorum & magiſtratuum geſtione ſibi ſolis aſſerenda pertinaciam. Sic, exempli gratia, A. U. 659. *C. Cœlius Caldus* [a] homo novus nobiliſſimum candidatum (quod ei nomen fuerit non ſatis conſtat) in petitione Conſulatus ſuperavit [b]: alterumque etiam virum nobiliſſimum, *Dolabellam* forte *Cornelium* [c], permovit, ut a petitione deſiſteret. A. U. 660. Atque anno ſequente *M. Herennius*, obſcuræ fortis homo, ſuperato viro nobiliſſimo & eloquentiſſimo *L. Marcio Philippo*, Conſul factus eſt [d]. Et paullo poſt, ut jam vidimus, ipſe Marius ab infima ad ſummam in Republica fortunam eſt provectus. Sed revertamur ad Druſum. Hic ergo Tribunus factus primum quidem de Italorum cauſſa nihil cogitaſſe videtur [e]: ſed illud tantum egiſſe, ut Senatui priſtinum decus reſtitueret; quod, judiciis ipſi legibus Sempronia & Servilia ablatis, multum erat imminutum. Et ferebantur poteſtate ſua peſſime abuti Equites: cujus rei exemplum inſigne exſtabat damnatio *P. Rutilii*. Hic Rutilius jam anno Urbis 632. Quæſtor in Aſiam fuerat profectus cum Mucio Scævola Augure [f], qui eam provinciam Prætor ſortitus erat: & rurſus anno

a *Cic. pro Mur. c. 7.* b *Quintus Cic. de petit. Conſ. c. 3.* c *Vid. Pigh. Ann. ad A. U. 659.* d *Cic. pro Mur. c. 17. Id. de clar. Or. c. 45.* e *Vell. Pat. L. II. c. 14.* f *Aſcon. ad Div. in Verr. c. 17.*

anno Urbis 654. alterius *Q. Mucii Scævolæ* (qui *Pontifex* dicitur a Cicerone *de amic. c.* 1.) in eadem Aſia fuerat legatus: provinciamque ab injuriis publicanorum contra jus faſque in ea graſſantium defenderat [a]. Idque eo majore ſucceſſu, quod inſigni auctoritate vir eſſet; quippe qui jam anno Urbis ſexcenteſimo quadrageſimo octavo Conſul fuiſſet; & Stoicæ philoſophiæ addictus, cujus notitiam ex Panætii diſciplina hauſerat [b]. Sed inviſus equeſtri ordini, qui publicum eo tempore exercebat, per calumniam reus factus Rutilius damnatus eſt; quanquam ſumma innocentia vir eſſet [c]. Quemadmodum etiam apud ſocios gratiſſimus fuit uterque Mucius: quippe qui *Mucia* diem feſtum & ludos celebrabant in honorem quidem prioris Mucii inſtitutos [d]; ſed eo celebriores, quod etiam alterius Mucii virtutes in grata apud ſocios memoria eſſent. Neque paſſim hoc tempore honores illi vulgabantur, quemadmodum paulo poſt eſt factum; cum præſidibus provinciarum, etiam ante quam mores eorum percognitos haberent, ejuſmodi honores tribuerentur; ut facile ex Cicerone [e] cognoſcimus. Equitum injuriis igitur obviam iturus Dru-

K 3 ſus,

a *Liv. epit.* 70. b *Cic. de clar. Orat. c.* 30. & *de Offic. L. III. c.* 2. c *Id. pro Fontejo c.* 13. & *de Orat. L. I. c.* 53. *Vell. Paterc. L. II. c.* 13. d *Aſcon. ad Divin. in Verr. c.* 17. *Vid.* & *Cic. Verr. II. c.* 21. e *Attic. V.* 21.

ſus, & ſimul eum ordinem Senatui reconciliaturus legem judiciariam tulit, „ ut „ judicia penes Senatores ſimul & Equi- „ tes eſſent, pari numero judicum ex u- „ troque ordine lecto “; ut ergo trecenti ex ordine equeſtri judices allegi debuerint, cum trecenti etiam hoc tempore Senatores eſſet: atque, „ ut ita ex duobus „ iſtis ordinibus judicum decuriæ conſcri- „ berentur. “ Voluitque præterea, ut cauſſam dicerent, qui munerum ob jus dicendum acceptorum ſuſpecti habebantur [a]; quod crimen jam in morem verterat, adeoque vulgare erat, ut *judiciorum metum* ſolam cauſſam belli Italici faciat Cicero [b]. Ita his duabus legibus utriusque ordinis invidiam ſibi contraxit, cum & Senatores indigne ferrent, Equites ſibi ita fere pares reddi; & Equites lucrum adeo gratum, & jam ſibi familiare a ſe magnam partem auferri indignarentur [c]. Cum tamen egregie quidem ſe de utroque ordine meritum eſſe putaret Druſus; etiam tertium ordinem, ſive plebem ſibi conciliandam eſſe ſtatuit; (nam omittimus legem, quam tulit, „ ut octava pars æris „ in denariis argento miſceretur “) propoſuitque legem, ut per Italiam & Si- „ ciliam coloniæ deducerentur [d]; utque „ Sempronia lex de frumento plebi viri- „ tim

a *Appian. Civ. L. I. n.* 372. *Vid. Cic. pro Cluent. c.* 55. *ſq.* b *de Offic. L. II. cap.* 21. c *Sex. Aur. Victor. Et videtur idem colligi poſſe ex Cic. pro Cluent. c.* 6. *licet locus plane corruptus ſit.* d *App. d. l. n.* 371.

„ tim dando ſervaretur . “ Ita ut , non ſine cauſſa dixerit „ nihil ſe ad largitionem ulli reliquiſſe, niſi quis aut cœnum „ dividere vellet , aut cœlum a . „ His autem omnibus legibus latis , cum adverſos tamen ſibi ordines experiretur , tunc demum de civitate ſociis danda cogitaſſe videtur b, cum auxilio ad defenſionem ſui indigeret : licet tamen ipſe prior ſumma violentia tum in *Cœpionem*, tum in Conſulem *Philippum* fuerit uſus : quorum alterum legibus ſuis obnunciantem de ſaxo Tarpejo ſe dejecturum eſſe, minatus eſt; alteri, Philippo, legibus agrariis reſiſtenti ita collum in comitio obtorſit, ut multus ſanguis flueret e naribus : cui inſuper Druſus luxuriam exprobrans , *muriam e turdis eſſe* , dicebat c . Nec inter ſingulos tantum vi res agebatur : ſed cum Equitem Servilius Cæpio , Senatum Livius Druſus aſſereret , ſic in urbe una, quaſi in binis caſtris ( nam etiam ſigna, & aquilæ, & vexilla aderant ) diſſidebatur d. Tandem, cum Latinorum promiſſam civitatem flagitantium poſtulata differre amplius non poſſet, Senatum vocavit in curiam: ibique in magna frequentia a *L. Craſſo* vehementiſſima contentione animi , ingenii , virium permulta dicta ſunt : cui dicenti latus condoluit, ſudorque multus conſecutus eſt : ex quo quum cohorruiſſet , cum febri domum rediit ; dieque ſeptimo e lateris dolore

 con-

a *Flor. L. III. c.* 17. b *Vell. Pat. L. II. c.* 14.
c *Sex. Aur. Victor.* d *Flor. d. l.*

conſumptus eſt [a]. Druſus quoque, cum immenſa & incognita, quæ eum ſemper comitabatur, multitudine cinctus domum e foro reverteretur, in atrio domus ſuæ, incerto cædis auctore, cultello percuſſus, qui affixus lateri ejus relictus eſt, intra paucas horas deceſſit; ut quidem plurimi tradunt [b]. Nam alii ſibi ipſi manus attuliſſe dixerunt [c]: alii, (& verius, ut videtur, cum ejus ſententiæ auctor ſit Cicero [d], qui tum decimum ſextum annum ætatis agebat,) percuſſorem ejus *Q. Varium*, de quo mox plura, fuiſſe ſcripſerunt. Plinius denique [e], *caprinum ſanguinem bibiſſe Druſum*, tradit: ſed vix vero ſimile eſt, quod addit, „ cum hoc „ feciſſe, ut pallore & invidia veneni ſibi „ dati inſimulare Q. Cœpionem inimicum poſſet. " Quicquid ſit, de tanti viri, & Tribuni quidem plebis, morte neque Populum conſultum, neque quæſtionem a Senatu decretam eſſe, idem Cicero teſtatur [f]: licet adeo Senatui faverit Druſus, ut *ejus pœne patronus* diceretur: quod nomen ejus patri jam *plene* tributum fuerat. Licet autem in auctores ejus cædis inquiſitum non fuerit, tamen ejus invidiam penes Cæpionem & Philippum Conſulem fuiſſe quidam aſſe-

a *Cic. de Orat. L. III. cap. 2.* b *Liv. epit. 71. Vell. Pat. L. II. cap. 14. Senec. conſ. ad Marc. cap 16. Appian. de B. C. L. I. n. 373.*
c *Sen. de brev. vit. cap. 6.* d ~~*de Nat.*~~ *Deor. L. III. c. 33.*
e *H. N. L. XXVIII. c. 9. & Aur. Victor.*
f *pro Mil. c. 7.*

aſſerunt [a]. Leges ejus tanquam contra auſpicia latæ, referente Conſule Philippo, uno Senatusconſulto ſunt ſublatæ [b]. Ultima vox ejus a bona animi conſcientia profecta videtur: *Ecquando*, inquit, *propinqui, amicique, ſimilem mei civem habebit Reſpublica* [c]? Et ad morum etiam ejus integritatem referendum eſt, quod cum domum in Palatio ædificaret, promitteretque ei architectus, ita ſe eam ædificaturum, ut libera a conſpectu, immuniſque ab omnibus arbitris eſſet, neque quiſquam in eam deſpicere poſſet: *Tu vero*, inquit, *ſi quid in te artis eſt, ita compone domum meam, ut quidquid agam ab omnibus perſpici poſſit.*

§. III. Sed, licet ita ſublatus eſſet Druſus, non ideo minus ſociorum animi ad ſpem civitatis adipiſcendæ erant erecti; qui jam ante Druſi mortem Conſules Philippum ac Cæſarem in Albano monte inter ſacra feriis Latinis occidere conſtituerant [d]: quod ſcelus proditione, vel ipſius Druſi indicio diſcuſſum eſt. Et nimia Equitum Romanorum in eos acerbitate etiam magis exaſperati fuiſſe videntur. Erat *Q. Varius* [e] Tribunus plebis, cui etiam *Hybridæ* cognomen fuiſſe dicunt: (*vaſtum hominem atque fœdum* dicit Cicero *de Oratore L.* 1. *c.* 25.) ſed cer-

*§. 3. Initium belli ſocialis.*

a *Sex. Aur. Victor.* b *Vid. Cic. pro domo c.* 16. *Aſcon. ad Or. I. pro C. Cornel. p.* 660. *& ed. Græv.*
c *Vell. Pat. L. II. c.* 14. d *Flor. L. III. c.* 18.
e *apud Appian. Civ. L. I. n.* 373. *male* Κόϊντος Οὐαλέριος *dicitur.*

certum ſatis eſt, poſtremum illud interpretationem tantum vocis *Varius* eſſe, quod ei propter obſcurum jus civitatis inditum ſit [a]. Hic certe Varius, auctoribus Equitibus Romanis, legem *de majeſtate* tulit adverſus interceſſionem collegarum, „ Uti quæreretur, quorum dolo „ malo ſociis ſpes civitatis injecta, & bel„ li occaſio data eſſet. " Qua ratione ſperabant Equites, ſe potentiſſimum quemque accuſatoribus objicere, & ita ad ſuum judicium delatos tam invidioſi criminis judicare poſſe: ſublatiſque ea ratione inimicis majorem fore poſtea ſuam in Republica potentiam. Huic legi cum collegæ reſiſterent, Equites ſtrictis pugionibus circumſtantes eam perferri fecerunt. Eaque lege multi viri inſignes damnati ſunt; ut etiam ipſe Hybrida Varius [b]; alii, non exſpectato Populi de ſe judicio in exſilium abierunt. Ipſum etiam *M. Æmilium Scaurum* Principem Senatus lege ſua Varius reum ad Populum fecerat. Scaurus vero auctoritate ſua & magnanimo reſponſo totum judicium diſcuſſit. Cum enim accuſationem ſuam Tribunus plebis intentaſſet, nihil aliud reſpondiſſe fertur Scaurus [c], quam, *Varius Sucronenſis Æmilium Scaurum ait, ſocios ad arma coegiſſe. M. Scaurus Princeps Senatus negat. Teſtis nemo eſt. Utri vos, Quirites, convenit credere?*

a *Val. Max. L. VIII. c.* 6. *n.* 5. *Vid. Torrent. ad Horat. Serm. I. VII. v.* 2. b *Cic. Bruto c.* 89. b *Quinctil. Inſtit. L. V. c.* 12. *Sex. Aur. Victor.*

*dere*? Qua ratione ita omnium commovit animos, ut ab ipſo etiam Tribuno plebis confeſtim dimitteretur. Minus recte, ut puto, Valerius Maximus dicit [a], pro roſtris accuſatum fuiſſe M. Scaurum, quod a Rege Mithridate pecuniam ob Rempublicam prodendam accepiſſet. Igitur Anno Urbis ſexcenteſimo ſexageſimo tertio utrique Conſuli bellum cum ſociis decretum eſt, quibus Legati & Tribuni militum adjuncti ſunt peritiſſimi quique Imperatores, tam Conſulares, quam Prætorii: quales fuerunt *M. Cornutus*, *L. Cinna*, L. Sulla prætorii; Conſulares vero C. Marius, *P. Didius*, Q. Catulus, *Cn. Pompejus* Magni Pater, *P. Craſſus*, viri rebus geſtis ac victoriis ad rei militaris ſcientiam eruditi [b]; ut plures alios mittamus: quibus omnibus Proconſularis poteſtas eſt data: & ſingulæ ſuæ regiones Italiæ attributæ. Italicorum etiam erant celeberrimi inter ſuos Duces Silo Popedius, *Herius Aſinius*, *Vettius Cato*, vel *P. Vettius Scato*, quemadmodum apud Ciceronem *Philip. XII. c.* 11. legitur, in quibuſdam quidem editionibus: (*Gruteri*, *Schrevelii*, Grævii) nam in aliis, ut *Manutiana* & *Bruttiana*, legimus, *Catone*. In Velleji editione *Burmanniana* [c] *Inſtejus Cato* dicitur: ad quem locum Voſſius tamen etiam *T. Vettius* reponi malebat. Erant præterea *C. Pontidius*, *Marius Egnatius*, A.U. 663.

a *L. III. c. 7. n. 8.* b *Cic. pro Fontej. c. 15. Vell. Pat. L. II. c. 15. App. Al. Civ. L. I. p.* 375. c *L. II. c. 16.*

*tius*, *Teleſinus Pontius*, *C. Papius Mutilus*, & alii. Et cum maximis quidem Romanorum cladibus bellum hoc geri cœptum eſt; ita ut primum Vettius Cato Conſulem Sex. Julium vicerit, & cæſis duobus millibus reliquos in *Æſerniam* Samnitium compulerit, quæ in fide Populi Romani perſtiterat. Et Conſul ſtatim quidem poſt prælium per fugam ſalutem ſibi quæſiviſſe videtur: *L. Scipio* vero, & *L. Acilius* legati ſervili habitu ſumpto elapſi ſunt: Reliqui fame coacti tandem deditionem fecerunt. *Marius* etiam *Egnatius* duas Romanorum cohortes, *Venafro* per proditionem capto trucidavit. *Aſculani* quoque inter primos *Servium* Prætorem, *Fontejum*que legatum occiderant. *P. Preſentejus* legatum *Perpennam* fugavit, cæſis ex ejus exercitu circiter quatuor millibus. Ita ut *Rutilius* alter Conſul adempto Perpennæ imperio reliquias ejus exercitus C. Mario traderet. Sed non eo minus Licinius Craſſus a *M. Lamponio* clade idonea affectus eſt: & Nola per deditionem a C. Papio capta, ubi milites ad ſocios tranſitionem fecerunt, duces a victore inedia necati ſunt: inter quos præcipuus erat *L. Poſtumius* Prætor [a]. Idem Papius mox multas urbes cepit; aliaſque ad defectionem a Romanis compulit. *Oxyntem* Jugurthæ filium Venuſina cuſtodia eductum & purpura ornatum popula-

[a] *Liv. Epit.* 73.

pularibus ejus Cæſari militantibus oſtendit: prudenti quidem & felici conſilio: nam ita crebris transfugiis factis, reliquos Numidas in Africam dimittere Conſul coactus eſt. In Apulia etiam Canuſini, Venuſini & multi alii defecerunt. Papius tamen Cæſaris Conſulis caſtra oppugnans magna ſatis clade affectus eſt. At collega Cæſaris Rutilius in inſidias pertractus multos ſuorum amittit; & ipſe paulo poſt ex vulnere moritur: legatus tamen ejus Marius eodem tempore hoſtium caſtra a paucis cuſtodita expugnavit. Cum autem cadaver Conſulis, & aliorum nobilium virorum cadavera non pauca in Urbem ad ſepulturam relata eſſent, triſtis nimis ea pompa Senatui viſa eſt: & factum eſt Senatusconſultum, „ ut qui poſtea in acie cecidiſſent, eo ipſo loco humi conderentur [a]. " Rutilii exercitus Cæpioni & Mario a Senatu commiſſus eſt: ſed illum Q. Popedius transfugere ſe ſimulans (&, quo fidem faceret, duos ſervos pueros more ingenuorum prætextatos adduxerat pro obſidibus, & plumbi etiam maſſas auro argentoque circumlitas) decepit: & in inſidias perductum cum plurimis ſuorum interfecit. Per idem tempus etiam Sex. Cæſar a Mario Egnatio in vallem quandam compulſus amiſſa majore parte exercitus ipſe vix evaſit. C. vero Marius Marſos egregie repulit, ſocio victoriæ Sulla. Qua victoria efferatos ma-

a *Appian. Civ. L. I. n.* 377.

magis quam fractos gentis ferociſſimæ animos Appianus teſtatur [a]; ita ut reparatis viribus etiam ultra Romanos laceſſere fuerint auſi. Parte alia Cn. Pompeji exercitus intra Firmum compulſus & obſeſſus eſt: ſed mox verſa fortuna, cum hoſtes fortiter repuliſſent Romani, eorumque ducem *Afranium* ſtrenue pugnantem interfeciſſent; Aſculum, quo ſe receperant oppugnarunt. Hic *Judacilius* eorum Dux, cum oppidani nihil adverſus Romanos moverent, contumaciæ ejus auctores primum contrucidavit; inde cum amicis epulatus, cum jam probe adbibiſſet, venenum hauſit, ac in rogum decubuit amicos hortatus, ut faces ſubderent. Atque ita, ne patriæ funus videret, ſuum ipſe funus exſecutus eſt.

§. 4. Res A. U. 664. §. IV. Anno ſequente Proconſul Cæſar hoſtes, dum caſtra movent, aggreſſus ingentem eorum ſtragem edidit. Sed nihilominus augebatur Romanis metus, cum diverſa parte Umbri Etruſcique ſucceſſu aliorum invitati defectionem agitare dicerentur. Itaque Senatus ſumma diligentia bellum curavit: maris inferi litoribus præſidia impoſuit: libertos tum primum in militiam legit [b]; & quidem ad illam tantum cuſtodiam maritimam, ut ex verbis Appiani elicitur [c]. Veruntamen paullo generalius hæc accipienda ſunt: nam ad bellum jam etiam Jugurthinum Marius milites ex libertis legere cœperat; ut

a *Civ. L. I. n.* 378. b *Liv. Epit.* 74. c *Civ. L. I. n.* 379.

ut ex Plutarcho [a] patet: ubi vox δοῦλος non *ſervum* proprie, ſed *genus ſervile* notat, quo etiam continentur liberti; ut jam olim cum Plutarchi locum explicavit *Lipſius* [b]. Et vario quidem eventu adhuc bellatum eſt; dum *L. Porcius* Conſul per hyemem Marſis bellum inferens, & , poſtquam jam aliquoties eos viciſſet, caſtra eorum oppugnans cecidit. Quæ res hoſtibus ejus prælii victoriam dedit. Oroſii vero fides levior eſſe videtur, Conſulem a C. Marii filio per invidiam proſtratum in ipſo prælii tumultu referentis [c]. Poſt hæc *L. Cluentius* Dux hoſtium Sullam primo congreſſu vicit: qui mox auctus acceſſu pabulatorum (quos primo prælio exſpectare neglexerat) cladem ipſis cum fœnore regeſſit: cum præcipue incommodum Cluentio & fugientibus eveniret, quod Nolani metuentes, ne Romani ſimul irrumperent, unicam tantum portam ſuis aperire auderent. Ita in fuga triginta millia, circa muros alia viginti millia cæſa dicuntur cum ipſo Cluentio fortiter pugnante. Sed metuo, ne numerum cæſorum nimium Appianus auxerit: quod vitium & priſcis & novis hiſtoricis nimium quantum eſt familiare [d]. Inde Hirpinos Sulla vi ad fidem

a *Mario p. m. 410.* b *de Mil. Rom. L. II. dial. 2.* c *L. V. c. 18.* d *Vid. P. Scriverii Batav. Vet. p. m. 123. in Diderico V. & alibi. Vid. & Lucian. quom. Conſcr. ſit hiſt. p. 616. ed. Græv. & Cl. Jo. Clerici Art. Crit. P. III. S. 3. c. III. §. 3.*

dem revocat: & in Samnitibus per totam æſtatem res proſpere gerit: ut raro quiſquam alius ante Conſulatum tantas res geſſerit [a]. Solum tamen Cneum Pompejum *Strabonem* ex hoc bello triumphaſſe *de Aſculanis Picentibus* ex tabulis Capitolinis diſcimus: quibus etiam alii adſtipulantur auctores [b]. Qua ſane victoria metu liberatam Rempublicam, & bello quaſi finem impoſitum fuiſſe tradunt. Et merito pauci ex hoc bello triumphi decreti ſunt; cum *civile* potius, quam *externum* dicendum, & omnino calamitoſiſſimum fuerit. Neque de bello civili Senatus triumphum decernere ſolebat. Alii tamen etiam legati hoc tempore res proſpere geſſerant: *A.* nempe *Gabinius* adverſus Lucanos; (ſed qui in obſidione caſtrorum hoſtilium cecidit [c]) adverſus Marrucinos *Sulpicius*: qui totam eorum regionem recepit. Marſi quoque a *L. Murena* & *Cæcilio Pio* (ita apud Livium legendum conjicit, & recte ſane, ut videtur, unicus ejus ſoſpitator *Jo. Fridericus Gronovius* pro eo, quod vulgo circumfertur, *Cæcilio Pinna*) præliis aliquot fracti pacem petierunt, & a *Mam. Æmilio* etiam victoria quædam relata eſt. Ceciditque circa idem tempus, ut videtur, in prælio Silo Popedius Marſorum dux, præcipuus totius defectionis auctor. Sed dum ita per Italiam dubiis caſibus bellum geritur, & latius defectio ſerpit, Romæ de civita-

te

a *Liv. epit.* 75. b *Plin. H. N. L. VII. c.* 43. *Aſcon. in Or. contra Pis. c.* 23. c *Liv. epit.* 76.

te ſociis danda ſerio agi cœptum eſt. Nam legem *de civitate ſociorum* ad Populum jam tulerat L. Julius Cæſar; vel, ut quibuſdam videtur, in extremo ſuo Conſulatu Anno ſexcenteſimo ſexageſimo quarto; vel potius [a] in Cenſura, quam anno ſequente cum *P. Licinio Craſſo* extra ordinem geſſit, ut ex fragmentis tabularum Capitolinarum conſtat: quinquennium enim a proximis Cenſoribus nondum elapſum erat. Hac *lege Julia* [b] primum Latinis, qui in fide manſerant, civitas data fuit. Mox etiam iis, qui & ſerius defecerant [c], & minus acriter reſtiterant, ut Etruſcis & Umbris. Et demum Italiæ univerſæ, exceptis Lucanis & Samnitibus: qui tamen aliquanto poſt etiam voti compotes ſunt facti [d]. Atque hic fuit exitus belli luctuoſiſſimi: quod, licet non ultra biennium duraverit, amplius CCC millia juventutis Italicæ abſtuliſſe dicitur [e]. Ut non immerito dubitaſſe videatur Plinius [f], hocne, an civilia bella, terræ Italiæ funeſtiora fuerint. Nam ita juventutem exhauſit, & eo neceſſitatis adduxit Rempublicam, ut tum primum libertini ad militiam conſcripti fuerint juxta Livium [g]; de qua re jam antea aliquid monuimus. Novi cives in octo tribus nunc primum priſcis triginta quinque additas ſunt conjecti [h]: ſed tamen paullo poſt



a *Vid. Sigon. de ant. jure Ital. L. III. c.* 1. b *Gell. L. IV. c.* 4. c *Vell. Pat. L. II. c.* 16. d *App. Alex. L. I. n.* 382. e *Vell. Paterc. L. II c.* 15. f *Hiſt. Nat. L. II. c.* 83. g *epit.* 74. h *App. Al. Civ. L. I. n.* 379.

tribus ad priſtinum numerum redactæ ſunt [a].

## CAPUT SECUNDUM.

### *De bello Mithridatico, & cum Rege Tigrane.*

*§. 1. Origo hujus belli.*

§. I. DIximus antea [b], Romanos victo Ariſtonico Phrygiam Majorem, quæ pars regni Attalici fuerat, dediſſe Mithridati Euergeti Regi Pontico; cui ſucceſſit filius Mithridates cognomine *Eupator*, & *Magnus* aliquando dictus [c]. Hic, non magni faciens donum quod alteri ereptum a raptore patri ſuo donatum eſſet; ſive reputans, cras ſibi poſſe evenire, quod hodie alteri acciderat, mature bellum contra Romanos coquere cœpit; quod poſtea per multos annos adverſus præſtantiſſimos Romanorum duces varia fortuna geſſit, cum clarior ſæpe majorque in reſtaurando bello reſurgeret [d]. Conditor regni Pontici quondam alius *Mithridates* fuerat, (*Artabazem* vocat Florus [e]) cui ab ea re κτίστου, hoc eſt, *conditoris* cognomentum adhæſiſſe videtur [f]: iſque *Antigonum* unum ex Alexandri Magni ſucceſſoribus fugiens in Ponto mortuus eſt; ubi dominatum a *Dario Hyſtaſpis* majoribus ſuis traditum in regnum

a *Vid. Grucch. de com. Rom. L.I.c.4.* b *L. VII. c.1.§.2.*
c *Vid. Spanhem. de P. & U. Num. Diſſ.VII p.482. ed. noviſſ.* d *Juſt. XXXVII. c.1.* e *L.III.c.5.* f *Strabo L. XII n.562. Lucian. de macrobiis p. 470. edit. Grav.*

*Pag. 163.*




*Pag. 190.*



regnum verterat. Nam genus ſuum ad unum e ſeptem Perſis, qui *Magum Smerdem* interfecerant, referebat [a]. Hæc origo fuit Regis, qui omnium acerrimo in Romanos (niſi Hannibalem forte exceperis) odio flagravit; cum pater ejus tantus eorum fuiſſet amicus; ut ſe φιλορωμαῖον dixerit: ſi fides nummis hodieque ſuperſtitibus; in quibus illud cognomen reperiri aſſerunt [b]: *Dionyſi* etiam cognomen habuiſſe hunc Regem, ab Appiano [c] traditur: qui *Magnum* etiam appellatum fuiſſe aſſerit [d]. Cauſſa autem belli inter eum & Romanos geſti hanc fuiſſe Romani ſcriptores tradunt. Confugerat ad fidem Populi Romani *Ariobarzanes* Rex Cappadociæ opem adverſus Mithridatem Euergetem implorans: Romani Mithridatem Cappadocia excedere juſſerunt: quia jam tum, ut videtur [e], ſuſpectam habebant nimiam ejus Regis potentiam. Et paruit quidem Rex: ſed adverſus Nicomedem Pruſiæ nepotem, Regem Bithyniæ, qui avitum regnum ex Senatusconſulto acceperat, fratrem ejus miſit *Socratem* cognomine *Chreſtum*, ſive *Probum*; qui illud ſibi acquiſivit. Ergo Romani miſerunt legationem, cujus princeps erat *M' Aquillius*: & *L. Caſſio* Aſiæ Prætori negocium dederunt, ut Reges in regna eorum reduceret: nam A.U. 662.

L 2 non

a *Polyb. L. V. c.* 43. *Diod. Sic. L. XIX. p.* 692. *App. Mithrid. n.* 209. b *Vid. Spanh. de P. & U. Num. Diſſ. VII. p.* 482. c *Mithrid. n.* 176. d *Ibid. n.* 170. e *Appian. d. l.*

non bona ſide Ariobazanes reſtitutus eſſe videbatur, quippe quum in Prætura Cornelius Sulla (ita quidem Pighius; ſed diligentius inſpectus Plutarchus [a] docebit, illud poſt præturam factum fuiſſe) legatus in Cappadociam miſſus eſſe dicatur; qui prompta ſociorum opera uſus *Gordium* Mithridatis ducem ejecit, Ariobarzanemque reſtituit. Anno ergo ſequente, quem jam notavimus, legatio illa principe Aquillio miſſa eſt: quæ ipſi Mitridati Eupatori, (hic jam patri Euergeti ſucceſſerat) injunxit, ut auxilium Prætoribus Romanis ferret [b]: cui mandato tamen Rex nequaquam paruit. Ergo Prætores Regibus a ſe reductis mandarunt, ut vicinas Mithridatis ditiones incurſionibus vexando materiam bello quærerent. Detrectare imperium auſus non eſt Nicomedes; licet invitus vicinum adeo potentem laceſſeret: & quamvis ad *Amaſtrin* uſque (celebris hæc in Paphlagonia urbs fuit) omnia depopularetur, nemo, vetante Mithridate, ipſum prohibuit: ut ita multas & juſtas bellandi cauſſas Mithridates haberet. Sed digreſſo demum Nicomede legatos ad Romanorum Duces miſit; qui paternam amicitiam memorantes de injuriis Nicomedis quererentur: quibus reſponſum eſt, " neque Mithridatem a
„ Nicomede vexari placere; neque Nico-
„ medi bellum inferri paſſuros. "

§. II.

a *Sulla p. m.* 453.
b *Appian. d. l. n.* 177.

§. II. Atque ita jam manifeſto ſe a Populo Romano læſum eſſe credens Mithridates Ariobarzanem primum per filium ſuum Ariarathen regno pepulit [a] : atque inde iterum legatum ad Romanos miſit eundem *Pelopidam*, qui jam priorem legationem obierat. Hic multa de injuriis ab amicis Romanorum illatis, & quam injuſte eorum defenſio ſuſciperetur, conqueſtus ſtatim caſtris excedere eſt juſſus, quod oratio ejus inſolentior videretur. Ergo non exſpectata de tanto bello S. P. Q. R. ſententia legati Romanorum Caſſius, Aquillius, tertiuſque *Q. Oppius* egregiis copiis, & claſſe, qua os Ponti cuſtodiebant [b], inſtructi bellum Mithridati intulerunt : inveneruntque hoſtem ab omnibus rebus paratiſſimum. At primum belli facinus Romanos Duces terruit, cum Nicomedes a ducibus Mithridatis non ſine magna ſuorum ſtrage fugatus eſſet : ita ut Duces Romani infelici hoc belli initio fuerint perculſi, præſertim cum temere & injuſſu tantum bellum ſuſcepiſſent. Imo breviſſimo tempore Mithridates tota ditione Nicomedis potitus eſt [c] : neque eo contentus in provincias nuper Romanis partas, Phrygiæ reliqua, Myſiam, Aſiamque incurrit : Laodicenſeſque, qui *Lycum* fluvium accolunt, (hi ſunt; quorum meminit Apoſtolus *Paulus Coloſſ. II.* 1. & *IV.* 13. *ſqq.* & ad quos S. *Joannes* ſcripſit epiſtolam, quæ le-

*§. 2. Apertum jam cum Mithridate bellum:*



a *Appian. Mithr. n.* 179. b *Ibid. n* 181. c *Ibid. n.* 183.

gitur *Apocal. III.* 14.) permovit, ut ſe non tantum, ſed Oppium etiam legatum traderent.

*§. 3. Res ante Sullæ adventum geſtæ. A. U. 665.*

§. III. Is rerum erat ſtatus cum anno ſexcenteſimo ſexageſimo quinto L. Cornelio Sullæ bellum adverſus Regem Mithridatem eſt mandatum ſimul cum provincia Aſia; licet domeſticis turbis & bello ſociali Reſpublica horrendum in modum affligeretur. Fabuloſum vero videtur, quod addit Appianus [c], ob pecuniæ penuriam Senatusconſultum eſſe factum, ut venderetur, quicquid olim Rex Numa ad ſacrificia Deorum ordinaverat: & *quædam* ex iis fuiſſe vendita, atque inde *novem millia librarum auri* † eſſe confecta: unde enim tantum auri priſcis illis temporibus fuiſſet corraſum; cum poſt annos quadringentos Rufinus vir Conſularis & Dictatorius a Cenſoribus Senatu motus ſit, quod *decem pondo vaſa argentea* comparaſſet [b]? Sed hoc obiter. Vix in Campaniam proceſſerat Sulla, cum lege *Sulpicii* Tribuni plebis Marius Imperator ad bellum Mithridaticum deſignatur: a quo initio ortum eſt atrociſſimum illud bellum civile, quod inter Sullam & Marium horrenda crudelitate eſt geſtum: ſed cui enarrando ſuus debetur locus. Mithridates vero hoc ipſo tempore [b], poſtquam Aſiam Romanis, Bithyniam & Cap-

dociam

a *Mithrid. n.* 185. † 4500000. *noſtrorum florenorum, ſi* 500. *putemus in libram auri.* b *Val. Max. L. II. c.* 9. *n.* 4. *Vid. Juven. Sat. VI. v.* 343. c *Plut. Sulla p. m.* 458. C.

padociam Regibus extorſiſſet, ſedebat Pergami, opes, & dominatus, & regna amicis diſpertiens. Filiorum ejus alter vetus imperium in Pontum & Boſporum, & longe lateque etiam ultra paludem *Mæotin* obtinebat: alter Traciam & Macedoniam jam cum exercitu erat ingreſſus, dum Duces ejus inſulas maris Ægæi ipſi ſubjicerent. Athenis ſedem rerum ſuarum habebat; ita ut inde gentes vicinas a Romanis abductas ad ſe traheret. Sed graviore porro & horrendo facinore furorem ſuum erga Romanos oſtendit a; dum per mandata literis arcanis comprehenſa omnes Romanos Italoſque hoſpites cum uxoribus, liberis, ceteriſque ingenuis domeſticis eadem die atque hora per omnes Aſiæ civitates interfici juſſit: quod tanto cum ardore factum eſt, ut etiam qui ſupplices ad ſtatuas Deorum confugiſſent, inde abducti trucidarentur: ita ut ſatis appareret, non metu Mithridatis, ſed odio prorſus internecino in Romanos horrendum id facinus fuiſſe peractum. Octoginta millia civium Romanorum in Aſia per urbes negociandi cauſſa diſperſa hoc modo interempta fuiſſe dicuntur b. Aquillius cum aliis a Mitylenæis vinctus Mithridati eſt traditus: quem aſino impoſitum per Aſiam circumvexit, ſuum ipſius nomen proclamare coactum: eique demum aurum liquefactum in os in-

 fun-

a *Appian. Alex. n.* 185. *Vell. Paterc. L. II. c.* 18. *Cic. pro Flacco c.* 25. b *Val. Max. L. IX. c.* 2. *ex.* 3.

ſundi juſſit, avaritiam ita execrandam Romanis exprobrans. Magneſiæ inde, Epheſi, Mitylenæ cum ſummo civium gaudio Rex exceptus eſt: & alia non pauca Aſiæ loca in poteſtatem redegit. Contra Rhodiis hoc tempore nihil fide in Romanos par fuit. Itaque ad eos evaſerunt, qui pauci Italici generis in Aſia ſuperfuerant [a]. Et claſſis Rhodiorum Mithridatis claſſem vicit, eventu inſperato, quod eorum claſſis numero navium longe inferior claſſe eſſe regia deprehenderetur. Terreſtres etiam quaſdam copias ad Mithridatem navigantes tempeſtas in Rhodum appulit; ex quibus quadringentos milites ceperunt Rhodii, navibus pleriſque exuſtis; & a ſuorum mœniorum oppugnatione etiam feliciter Regem ipſum repulerunt. Dum porro ipſe mulierculæ amoribus indulget, Archelaus ejus Dux Delum & alias Ægæi maris inſulas expugnat; easque tribuit Athenienſibus, quos jam in ſocietatem ſuam pertraxerat. Achæos quoque, Lacedæmonios, Bœotos omnes, exceptis *Theſpienſibus* ſibi adjunxit. Eodem tempore *Metrophanes* [b] a Mithridate cum copiis miſſus Eubœam partemque Macedoniæ depopulabatur: cui ſe objecit *Brutius Sura*, (ita enim legendum eſſe, non *Brettius*, docet Pighius *ad A. V.* 656.) qui legatus erat *Sentii* Macedoniæ Prætoris; eumque mare repetere coegit. Idem cum Archelao & *Ariſtione* per triduum dubio

a *App. Al. d. l. n.* 186. b *Appian. d. l. n.* 189. *Plut. Sil. l. p.* 458.

dubio Marte pugnavit: ſed; dum hoſtibus accedunt Græcorum auxilia, recedere coactus eſt.

§. IV. Sed jam Sulla rebus, ut poterat, in Urbe compoſitis cum egregio exercitu in Græciam trajecerat; ubi Thebæ & tota fere Bœotia pro inſita Græcorum levitate ſtatim ad eum defecit. Athenaſque confeſtim & Piræeum Athenarum portum Romanus obſedit: eamque obſidionem omnibus modis urſit, quod in Urbem redire feſtinaret. Quod ſi paulisper ſuſtinuiſſet, urbem, ſuperiorem certe, facile ad deditionem fame potuiſſet cogere. Machinarum ergo omnis generis vim ingentem paravit; ſacros etiam theſauros Græciæ undique coactos ad uſus belli adhibens. Et recte hic obſervat Plutarchus a, quantum a majorum modeſtia jam deſciviſſent Romani, cum & Quinctius Flamininus, & Glabrio Acilius, & Paullus Æmilius templis Græcorum non ſolum abſtinuiſſent; ſed ultro etiam dona & venerationem iis tribuiſſent. Neque tantum a Romanis obſidione vexabantur Athenienſes; ſed etiam Ariſtio, qui urbi præerat, ſumma & crudelitate & laſcivia in miſeros cives ſæviebat. Tandem ſenum Atticorum notiſſima jam ab antiquis temporibus garrulitas b occaſionem urbis capiendæ Sullæ præbuit. Excepta enim fuerunt verba ſenum tyrannum inſectantium, quod

§. 4. Res à Sulla in Græcia geſta:

a *Sull. p. m. 459.* b *Vid. Acta Apoſt. XVII. 21. Græv. ad Heſiod. [illegible] v. 493.*

quod aditum ad *Heptachalcon*, qui unus locus facile hoſtibus ſuperabilis eſſet, ſtatione non muniviſſet [a]. Eo ergo loco Sulla in urbem irrupit; eamque, ut erat natura ſæviſſimus, cædibus implevit, nec ætati, nec ſexui parcens; militibuſque urbem diripiendam præbens. Merito tamen iratus erat populo leviſſimo Romanus Imperator, cum durante obſidione aſſidue ex mœnibus convicia in Sullam, ejuſque uxorem *Metellam* jeciſſent [b]. Arcem non diu poſtea fame ac ſiti domitam expugnavit, Ariſtionemque ibi captum cum multis aliis ſupplicio affecit. Piræeum etiam majore, quam ipſam urbem, labore cepit & incendit, nulli præclaro operi parcens. Inde adverſus Archelaum, qui nova auxilia paraturus in Theſſaliam profectus erat, contendit; eumque ad *Chæroneam* Bœotiæ aſſecutus ingenti prælio profligat; cum hic omnium belli caſuum plane imperitus foret. Et impune Romani hoſtes ſuos trucidabant, qui in anguſtiſſima loca compulſi repugnare non poterant: nec in caſtra fugientes recipiebantur. Ita ex centum viginti millibus non multo plures, quam decies mille ſuperfuerunt; ex Romanis duodecim tantum aut tredecim deſideratos fuiſſe dicunt. Jam autem *L. V. c.* 5. §. 5. oſtendimus ex ratione pugnandi eorum temporum, non adeo illud a veritate alienum videri debere; quæ hic non repetimus.

Fa-

a *Plut. d. l. p.* 460. *de garrulit. p.* 505. b *Plut. Ib.*

Famam regiæ cladis, ut fieri ſolet, multarum urbium, multorumque hominum defectio ſecuta eſt; cum Rex præterea & dolore cladis acceptæ, & ipſo futuræ defectionis metu atrociter in multos ſæviret. Et primum quidem in Gallogræcorum tetrarchas, & quos ex iis circa ſe in amicorum cohorte habebat, iram effudit: quibus occiſis præſidia civitatibus eorum impoſuit [a]; quæ tamen a tetrarchis, qui evaſerant, inde ejecta ſunt. Chiis quoque iratus jam inde, ex quo navis eorum imprudens in regiam impegerat in navali contra Rhodios prælio, duobus talentorum millibus † eos mulctavit; quæ a *Zenobio* Præfecto regio ſumma acerbitate exacta ſunt; & non minore perfidia. Verum cum etiam Epheſum Zenobius veniſſet, non mitius, ut ſuſpicari licet, cum ea urbe acturus, a civibus trucidatus eſt. Epheſiorum & Chiorum exemplo permotæ plures urbes a Mithridate deſciverunt: qui ſtatim exercitu contra defectores miſſo alios ſeveritate, clementia alios in fide retinere conatus eſt. Suorum præterea conjurationem expertus eſt; ejuſque ſceleris populares, & alios ſubinde pullulantes conſpiratores ſumma ſeveritate punivit.

§. V. Sed interea alteram quoque & graviſſimam cladem ducibus regiis Romani intulerunt. Nam Sulla ad Orchomenum rurſus caſtra cum hoſtibus contulit. *§. 5. Secunda Sullæ de Rege victoria.*

Cum-

a *Appian. Al. Mithr. n.* 200. † *Philippæorum* 1200000.

Cumque longe ſuperiorem equitatu Archelaum cerneret, multas per campum foſſas duxit, quo impeditiore equitatu hoſtis uteretur. Sed cum prælio commiſſo Romani ſegnius pugnarent, Sulla ex æquo deſiliit [a], & proximo ſigno arrepto inter duas acies procurrit clamitans, *Mihi quidem, milites; hic mori pulchrum eſt. Vos autem ſi quis roget, ubi Imperatorem prodideritis, mementote reſpondere*, pugnantem ad Orchomenum. Ita aliis periculo, aliis pudore motis pugnam inſtaurarunt Romani & egregia victoria potiti ſunt: ac poſtridie caſtris hoſtem exuerunt. Archelaus naviculam nactus Chalcidem trajecit; & quicquid uſquam copiarum erat Mithridatis, convocavit propere. Sulla vero cum plures ex Urbe ſævitiam inimicorum ejus *Cinnæ* & *Carbonis* fugientes in ejus caſtra concederent, Romam abire deſiderabat: præſertim cum etiam uxor ejus *Metella* cum liberis ad eum confugiſſet. Bellum tamen affectum relinquere non audebat; ita ut avide ſatis occaſionem colloquii ab Archelao oblatam arripuerit [b]: ſed indigne tulit; quod moneret eum Archelaus, ut expeditione in Aſiam & Pontum, quam moliebatur, relicta ad bellum civile proficiſceretur; Regem ei, quantum vellet, argenti, navium, militum præbiturum. Ergo ſupplex denique oravit Archelaus, ut pacem Mithridati Sulla præſtaret: qui in Theſſaliam trans-

a *Appian. Al. Mithr. n.* 203. *Plut. Sulla p. m.* 465. b *Plut. Sulla p. m.* 466.

tranſgreſſus hiemabat [a]. Et anno ſequente pacem cum Mithridate fecit, ut mox dicemus, cum pauca etiam alia præmiſerimus. Nempe Cinna, qui mortuo jam Mario ſolus in Urbe dominabatur, collegam, quem ſibi adſciverat, *L. Valerium Flaccum* in Aſiam miſit cum duabus legionibus, ut pro Sulla, qui hoſtis jam declaratus erat, bellum cum Mithridate gereret. Aderat huic bellicarum rerum imperitiſſimo Quæſtor [b] *C. Flavius Fimbria* (*hominem longe audaciſſimum & inſaniſſimum* vocat Cicero [c]) qui auctoritate apud milites pollebat [d]. Sed lite inter eos exorta, quod nullam honoris Fimbriæ curam haberet Flaccus, hic primum ab altero fugere coactus eſt; & inde occiſus. Ita Fimbria ſe ipſum exercitus Imperatorem fecit [e]: & aliquot pugnas haud quaquam ignave cum Mithridatis filio pugnavit. Atque ipſo Rege Mitylenem fugere coacto provinciam inde obire & ordinare cœpit. Ab Ilienſibus vero excluſus fuiſſe videtur: qui ab illo obſeſſi Sullæ opem implorarunt: ſed minime denunciationi Sullæ, qui eum iſta obſidione abſtinere juſſerat, obtemperans in urbem irrupit, & crudeliſſime incolas & urbem afflixit, ne ſacratiſſimis quidem rebus parcens; idque eo atrocius facinus viſum eſt, quod Romani Ilienſes pro cognatis & ejuſdem originis populo haberent. Dicit Appianus,

a *App. Al. Mithr. n.* 204. b *Strabo L. XIII. n.* 394. c *Cic. pro Sex. Roſc. Amer. c.* 12. d *App. Alex. d. l.* e *Ibid. Vell. Pat. L. II. c.* 24.

nus [a], juxta quoſdam ſcriptores inter hanc Ilienſium cladem & veteris Ilii haloſin interceſſiſſe annos mille & quinquaginta; qui calculus noſtro quadraginta octo circiter annis minor eſt.

*§. 6. Finis I. belli Mithr.*

§. VI. Cum autem Archelaus, ut jam dictum eſt; pacem jubente Mithridate petiiſſet; Sulla; qui ab omnibus rebus imparatus erat; & qui in Urbe jam hoſtis judicatus nihil inde accipiebat; in eam conſenſit; modo de conditionibus conveniri poſſit: Petebat autem totius claſſis traditionem; captivorum; transfugarum, fugitivorum omnium dimiſſionem; deductionem præſidiorum ex locis omnibus; quæ poſt violatam pacem occupaverat; impenſarum redditionem; utque patrio regno contentus eſſet Mithridates: Atque præſidia quidem ſtatim deduxit Archelaus; ſed legati; quos ad Mithridatem miſerat; reverſi Paphlagoniam reddere negarunt. Ergo Sulla iratus exercitum verſus Aſiam duxit; Lucullo etiam præmiſſo, quo legato utebatur: Sed ante quam ad arma iretur inter ipſum Sullam & Mithridatem colloquium eſt habitum: ubi oratione Sullæ omnia, quæ vel inique, vel ſceleſte Mithridates commiſerat ſumma acerbitate referentis territus Rex pacem in leges Archelao oblatas recepit [b]: Sulla ſtatim Ariobarzanem & Nicomedem arceſſivit, eoſque Mithridati reconciliavit: Iniquius quidem tulerunt milites mortem cen-

a *Mithr. n.* 206. b *Ibid. n.* 210.

centum quinquaginta millium civium uno die per Aſiam trucidatorum non acerbius fuiſſe vindicatam : ſed excuſavit ſe Sulla, quod Fimbriæ defectioni & Mithridatico bello; ſi vires illi & conſilia junxiſſent, par futurus non eſſet. Sed ſimul ac contra Fimbriam movit Sulla, hic a militibus ſuis relictus ſemetipſum in caſtris ſuis confodit, ægerrime ferens, quod Sulla ab eo ad colloquium invitatus pro ſe *Rutilium* quendam miſiſſet, quaſi Fimbriam ſuo alloquio indignum duceret. Hic exitus primi belli Mithridatici fuit. Sulla communi Aſiæ mulcta viginti millium † talentorum dixit [a] : privatim vero licentia militi conceſſa civium domos afflixit : & piratis, ſe præſente, plurimas urbes ex præcipuis vaſtare permiſit [b] : & tandem in Italiam rediit Anno Urbis ſexcenteſimo ſeptuageſimo. Triumphavit autem per biduum poſt biennium demum, poſtquam nempe bellum civile ex ſententia confeciſſet.

§. VII. Sed reliquerat Sulla in Aſia Proprætore *L. Licinium Murenam*; cui L. Lucullus Legatus Proquæſtore eſt additus. (Pater hic fuit iſtius *L. Murenæ*, quem defendit Cicero [c]) Lucullus, cui cura tributi, quod Aſiæ impoſitum erat, exigendi incumbebat; Mitylenæis primum tributum detrectantibus, bellum intulit [d]. Atque inde triumphi cupidine occaſione novi belli per Aſiam excitandi capta-

*§. 7. Bellum Mitridaticum II.*

† *Philippaor.* 17000000. a *Plut. Sulla p. m.* 467. b *App. Alex. Mithr. nu.* 213. c *Vid. Or. pro Mur. c.* 15. d *Plut. Lucull. p. m* 494.

vit. Præbuit eas, vel præbere viſus eſt Mithridates, dum & *Colchos* & *Boſporanos*, qui ab Imperio ejus defecerant, bello perſequitur. Et Colchi quidem filium Mithridatis patri cognominem Regem ſibi imponi poſtulaverant: eoque impetrato ſtatim redierunt ſub Imperium. Sed hoc filii ſui ambitioni tribuens pater eum necavit; quanquam egregia ejus opera adverſus Fimbriam uſus fuiſſet. Nec Ariobarzani ſolidam Cappadociam reddidiſſe dicebatur: & Archelaum ſuſpectum habebat, quaſi in conditionibus faciendis plus æquo Sullæ conceſſiſſet. Hic ergo fuga ad Murenam delatus eum permovit, ut prior Mithridati arma inferret: cumque fœdera ipſi objicerentur, ulla ſe unquam fœdera vidiſſe negavit: neque mirum: nulla enim Sulla conſcripſerat; ſed pactorum exſecutione contentus diſceſſerat. Querelas igitur Romam ad Senatum Rex detulit: & miſſus eſt, qui juberet, ut a fœderato Rege abſtineretur, *Q. Calidius*. Verum abunde patet, neque Senatum, neque Calidium ea, quæ feciſſet Murena, improbaſſe; poſtquam enim diu collocuti fuiſſent, nihil de priſtina vehementia Licinius omiſit. Ita coactus Rex exercitu contracto Murenam prælio ſuperatum in Phrygiam fugere compellit [a]. Et Sulla indigne ferens, ea quæ ipſe egerat, minus rata haberi, *Gabinium* miſit, qui Murenam compeſceret; & Mithridatem cum

a *App. Alex. Mithr. n.* 215.

cum Ariobarzane in gratiam reduceret, Atque ita ſecundum bellum Mithridaticum compoſitum, & in pacem minime diuturnam ſuturam mutatum eſt. Murenam, licet re male geſta, triumphaſſe ex notis numeralibus fragmentorum Capitolinorum colligitur. Atque ita manifeſtiſſimam injuriam Imperatoris ſui S. P. Q. R. comprobavit.

§. VIII. Sed Mithridates otium nactus Boſporanis quidem filium *Macharem* Regem dedit; Ariobarzani vero non totam reſtituiſſe Cappadociam accuſatus fuit. Imo *Tigranem* Syriæ Regem, generum ſuum ſubornavit, ut Cappadociam invaderet, qui inde trecenta millia hominum in *Armeniam* abſtraxiſſe dicitur; & tum primum ſibi diadema impoſuiſſe. Urbem, ubi potentiæ ſuæ ſedem fixerat, *Tigranocertam*, hoc eſt, *Tigranis urbem* appellavit a. Nam, *Kerta Armenis urbs eſt*, dicit *Heſychius*, קַרְתָּא, *Karta Chaldæis*; *Hebræi* קִרְיַת, *Kiriath*. Quando ergo belli iterum contra Romanos gerendi certus eſſet, cum *Sertorio*, qui reliquias partium Marianarum in Hiſpania fovebat, ſocietatem iniit de ipſa jam Italia invadenda cogitans: de quo fœdere aliquid etiam in hiſtoria belli Sertoriani dicendum erit. Leges ſocietatis præcipuæ fuerunt b „ ut milites „ ducemque Mithridati Sertorius mitte„ret; eorum auxilio occupata Bithynia, „ Paphlagonia, Galatia, Cappadocia,

*§. 8. Tertium bellum Mithr.*

*A. U. 675.*

*A. U. 677.*



a *App. Alex. Mithr. n.* 216. b *Plut. Sertorio p. m.* 581.

„ Mithridati cederet, tria millia talento„ rum & quadraginta naves Mithridates „ Sertorio præberet. “ Quin ducem ad Mithridatem Sertorius miſit ex ſenatoriis exſulibus *M. Marium*, qui poſtea a Lucullo captus & interfectus eſt: ( *Varium* dicit Appianus, quod verius puto ) & omni ratione bellum apparabat Mithridates novis etiam auxiliis ex gentibus barbaris contractis. Obierat nuper Bithyniæ Rex Nicomedes, & teſtamento Populo Rom. regnum ſuum reliquerat. Hanc ergo Mithridates ſubito occupat; cum Præſes provinciæ *Cotta* ignaviſſimus cum copiis, quas habebat, Chalcedonem confugeret: ubi iis, qui Regem fugiebant, magnam cladem inferri paſſus eſt, potius quam ut portis urbis apertis eos reciperet; quin ipſe ſe cum *P. Atilio Nudo* Præfecto claſſis diligenter intra urbis mœnia continuit [b]. Verum ſerius hæc, anno nempe Urbis ſexcenteſimo octogeſimo, facta ſunt: nam anni præcedentis Conſul uterque ad bellum Mithridaticum miſſus fuerat; ita ut *Cotta* Bithyniam cum claſſe, qua Propontidem tueretur, obtineret; Lucullus proprie bellum Mithridaticum cum Cilicia. Lucullus ad bellum profectus primum ad *Cyzicum*, quæ urbs eſt Myſiæ minoris inſulæ impoſita, ſed quæ duobus pontibus continenti juncta eſt [c], caſtra cum Mithridate contulit. Ibi *L. Manius*, qui etiam a Sertorio

a *Plut. Sertorio p. m.* 581. b *App. d. l. n.* 219.
c *Strabo L. XII. n.* 575.

torio ad Mithridatem erat miſſus, ſed qui clam ſalutem jam ſibi a Lucullo pepigerat, perſuaſit Regi, ut Romanis liberum tranſitum daret: legiones enim Fimbrianas, quæ aliquando cum Sertorio militaverant, propediem in partes ejus eſſe conceſſuras. Nam ad montem in quo caſtra collocare cupiebat Lucullus, una patebat via, quam valido præſidio Mithridates inſederat: igitur fallaci conſilio imprudenter parens Mithridates paſſus eſt, Romanos montem ſibi maxime incommodum, ipſis opportuniſſimum munire. Ipſe vero Cyzicum ingenti molimine oppugnare cœpit [a]: (dum etiam per Duces ſuos Romanis arma inferret: quorum unum *Eumachum* repreſſit *Dejotarus* unus ex Gallorum Tetrarchis Romanis amiciſſimus: quem poſtea ſenem admodum apud Cæſarem Cicero defendit, quod hujus vitæ inſidias ſtruxiſſe diceretur.) Sed fortiſſime repugnantibus Cyzicenis, & Lucullo etiam fame hoſtes ſuos urgente obſidionem ſolvere coactus eſt; licet eam urbem ſibi *Aſiæ januam* futuram putaviſſet b. Acceſſit etiam alia clades, quod magna pars claſſis ejus cum militibus, quos impoſuerat, naufragio confracta eſt c. Et *Triarius* Luculli legatus *Apameam* (urbs eſt Bithyniæ ad Propontidem) expugnavit cum magna incolarum ſtrage: alius etiam ejus legatus *Barba* (ſiquidem recte ita apud Appianum legitur) *Pruſiadem* & *Nicæam*.

M 2 Du-

a *Appian. d. l. n.* 220. b *Cic. pro Mur. c.* 5.
c *Appian. d. l. n.* 222.

Duces quoque tres Mithridatis perſecutus *Dionyſium* quidem eo adegit, ut venenum biberet; Varium, de quo jam diximus, interfecit; tertium *Alexandrum* ad triumphi pompam ſervavit. Mithridates bis adhuc tempeſtatem cum magno ſuo damno paſſus *Sinopen*, regiam ſuam urbem [a], pervenit: & omni conatu e ſubditis, e ſociis, e finitimis exercitum contrahit; licet non unus ex Ducibus ejus ad Romanos transfugeret [b]. Lucullus interea *Amiſum*, *Eupatoriam*, *Themiſcyram*, præcipuas Mithridatis urbes, exercitu in varias partes diviſo, oppugnavit: & cum alia parte Mithridatem aſſidue urgens frumentatoribus ejus magnam cladem intulit: eamque fama majorem ad Mithridatem detulit [c]. Cum ergo de fuga cum amicis conſultaſſet, hi prius fugam arripuerunt [d]; exercituſque univerſus paſſim totis campis diffugit. Et captus erat ipſe Mithridates, niſi miles prædæ pretioſiſſimæ colligendæ intentus occaſionem ipſi evadendi præbuiſſet [e]. Rex fuga ad Tigranem contendit cum duobus millibus equitum: ſed ab eo in conſpectum non admiſſus in caſtellis, vel in agris potius, more regio ali juſſus eſt. Ergo de regno deſperans *Bacchum*, vel *Bacchidem* eunuchum miſit, qui ſorores ſuas, uxores, concubinas interficeret: eæque gladio, veneno, laqueo perierunt. Fuit celebris inter eas *Mo-*

*A. U. 681.*

a *Strab. L. XII. v.* 545. b *Appian. d. l. n.* 224. c *Ibid. n.* 226. d *Plut. Lucull. p. m.* 502. e *Cic. pro L. Manil. c.* 9.

*Monime* Mileſia, quod dona Regis ſplendiſſima aſpernata, niſi juſtis nuptiis illi jungi recuſaſſet. Hæc ſe diademate e capite detracto ſuſpendit: ſed illo rupto, *infelix faſcia*, inquit, *ne hic quidem mihi eris uſui*: Atque ita jugulum obtulit Bacchidi. Interea omnes fere præſidiorum prefecti tranſitionem ad Lucullum fecerunt: qui Amiſum ſumma *Callimachi* prefecti prudentia & fortitudine diu defenſam, tandem expugnavit: eamque ſervare conabatur Lucullus: ſed ignem tectis injicientibus militibus magnam partem conflagravit. Tamen Lucullus, cum pars urbis ſubito effuſo imbre ſervata eſſet, antequam ex his partibus diſcederet, eam inſtauravit [a], libertate incolis conceſſa [b]: quod beneficium etiam poſtea Sinopenſibus præſtitit: nam eam urbem demum cepit; cum bellum Tigrani faceret; de quo jam dicemus. Inde ad alias urbes provinciæ Aſiæ converſus Lucullus, quæ a publicanis & fœneratoribus horrendum in modum vexabantur, horum quidem ſcelera repreſſit legibus ſane (ſiquidem ea tempora & mores Romanorum cogitemus) moderatiſſimis: ſtatuit enim, „ ne uſuræ majores, quam *centeſimæ* †, perſolverentur; ſi quæ ſortem „ exceſſiſſent uſuræ, reciderentur; quartam partem proventuum debitoris creditor acciperet; ſi quis uſuras ſorti



a *Plut.* 1 *d. l. p.* 504. b *App. Mithr. n.* 228.
† 12⅓ *in centum*.

„ adjeciſſet, & ſortem, & uſuras per„ deret." Ita intra quatuor annos omnia nomina diſſoluta, omnes poſſeſſiones liberæ dominis ſuis redditæ ſunt. Et ita ære illo alieno, quod per mulctam a Sulla impoſitam erat contractum, provincia liberata eſt. Machares porro Mithridatis filius Lucullo coronam auream honoris cauſſa miſit; atque ab eo *amicus* appellatus eſt [a].

§. 9. *Bellum cum Tigrane. A. U. 682.*

§. IX. Inde Lucullus contra Tigranem movit duas tantum lectas legiones & quingentos equites ſecum ducens: cum tamen antea *Clodium* uxoris ſuæ fratrem ad eum miſiſſet, qui traditionem Mithridatis flagitaret: ni traderetur, bellum Regi indiceret. Sed ejus legatio fruſtra fuit: niſi quod plurimorum ex ſubditis Tigranis animos ab eo alienavit, tyrannidem domini ſui iniquiſſimo animo ferentes. Tigranes vero alieno ſane tempore bellum contra Romanos incepit: nam ſi hoc ipſi fuiſſet propoſitum integro Mithridati ſe jungere debuerat. Sed Lucullus divina quadam felicitate trajectis Euphrate & *Tigride* fluviis in penitiſſimam Armeniam penetravit. Nec quiſquam Luculli adventum Tigrani indicare audebat: qui enim primus tale quid nunciaverat, crucem habuerat pretium. Tandem primus amicorum ejus *Mithrobarzanes* verum ei dicere auſus, ipſe cum modicis copiis repente collectis obviam ire Lucullo eſt

a *Liv. epit.* 98.

lo eſt juſſus eumque vivum adducere: ſed ab eo primo ſtatim congreſſu ſuperatus & cæſus eſt. Mox Tigranocertam Lucullus obſedit; dum Tigranes regionem obeundo colligeret exercitum. Eoque ingenti coacto, licet Mithridates prælium diſſuaderet, inſtructa acie ad Romanos proceſſit: & paucitatem eorum conſpicatus intempeſtivo & frigido joco, *Si tanquam legati*, inquit, *veniunt, multi; ſi tanquam hoſtes, perpauci* [a]. Et ſane, cum ipſe CCCM. exercitum haberet, Lucullo vix undecim, vel duodecim millia armatorum aderant: qui tamen tantam multitudinem parvo admodum negotio in fugam conjecerunt, & per centum viginti ſtadia † perſecuti ſunt, nihil quicquam de præda rapientes, prius quam victores reverſi eſſent, ut Lucullus juſſerat. Tigrànes inter primos fuga evaſit. Ex exercitu ejus peditum ſupra CM. cecidiſſe, equitum pauci effugiſſe memorantur. Et ſcriptis traditum fuit a *Strabone Philoſopho in libris Hiſtoriarum*, (hic idem eſſe videtur, qui Geographus [b]) ipſos Romanos puduiſſe victoriæ nullo certamine partæ, & ſeipſos riſiſſe, quod in abjecta mancipia armis fuiſſent uſi. Mithridates majore magnanimitate erga Tigranem victum uſus eſt, quam qua ipſe a Tigrane exceptus fuerat: & mox ſimul novis copiis conſcribendis incubuerunt. A Partho uterque &

*A. U. 684.*



a *Plut. Lucull. p. m.* 509. † *hora 5. itineris.*
b *Vid. Strab. L. I. n.* 13.

Lucullus & Tigranes auxilia petierunt; qui utrique pollicitus neutri ea miſit. Interea Tigranocertam ceperat Lucullus a Græcis mercenariis, vel, ut alii, a peregrinis quibuſdam, quorum major pars Cilices erant, intra mœnia receptus [a]. Theſauros ibi regios nactus ſibi ſumpſit: ita ut nihil mirum ſit, unde poſtea tanto in luxu vivere potuerit, ut inde *Xerxis togati* nomine fuerit notatus [b]. Militibus urbem diripiendam dedit: ubi præter alias res pretioſas, octo millia talentorum † in pecunia ſignata fuerunt inventa. Militibus ſingulis præterea octingentas drachmas † de præda dedit. Et ſummopere a juſtitiæ & humanitatis laude celebratur Lucullus; quæ plurimos barbarorum ipſi adjunxit [c]. Idem facere conatus fuerat *Gordyenorum* Rex *Zarbienus*: ſed, antequam advenisſet Lucullus, cum uxore & liberis necatus fuit. Splendidum ei funus apparavit Lucullus: nec immerito, cum ingentem vim pecuniæ, aurique & argenti, frumenti præterea maximam copiam in theſauris ejus invenisſet. Quo jure autem hæc acceperit Lucullus, & an hæredes habuerit Zarbienus, quibus ea ablata ſint, neſcio: hoc certe in eo laudatum fuit, quod ita, ne teruncio quidem ex ærario accepto, bellum belli proventibus aluerit [d]. Sed expeditionem Parthicam omi-
ſit

a *Dio fragment. L.* 35. b *Plut. Lucull. p. m.* 518. † *Philippaer.* 480000. † *Flor.* 240. c *Plut. p. m.* 512. d *Plut. Ibid.*

ſit Lucullus, quod contumacibus militibus uteretur: & in Tigranem exercitum movit, media jam æſtate, cum antea propter frigus hoſtium fines invadere non potuiſſet: ſed a barbarorum equitatu male acceptus eſt [a]. Videtur tamen, idque dicit Plutarchus [b], aliquoties hoſtes fudiſſe cum ad *Artaxata* regiam Tigranis pervenerit. Ibi ei demum cum exercitu Tigranes occurrit, & ſtatim acie victus eſt, cum etiam Mithridates Ponticus fœdam fugam capeſſiviſſet, ne primum quidem Romanorum militum clamorem ſuſtinens. Sed Artaxata capere non potuit Romanus Imperator, quod ſub æquinoctio autumnali milites in illis tractibus montoſis frigus non ferentes, ſeditionem excitarent [c]. Ergo itinere in meridiem converſo *Niſibin* (*Sibin* mendoſe apud Plutarchum legitur) *Meſopotamiæ* urbem celebrem expugnavit initio hyemis per totam æſtatem fruſtra tentatam: atque ibi multis theſauris inventis hyemavit [d]. Sed jam fortuna, quæ hactenus mirum in modum cœptis Luculli faverat, eum deſtituere cœpit. Nam & milites moleſtam ſane militiam inviciſſimi tolerabant; & Romæ Tribuni plebis, & Prætor *L. Quinctius* in concionibus ſuis Lucullum proſcindebant, quaſi imperii pecuniæque cupiditate bellum duceret. Et omnium vehementiſſime in eum invehebatur [e] Clodius ille uxoris Luculli frater; qui moribus erat turpiſſimis, & de cujus

a *Dio d. l.* b *Ibid. p.* 513. c *Plut. p.* 514.
d *Dio l. d.* e *Plut. p.* 515. *Dio l. d.*

cujus capitalibus cum Cicerone inimicitiis aliiſque probris ſuo loco dicemus; hic enim, exercitu Luculli per nefandum ſcelus ſollicitato, illinc Romam fugerat [a].

§. 10. *Belli III. Mithr. ulterior narratio.* §. X. Et contumacior fuiſſet in Imperatorem ſuum exercitus, niſi eo tempore primum *Fabius*, qui regionibus devictis a Lucullo Præfectus erat, Thracum maxime, qui in exercitu Romano militabant, & ſervorum, quos in caſtris habebat, proditione fuiſſet victus. Et periiſſent omnes in uno prælio, niſi, poſtquam Mithridates lapide eſſet ictus (nam ipſe, licet ſeptuagenario major, pugnæ aderat) a pugna ceſſantes ejus milites Fabio in tutum locum ſe recipiendi ſpatium dediſſent. Fabio deinde in *Cabiris* obſeſſo ſubvenit Triarius; cujus metu receſſit Mithridates: quem tamen in *Commagenos* fugientem inſecutus Triarius prælio vicit. *A. U. 686.* Verum anno ſequente Mithridates caſtris Triario oppoſitis omnibus modis eum, antequam Lucullus adveniret, ad prælium irritare contendit: cumque nihil proficeret, caſtellum, in quo Romanorum impedimenta ſervabantur, obſedit. Ergo Triarius a militibus coactus aciem inſtruxit; (Appianus dicit, illum abſente Lucullo depugnare voluiſſe, ſed major fides Dioni, licet paullo juniori, adhibenda videtur) & infeliciter adeo pugnavit, ut omnes Romani occidione occidendi fuerint, niſi unus ex iis, qui eo con-

a Cic. de Har. reſp. c. 20.

conſilio ad hoſtes transfugerat, grave vulnus Mithridati, cujus colloquium ſe expetere ſimulaverat, intuliſſet. Et hic quidem in ipſo facinore cæſus eſt: ſed tamen, barbaris ſubito caſu perturbatis, Romanorum plurimi perniciem evitarunt. Mithridates collecto animo exercitum ad caſtra Romanorum admovit: eaque jam deſerta reperit. Et licet hoc modo exercitus reliquiæ evaſiſſent, tanta tamen ſtrages Romanorum fuit, ut inter cadavera viginti quatuor Tribuni, centum quinquaginta centuriones reperti fuiſſe dicantur: quem numerum haud temere in alia Romanorum clade deſideratum invenias. Interim in Aſiam advenerat *Acilius* Conſul, quod Lucullus ab inimicis ſuis in Senatu protracti ultra juſtum tempus imperii accuſaretur: atque ita Senatus imperii diuturnitati modum ſtatuendum eſſe veteri exemplo putaviſſet [a]. Huic Lucullus partem militum tradidit: partem, qui jam ſtipendiis confectis erant, dimiſit: ita ut Lucullus aliam expeditionem, quod meditabatur, contra Tigranem ſuſcipere non potuerit. Plurimum autem in tota hac expeditione Lucullo obfuit quod ſe exoſum militibus reddidiſſet, dum ipſe in congreſſibus eſſet difficilis, in exigendis operibus militaribus moroſus, in pœnis irrogandis inexorabilis: & omnino militum animos aut comitate, aut præmiorum diſtributione ſibi

a *Cic. pro L. Mamil. c. 9.*

ſibi conciliare neſciret: cum ipſe præter ceteros ſe communem militibus exhibere debuiſſet, quod per duas hyemes aut in hoſtico eos hybernare, aut apud ſocios ſub dio eſſe feciſſet. His diſcordiis dum Romani laborant, Mithridates prope totum ſuum regnum recepit: cum nec Acilius, quæ ipſi erepta eſſent, defenderet: neque Lucullus ei obſtaret, quod Acilium prope jam adeſſe cauſſaretur. Neque etiam *Marcius* anni prioris Conſul Lucullo auxilium tulit, cauſſam obtendens; quod milites ſe ſequi noluiſſent. Imo is odio Luculli Clodium rei navali præfecit. Ita ut facile cuivis videre liceat, quantum jam tum a priſcis moribus deſciverint Romani, cum privatorum & odium & luxus paſſim occaſionibus Rempublicam bene gerendi anteponerentur. Atque ita Luculli ductu finis huic bello imponi non potuit (licet & ipſe & Murena de hoc Rege triumphaverint [a]) cum interim etiam aliis turbis Reſpublica agitaretur: nam illud intelligens Mithridates & proprium ſuum regnum munivit, & Cappadociam rurſus invaſit. Ita ut demum tertium bellum cum Mithridate gerendum Cn. Pompejo mandaretur. Verum de eo in enarratione aliarum rerum a Pompejo in Oriente geſtarum dicturi ſumus: nam nimium jam harum rerum ſeries nos evexit ultra ea tempora quibus bellum civile inter Marium & Sullam eſt exortum.

CA-

a *Cic. pro L. Manil. c. 4.*

## CAPUT TERTIUM.

### *Bellum civile Marii & Sullæ.*

§. I. CUm bellum ſociale adeo jam Rempublicam afflixiſſet, ut nulla gravior clades ei obvenire poſſe videretur, longe tamen pernicioſius fuit bellum civile, quod inter partes Marii & Sullæ geſtum fuit. Patebit illud præcipue, ſi conſideremus non tantum quantum ſanguinis ejus occaſione fuſum ſit; verum etiam, hoc bellum exemplum fuiſſe, ad quod poſtea duo alia bella civilia (nam minora hic omittimus) ſunt geſta; quibus tandem Reſpublica plane deleta eſt, & in unius hominis poteſtatem conceſſit. Cauſſa belli fuit, præter horrendam morum & totius Reipublicæ corruptionem (cujus rei memorandum eſt exemplum, quod A. U. 664. *A. Sempronius Aſellio* Prætor Urbanus in foro ſacrificans interfectus eſt [a] a fœneratoribus, quod ſecundum debitores jus dixiſſet, *ut debita ex veteri lege diſſolverentur*) præter eam corruptionem, dico, cauſſa præcipua fuit duorum hominum impotens animus, nec in ſecundo gradu conſiſtere, nec ſocium dominandi ferre ſciens. Nam Marius tum optimatibus omnibus, tum ſpeciatim Sullæ iratus erat, (& erat hic ex nobiliſſima illa *Corneliorum* gente) ipſe humili ad- *§. 1. Orig. belli civilis Mariani.*

mo-

a *Liv. epit.* 74. *Val. Max. L. IX. c. n.* 4. *App. Civ. L. I. n.* 382.

modum loco oriundus [a]. Et quomodo in optimates animatus fuerit jam diximus, cum de rebus ejus adverſus Jugurtham geſtis ſumus locuti [b]. Sullæ prætetrea ex propria cauſſa jam dudum iratus erat Marius; quod, cum Quæſtor Marii bello adverſus Jugurtham Sulla fuiſſet, gloriam iſtius belli confecti magnam partem ſibi vindicaſſet; quoniam ipſe a Boccho Rege Jugurtham traditum acceperat; ejuſque rei memoriam ſignis aureis in Capitolio dedicatis conſervaverat [c]. Et idem bello Cimbrico legatus Marii re optime geſta invidiam Imperatoris ſui accenderat [d]. Citiuſque diſcordia inter hos duos in nervum erupiſſet, niſi validiſſima illa ſociorum Italicorum rebellio domi pacem, licet ſimulatam, tam diu conſervaſſet. Verum nondum compoſito plane bello ſociali, Anno Urbis ſexcenteſimo ſexageſimo quinto *P. Sulpicius Rufus* Tribunus plebis, vir diſertus, acer; opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenii atque animi celeberrimus [e], & qui antea optimis artibus famam ſibi quæſiverat [f], quaſi pigeret eum virtutum ſuarum, ſubito pravus ac præceps Rempublicam turbare cœpit, legeſque plures ferre: quæ tamen an omnes pernicioſæ fuerint, dubito. Nam, quid æquius ea promulgatio-

a *Vid. Juven. Sat. VIII. v.* 245 b *L. VI. §.* 3. *ſq.* c *Plut. Mario p.* 424. *&* *Sulla p.* 452. *Vid. Vaill. G. Cornel. n.* 82. d *Ibid.* e *Vell. Pat. L. II. c.* 18. f *Aſcon. ad Or. I. pro C. Corn. p.* 957. *ed. Grav.*

gratione, *ut exules, quibus cauſſam dicere non licuiſſet, revocarentur* [a]? Et ipſe Cicero acerrimus optimatium fautor, dubie etiam de hac cauſſa loqui videtur [b], ſiquidem *libri ad Herennium* Ciceronem auctorem habeant; de quibus jam olim dubitatum fuit [c]. Eo etiam referenda videtur lex, *ne Senator ſupra duo millia denariorum æris alieni contraheret*. Hanc tamen maxime infregerat Sulpicius, cum moriens CCCM. denariorum † æris alieni reliquiſſe dicatur [d]. Pernicioſior fuiſſe videtur lex, *qua* tulit, ut *novi cives & libertini*, qui in quatuor tribus urbanas erant conjecti, *per omnes tribus diſtribuerentur, & in iis ſuffragium ferrent* [e]: nam ita veterum civium in ſuffragiis ferendis auctoritas quammaxime minuebatur. Eoque pretextu libertinis & inquilinis palam jus civitatis venundaſſe fertur, menſa ad dinumerandam pecuniam in foro poſita [f]. Habebat autem, dum hæc moliretur, ſatellitum tria millia ex juventute equeſtri, quos *Antiſenatum* nominabat. Quæ omnia arbitratu Marii agere, nec immerito, videbatur. Conſules, ut gliſcenti malo obviam irent, ferias in multos dies indicunt, ne ita comitia de his rebus haberi poſſent. Sed eas nihil moratus Sulpicius tumultum excitat, quo Pom-

a *Liv. epit.* 77. b *ad Herenn. L. II. c.* 28. c *Vid. Voſſ. Inſtit. Orat. L. I. c.* 11. *ſ* † 90000. *flor.* d *Plut. Sulla p. m.* 456. e *Aſcon. l. d. Liv. epit.* 77. *App. Alex. Civ. L. I. n.* 383. f *Plut. d. l.*

Pompeji Conſulis filius eſt interfectus: Quod autem maxime incendium hoc auxit, fuit lex ab eodem Sulpicio lata, *ut C. Mario extra ordinem bellum cum Mithridate & Aſia provincia decerneretur*. Nam ita Sullæ ſpes luculentiſſimi triumphi, ſummarum divitiarum, immortalis gloriæ adimebatur: quæ omnia in adverſarium ſuum in ſenili corpore ambitionem immanem alentem transferebantur.

*§. 2. Marius a Sulla pulſus.*

§. II. Sulla his rebus intellectis ſtatim quidem armis decernere cupiebat; militum tamen antea voluntatem ſibi explorandam cenſuit: quos etiam quæſtuoſam adverſus Mithridatem expeditionem ardentibus votis expetere certus erat. Et non tantum bono animo eſſe Sullam milites juſſerunt: verum etiam Tribunos a Mario miſſos, qui exercitum ab eo abducerent, lapidibus obruerunt. Marius viciſſim in Urbe amicos Sullæ trucidavit; & bona eorum diripuit. Tamen Senatus, quanquam jam ſui juris non eſſet, legatos miſit ad Sullam Prætores duos, qui eum procedere vetarent: ſed hi ſpoliati inſignibus, ſiſti non poſſe ſeditionem nunciant [a]. Aliis iterum legatis a Senatu miſſis, qui Senatum ipſi ſatisfacturum eſſe pollicerentur, promiſit ſe loco, ubi erat, (erat ad quintum ab Urbe lapidem) caſtra eſſe poſiturum. Sed vix illi diſceſſerant, quin infeſto exercitu inſecutus Urbem diviſo agmine intrat:

[a] *Plut. Sulla p. m.* 457.

trat: cumque miſſilibus e tectis arceretur ignem iis injici jubet, ipſe primus face ardenti flammam ſubjiciens: quippe animo plane ira obcœcato, amicis an inimicis damnum inferret, jam ulterius non diſcernebat. Mariani trepide armati Sullanis occurrunt: & tum primum media Urbe ſignis collatis dimicatum eſt. Tandem Mariani, ſervis fruſtra per edictum ad libertatem vocatis, Urbe expelluntur. Poſtridie Sulla cum collega ſuo Pompejo concionem advocat, eaque, quæ fecerat, coactum ſe feciſſe dicit: revocandum autem jam eſſe veterem morem, ne quid injuſſu Senatus ad Populum ferretur a. Comitia etiam non tributa, ſed ex commentariis Servii Regis centuriata eſſe habenda: (nam in tributis comitiis omnem vim penes plebem fuiſſe jam antea dictum eſt) & acciſa multis aliis modis plebis & Tribunorum ejus potentia, trecentos ex omni optimatum numero in Senatum allegit, abrogatis antea omnibus Sulpicii actis, quæ quidem ferias illas a Conſulibus indictas ſecuta eſſent. Inde hoſtibus ſuis, Mario præcipue Sulpicioque, & duodecim Senatoribus aqua & igni interdici curat, bonis eorum publicatis; & pretio in caput Marii conſtituto: ingrate ſane, cum paullo ante tumultu a Sulpicio concitato a Mario, cujus poteſtati ſe permiſerat, invito quidem Sulpicio, dimiſſus fuiſſet: qua injuria jam ſtatim Sulla &



a *Appian. Civ. L. I. n.* 386.

Populi & Senatus animum a ſe avertit [a]. Et P. Sulpicius quidem, cum in quadam villa, vel, ut alii [b], in paludibus Laurentinis lateret, indicio ſervi ſui retractus & occiſus eſt [c]. Servus, ut præmium promiſſum indici haberet, manumiſſus eſt; & mox ob ſcelus proditi domini de ſaxo dejectus. Marius ſolus profugit Oſtiam; ibique navem conſcendit: cum filius ejus patri cognominis in Africam jam profectus eſſet. [d]. Tempeſtate autem jactatus Marius Circejos appulit; ubi a bubulcis quibuſdam eſt monitus, ut ſe quam celerrime inde proriperet, modo enim conſpectos illic fuiſſe equites, qui eum perſequerentur. Ergo in profundam ſylvam ſe conjecit; ibique ærumnoſum in modum pernoctavit: ita ut merito *acerbiſſimam* ejus fugam vocet Cic. *de Orat. III.* 2. Poſtero die, cum fame premeretur, e latebris prorepens ſecundum litus perrexit Minturnas: cumque inde vix horæ itinere abeſſet, conſpecta ala equitum ſimul duas naves onerarias juxta litus navigantes Marius conſpicit: in quarum alteram vix duorum ſervorum ope ſubnixus evaſit. Nam mox aderant equites, qui Marium repetebant: quod quidem a nautis negatum eſt; ſed illi tamen paullo poſt Marium monent, ut corporis curandi cauſſa in terram exiret: quod cum ille feciſſet, nihil tale cogitantem in litore deſtituunt. Hinc

a *Plut. Sulla p. 457. f.* b *Vell. Paterc. L. II. c.* 19.
c *Liv. epit.* 77. d *Plut. Mario c.* 426.

Hinc per paludes profundas in tuguriolum ſenis eas incolentis irrepſit [a]; a quo quidem in loco quodam paludis depreſſiore occultatus eſt: ſed adventantibus mox quibuſdam a Terracina equitibus ab eodem ſene metu perculſo proditus eſt. A Minturnenſibus Marius in cuſtodiam mulieris privatæ eſt traditus; dum, quid ſibi faciendum eſſet, deliberant. Quod tandem eo rediit, ut interficiendum ſibi eſſe Marium cenſerent [b]. Verum miſſus ad eum occidendum eques gente Gallus vel Cimber adeo & voce & vultu Marii; &, ut videtur, recordatione cladis genti ſuæ illatæ turbatus eſt [c], ut ſe abjecto enſe foras proriperet, *non poſſe ſe occidere Marium*, clamitans [d]. Hic ſtupor omnes, & miſeratio viri maximi, Italiæ quondam conſervatoris, cepit; ita ut eum incolumem ad mare deduxerint, & viatico atque veſte inſtructum impoſuerint in navem publicam. At ille, aſſecutus in *Ænaria* inſula privignum *Granium*, amicoſque alios, curſum in Africam direxit; & prope Carthaginem appulit [e]. Obtinebat Africam eo tempore Prætor *C. Sextilius*, qui confeſtim provincia ſua abſiſtere Marium juſſit. Sed paullo poſt demum Marius filius hic ad patrem acceſſit; qui apud Numidiæ Regem *Hiempſalem* fuerat ſpecie honoris detentus: ſed evaſerat



a *Juven. X. v.* 276. b *Plut. Mario p.* 428. c *Vell. Paterc. L. II c.* 19. d *Liv. epit.* 77. *Val. Max. L. II. c. X. n.* 6. *Appian. Alex. Civ. L. I. n.* 376. e *Lucan. L. II. v.* 88. *ſq.*

mulierculæ cujuſdam auxilio ejus amore captæ, quæ ex regiis pellicibus erat, vix equites ad eos perſequendum a Rege miſſos elapſus in inſulam *Cercinam* non procul a continente diſſitam [a]. Interea Sulla hactenus vindicta, quam ſumpſerat, contentus porro a vi abſtinuit [b], tutus præſidio exercitus, quem ex Senatusconſulto ad bellum Mithridaticum acceperat. Ne autem collega Sullæ Q. Pompejus interea periclitaretur, Italia ei cum exercitu, quem habebat Cn. Pompejus Proconſul ( Magni pater ) a Populo decreta eſt. Tulit id ægerrime Cneus; tanquam privatus tamen Quinto ceſſit. Sed hic paullo poſt a militibus occiſus eſt, indigne quidem ferente, aut indignationem ſimulante Cn. Pompejo [c]; ſed imperium priſtinum ſtatim reſumente. Sulla vero, qui ſe non ſatis tuto in Urbe verſari poſſe credebat, in Aſiam ad exercitum profectus eſt: nam reipſa ſenſerat, Populi animos offenſos eſſe, cum candidato ſororis Sullæ filio *Nonio*, licet avunculi commendatione ſubnixo, magiſtratum negaſſet [e]. Antequam vero proficiſceretur, Conſulem creat *L. Cornelium Cinnam*, qui, licet Sullæ gentilis, adverſarum tamen partium erat, ſed jurejurando prius & devotionibus in ſuas partes adactum. At vix profectus erat Sulla, quin unum ex Tribunis plebis accuſatorem ei ſubornaverit Cin-

a *Plut. Mario p.* 429. b *Appian. Civ. L. I. n.* 388. c *Vid. Vell. Paterc. L. II. c.* 20. d *Plut. Sulla p.* 458. e *Plut. Sulla p.* 458.

Cinna: qui mox etiam novis civibus pollicitus eſt, *ſe eos in omnibus tribubus diſtributurum* [a]; fuitque ſuſpicio, eum trecentis talentis † acceptis corruptum fuiſſe [b]. Oppoſuit ſe ei alter Conſul *Cn. Octavius*; & Cinnam fruſtra ſervos ad pileum vocantem Urbe excedere coegit [c]. Huic ex auctoritate Senatus Conſulatus abrogatus eſt; eique ſuffectus eſt *L. Cornelius Merula Flamen Dialis*, ſive *Sacerdos Jovis*, venerandum apud Romanos nomen. Inde dum Cinna totus eſt in ſollicitandis Campanis, Conſules Urbem muniunt: & ſumma induſtria bellum parant. Cn. etiam Pompejum Proconſulem exercitum adverſus ſocialis belli reliquias ad mare ſuperum habentem propere ad auxilium patriæ revocant. Nec defuit ſibi Cinna: ſed ſpe largitionis exercitum, qui ad Nolam erat, corruptum in partes ſuas traduxit: & Conſulatus inſignibus reſumptis, ipſoque Mario cum aliis exſulibus revocato ex ſociis, vel novis civibus triginta legionum numerum complevit.

§. III. Circa idem tempus Marius in portum Hetruriæ *Telamonem* invectus [c] paucis diebus idoneum exercitum contrahit; plurimis ad nomen celeberrimi Imperatoris confluentibus. Verum licet Cinna, cui ſe cupide junxerat Marius, quod eum Sullæ ſuſpectum ſciret, eum Proconſulem appellaſſet miſſis ejus magiſtratus inſignibus; tamen ſordidatus & ſqualidus, *§. 3. Marii reditus.*

 dus,

a *Vellej. loc. prox. cit.* † 180000. *Philipp.* b *App. Alex. Civ. l. n.* 389. c *Plut. Mario p. m.* 429.

dus, eodemque habitu, quo ab Urbe profugerat, inceſſit, horrendam iram animo volvens: & nihil niſi cædem ac ſanguinem ſpirans. Tres inde ſimul exercitus Romam admoverunt, quibus, præter Marium, *Carbo*, Cinna & *Sertorius* præerant; & occupata Oſtia, aliiſque locis vicinis Urbem commeatibus intercludere cœperunt. Octavius interea in Urbe ſincere quidem, ſed imperite Rempublicam adminiſtrabat: cujus rei exemplum dicam; quod, cum moneretur, ut ſervos manumitteret, *ſe ea civitate ſervos donaturum, qua leges defendens Marium arcebat*, negaverit. Verum Metellum, qui reliquias ſocialis belli contra Samnites adminiſtrabat, revocarunt Conſules: at dum ille cunctatur Samnitium poſtulata admittere, Marius quicquid petebant pollicendo eos in ſuas partes pertraxit. Et eodem fere tempore in Urbem admiſſus fuit *Ap. Claudio* tribuno militum, cui Janiculi cuſtodia mandata erat, eum recipiente. Sed tum quidem & Marius & Cinna, qui etiam irruperat, repulſi ſunt. Verum cum quotidie & ſervitiorum pars magna, & imæ plebis famem metuens ad Marium tranſiret, Senatus iterum legatos de pace ad Cinnam miſit [a]: & mox etiam alios, qui cum eo, ut cum Conſule agerent, illud tantum petentes, *ut jurejurando caveret, ſe a cædibus* temperaturum eſſe. Cinna jurare quidem recuſavit;

a *Appian. Civ. L. I. n.* 392.

vit; ceterum ſatis benigne legatis reſpondit [a]. At Marius, qui tacitus Cinnæ adſtabat, vultus triſtitia ſatis animi ſævitiam declarabat; urbemque intrare ſibi licitum non eſſe dicebat, niſi lege ei exilium abrogatum eſſet. Verum egregius legum obſervator, ſtatim ac tres vel quatuor tribus ſuffragium tuliſſent, Urbem intravit: ac mox per dilectos ſervos, quos circa ſe habebat ( *Bardiacos* [b] vocabant, vel *Bardiæos*, neſcio an a Populis quibuſdam Illyrici, qui aliis *Vardæi* dicuntur [c] ) obvium quemvis interfecit. Et idonea cauſſa aliquem interficiendi iſtis ſævitiæ miniſtris, erat, ſi ſalutatus Marius non reſalutaſſet: quemadmodum ita *Q. Ancharius* vir Prætorius ſub ejus oculis interfectus eſt. Et nihil illa victoria fuiſſet crudelius, niſi mox Sullana eam eſſet conſecuta [d]. Igitur cum aliis cæſus eſt Octavius, vir leniſſimi animi: & ejus primum Conſulis caput pro roſtris eſt expoſitum [e]. Et Cinnæ quidem ſævitia multo jam ſanguine effuſo hebeſcebat: ſed Mario quotidie ſitis ſanguinis augebatur. Itaque nullo prorſus, neque Deorum, neque hominum reſpectu ſatellites ejus paſſim ſæviebant: occiſorumque capita pro roſtris ſpectaculo exponebantur; quod primum in Octavii capite, ut dixi, factum fuit: &, in M. Antonii oratorum ejus ætatis

 diſcr-

a *Plut. l. prox. d.* b *Plut. Ibid. p.* 431. c *Cic. Fam. V. 9. Plin. H. N. III. c.* 22. d *Vellej. L. II. c.* 22. *Lucan. L. II. v.* 98. *ſeqq.* e *App. Al. n.* 393.

diſertiſſimi, (Vide Cicer. *de Cl. Or. c. 36. ſqq.*) quique A. U. 654. Conſul, anno vero 656. Cenſor fuerat, factum eſſe, indignatur Cicero [a]: parum cogitans, eandem ſe ſortem manere: & quidem cum a *M. Antonio* hujus nepote proſcriptus eſſet. Merula a Cinna abdicare coactus inciſis venis ipſa Deorum altaria (Flaminem Dialem fuiſſe diximus) cruore ſuo perfudit [b]. Poſt quem flaminium illud vacavit ad annum Urbis 743. [c] nam Julius Cæſar, quem Flaminem Dialem deſtinatum dicit Suetonius [d], antequam inaugurare-tur a Sulla videtur eſſe dejectus [e]: vel, Sulla ei clam adverſante, plane non obtinuit, ut Plutarchus tradit [f]. Nec vacat recenſere alios, (*C. & L. Cæſares*, *Craſſos* patrem & filium, *Bæbium* & *Numitorium* per forum uncis carnificum tractos [g]) niſi quod Q. Catulum, cui confecti belli Cimbrici gloria cum Mario communis erat, (ſed ex cujus gloriæ æmulatione odium maxime Marii meruerat [h]) ſilentio prætermittere non poſſum. Nam etiam hunc, licet amici deprecarentur, neque incolumem fortunam, ſed exilium & fugam [i]; mori juſſit. Incluſit ſe Catulus cubiculo recenti calce illito; ibique exitiali hauſto ſpiritu exſpiravit. Florus [k] ὁ τερατολόγος, eum

a *de Orat. L. III. c. 3.* b *Flor. L. III. c. 11.* c *Vid. Dion. L. 54. f.* d *Jul. init.* e *Vid. Cl. Burmann. ad Vellej. L. II. c. 43.* f *Jul. Caeſ. p. m. 707.* g *Flor. L. III. c. 21.* h *Vid. Supr. L. VII. c. 7. §. 4. Cic. Tuſc. Quæſt. L. V. c. 19.* i *Id. de Orat. L. III. c. 3.* k *L. III. c. 21.*

eum ignis hauſtu ſe ludibrio inimicorum exemiſſe dicit. Plurimæ quoque cædes & rapinæ committebantur ab iſtis Bardiæis militibus an ſervis; qui & obvios paſſim ſternebant; & in domos irrumpendo prædas inde egerebant [a]: donec ipſe Cinna & Sertorius eos per quietem Gallico milite cinctos ad unum omnes confodere fecerunt. Nec ceſſatum eſt a cædibus ante quam Sulla, confecto bello Mithridatico, cum legionibus adeſſe nunciaretur. Ita ut merito Plutarchus, de Mario, ut de flagello Dei in Romanos, loquatur [b].

§. IV. Ergo ſeptimum conſulatum iniit ſine comitiis ullis Marius cum Cinna ſecundum Conſule; & ipſis ſtatim Kalendis Januariis *Licinium* quendam Senatorem de ſaxo dejecit [c]. Vellejus Paterculus [d] *Sex. Lucilium* vocat, & Tribunum plebis anni præcedentis: non enim puto, ut multi, de diverſis perſonis agi. Sed hinc Sullam adeſſe cum victore exercitu, ſeque ipſi cum collecticia & ſeditioſa manu imparem eſſe cogitans curarum oneri ſuccubuit. Vigiliiſque evitandis ad intempeſtivam temulentiam ſe convertit. De morte tamen ejus auctores variant. *Poſidonius* Philoſophus Marii familiaris, eum metu futuri & pondere præſentis in *lateris dolorem*, *pleuritin* vocant, incidiſſe refert. Alii ſponte & inedia vitam finiviſſe narrant. Quidam plane ad inſaniam præ ambi-

*§. 4. Marii ſeptimus conſulatus & finis. A.U. 667.*

a *Appian. Civ. L. I. n.* 395. b *Plut. de ſera num. vind. p. m.* 553. c *Liv. n.* 80. d *L. II. c.* 24.

ambitione redactum volunt. Quicquid ſit, certum eſt, fortunæ inclinationem, aut ejus inclinandæ metum ipſi exitio fuiſſe. Nec etiam de die mortis ejus certum eſt; niſi quod primo ſeptimi conſulatus menſe mortuum conſtet. Suffectus eſt ei *L. Valerius Flaccus*, alius ab illo *Flacco*, qui A. U. 656. cum M. Antonio Cenſor fuerat: & qui hoc anno 667. Princeps Senatus lectus eſt. Hic legem tulit turpiſſimam, ut dicit Vellejus [a], qua juſſit, ut debitoribus ſuis creditores quadrantem ſolverent, ſive quartam partem pro ſorte tota [b]. Alia etiam lex nummaria eodem anno lata eſt a Prætore *Mario Gratidiano* [c]: (Marii ſenioris fratris adoptione filius erat [d]) ſed, quid ea ſancitum fuerit, vix patet; niſi quod ex collatione locorum ex Cicerone & Plinio [e] citatorum colligi videatur, aliquid tum de pondere, tum de puritate metalli conſtitutum fuiſſe: cum Cicero dicat, *nummum illis temporibus ita jactatum fuiſſe, ut nemo poſſet ſcire, quid haberet*. Verba, quæ nuper regno vicino quadrare potuiſſent.

*§. 5. Cinnæ dominatio.*

§. V. Ut vero ſolus in Urbe & Italia dominaretur Cinna, Flaccum collegam in Aſiam cum duabus legionibus, ut Sullæ ſuccederet, miſit; quemadmodum *capite præc.* §. 5. vidimus [f]: ubi etiam diximus,

a *L. II. c.* 23. b *Vid. omn. Gronov. de pec. vet. L. IV. c.* 5. c *Cic. de Offic. II.* 20. d *Vid. Cl. Perizon. anim. hiſt. c.* 3. *p.* 98. e *Hiſt. Nat. L. XXXIII. c.* 9. f *Vid. & Vell. L. II. c.* 24.

ximus, a Quæſtore ſuo Fimbria fuiſſe interfectum. Tunc Cinna collegam ſibi in conſulatum, & quidem in biennium adſcivit *Cn. Papirium Carbonem* [a], hominem fœdum & crudelem. Hi duo, ingentem ſtatim belli apparatum fecerunt; & ſumma quidem, ut in rebus trepidis, celeritate: & cum in clariſſimos quoſque flagitioſe ſævirent, major Senatus & nobilitatis pars in Græciam ad Sullam confugit: ita ut in ejus caſtris ſpecies quædam Senatus haberetur. Acceſſerat etiam, ut dictum eſt, Metella Sullæ uxor cum liberis ſuppliciter orans, ut patriæ laboranti ſubveniret. Et ſane hoc toto fere tempore, quo Cinna & Carbo Rempublicam oppreſſerunt, nihil magni momenti, nec publice, nec privatim geſtum eſt; niſi injurias & oppreſſiones pro rebus geſtis numerare velimus. Delectibus tamen habitis totam Italiam ad bellum concitarunt: ſed nihilominus per *L. Valerium Flaccum* Senatus Principem & alios, qui concordiæ ſtudebant, effectum eſt, ut legati ad Sullam de pace mitterentur [b]. Et Cinna etiam a delectibus ceſſare juſſus, pollicitus quidem eſt, *ſe in poteſtate Senatus futurum* [c]: ſed interim peragrata cum collega Italia conſcribunt copias; eaſque in Liburniam, tanquam ibi Sullæ occurſuri, trajiciunt. Et, quanquam etiam Sulla legatis de concordia ſarcienda a Senatu miſſis reſpondiſſet, „ ſe Sena-

„ tui

a *Liv. epit.* 83. b *Liv. Ibid.* c *Appian. Civ. L. I. n.* 397.

„ tui dicto audientem fore, ſi cives à „ Cinna pulſi reſtituerentur“; eaque conditio Senatui juſta videretur, tamen per Carbonem factionemque ejus, cui bellum magis conducere videbatur, ne conveniret, effectum eſt. Jam autem Carbo ſolus Conſulatum gerebat, cum Cinna ab exercitu ſuo, quem invitum cogebat naves conſcendere & adverſus Sullam proficiſci, interemptus eſſet: quod quidam Pompeji culpa factum dicunt, qui, ſibi ex crimine quodam & calumnia metuens, ſe cito caſtris ſubduxerat: unde rumor pervaſit, interfectum a Cinna adoleſcentem eſſe; & inde Cinna a quodam manipuli ductore eſt occiſus [a]. Habuerat quidem Tribunorum plebis comminationibus territus comitia Conſularia Carbo: ſed ſemel & iterum augures obnunciando ea in alium diem rejecerant [b]. Miſerat interea aliam adhuc (ut videtur ſaltem; nam poſſent hæc etiam ad illud Sullæ reſponſum, de quo diximus, referri) legationem Sulla, qua ſe quidem facile paſſurum eſſe nunciabat, ſi Reſpublica ſalutem inimicis ſuis concedere vellet: ceterum, ſe nunquam amicum fore iis, qui talia perpetraſſent facinora: ex quo reſponſo ſatis patebat, eum de tyrannide occupanda conſilia agitare; cum etiam ſibi omnino omnia, & dignitatem priſtinam, & opes, & ſacerdotium, & ſi quem alium honorem habuiſſet, illibata reſti-

a *Plut. Pomp. p. m.* 621. b *Appian. Civ. L. I. p.* 398.

reſtitui poſtularet. Sed hæc legatio, cum Brunduſii de morte Cinnæ & inſecutis turbis audiviſſet, ſtatim ad Sullam reverſa eſt. Et merito: nam, & Senatuſconſultum erat factum, ut omnes ubique exercitus dimitterentur, ut ita juſtior adverſus Sullam cauſſa eſſet, quem id recuſaturum eſſe, erat certiſſimum: &, ut majoribus auxiliis, & plurium favore Carbo ſublevaretur, videtur effeciſſe, ut libertini in quinque & triginta tribus diſtribuerentur [a], cum hactenus ex lege Sempronia in tribu Eſquilina omnes, qui ſervitutem ſerviiſſent, conjicerentur. Ab omnibus etiam oppidis Italiæ coloniiſque obſides exigere voluit [b], ut fidem eorum contra Sullam obligaret; ſed conſenſu Senatus prohibitus eſt. Et in Africa etiam prævalebant factio Carbonis & partes Marianæ; cum *Q. Metellus Pius*, qui partes optimatum ſecutus erat, ibi bellum moliens a *C. Fabio Hadriano*, qui Quæſtor pro Prætore Africam obtinebat, pulſus eſſet. Is autem Fabius haud diu poſtea, cum provinciam crudeliter admodum & avare adminiſtraret, Uticæ in prætorio ſuo vivus exuſtus eſt: nec quæſtio ulla Romæ de ea re, nec in provincia eſt habita [c].

§. VI. At Sulla rebus in Græcia & Aſia compoſitis, & vectigali iis regionibus, quod æqualiter penderetur, deſcripto [d], in Ita- *§. 6. Adventus Sullæ in Italiam.*

a *Liv. L. XLV. c.* 15. b *Liv. epit.* 84. c *Cic. in Verr. L. I. c.* 27. *L. V. c.* 36. *Liv. epit.* 86. *Val. Max. L. IX. c.* 10. *n.* 2. d *Cic. pro Flacco c.* 15. & *ad Quint. fr. L. I. ep.* 1.

A. U. 670. Italiam trajecit cum exercitu ſexaginta circiter millium A. U. 670. ubi primus Metellus Pius, ille qui Africa pulſus erat, cum modicis copiis ad eum acceſſit: & paullo poſt Cn. Pompejus [a] trium & viginti annorum adoleſcens, qui poſtea *Magnus* dictus eſt. Hic privatus difficili illo tempore exercitum trium legionum conſcripſerat [b]: quibus præfuit, & rem optime ductu ſuo geſſit [c], non latibula quærens; ſed lentis itineribus hoſtes premens, licet a tribus ducibus, totidemque exercitibus urgeretur: ut merito magni honores adoleſcenti haberentur [d]. Et ſoli huic adventanti de ſella aſſurgere, & caput aperire Sulla ſolebat [e]: veſte nempe a capite reducta; nam laciniam togæ contra ventum, aut æſtum ſæpe in caput rejiciebant Romani [f]. Jam porro omnis nobilitas ad Sullam veniebat; ita ut deſerta prope Urbe in caſtra iretur [g]. Qui autem in Urbe manſerant & plebs & proceres, cum & ſævum Sullæ ingenium noſſent, & atrocium in illum injuriarum ſibi eſſent conſcii [h], cum Conſulibus omnia ſimul ſumma & alacritate & induſtria, ut in tanto periculo par erat, contra Sullam parabant: nec fefellit eos opinio de crudelitate Sullæ concepta, cum, præter maximam multitudinem in præliis cæſorum, a reli-

a *Plut. Pomp. p. m.* 621. b *Liv. epit.* 85. c *Cic. pro lege Manil. c.* 10. d *Cic. Phil. V. c.* 16. e *Plut. Pomp. p. m.* 622. *& præc. polit. p.* 806. *Sall. fragm. L. V. Hiſt.* f *Vid. Lipſ. de amphith. c.* 20. g *Liv. epit.* 85. h *App. Al. Civ. L. I. n.* 399.

a reliquis etiam nullam injuriam victor abſtinuerit. Videtur nihilominus, præter eam legationem, quam jam diximus, alios adhuc legatos miſiſſe Sulla ad *C. Junium Norbanum*, qui cum *L. Cornelio Scipione Aſiatico* eo anno Conſul erat, ut de pace agerent. Sed, eos a Norbano violatos fuiſſe narravit Livius; ut ex ejus *epitome* 85. liquet. Cum eodem Norbano primum omnium ſigna contulerunt Sulla [a] & Metellus Proconſules; & victus Norbanus mœnibus ſe Capuæ incluſit [b]. Inde Sullam & Scipionem inter Cales & Teanum de auctoritate Senatus, de ſuffragiis Populi, & de jure civitatis leges inter ſe & conditiones contuliſſe certum eſt [c]: ſed cum res convenire non poſſet, & Sulla caſtra Scipionis oppugnaturus eſſet, ſollicitatus per emiſſos a Sulla milites exercitus Conſulis univerſus ſigna ad Sullam tranſtulit [d]. Scipio inops conſilii ſolus cum filio in tabernaculo deprehenſus eſt; quos Sulla incolumes dimiſit [e]. Et ſimilibus artibus Norbani exercitum, ſed *fruſtra*, tentavit. *Imo* Conſulum copiæ quotidie augebantur; cum ab ultima Italia, & Gallia etiam Ciſpadana eo confluerent milites. Eodem hoc tempore Capitolium, incertum cujus culpa incenſum, conflagravit [f].

§. VII. Anno Urbis ſexcenteſimo ſeptuageſimo §. 7. *Marii*

a *Id. n.* 401. b *Plut. Sull. p.* 469. c *Cic. Phil. XII. c.* 11. d *Liv. d. epit.* 85. e *Appian. n.* 402. *Vell. Pat. L. II. c.* 25. f *App. Civ. L. I. n.* 402. *Auguſt. de civ. D. II.* 24.

*junioris conſulatus. A. U. 671.* geſimo primo Conſules per vim facti ſunt C. *Marius* Marii ſextum Conſulis filius & C. Papirius Carbo III. Hic Marius annos circiter viginti quinque, aut viginti ſex habuiſſe videtur [a]: & ab Appiano per errorem cum *C.* vel *M. Mario Gratidiano*, qui hoc anno iterum Prætor fuit, confunditur: de qua re vide erudite diſſerentem magnum Magiſtrum meum Jacobum Perizonium, loco jam antea ad marginem adſcripto [b]. Livius quidem, hunc Marium ante annum vigeſimum ætatis Conſulem factum dicit: ſed vel ipſe, vel qui periochas libris ejus addidit, aut falſus fuiſſe, aut corruptus eſſe videtur; cum etiam Auctor *de viris illuſtribus* annos ipſi vigintiquinque tribuat. Eo anno, primo vere, ad *Æſin* fluvium, qui Umbriam a Piceno ſeparat, acerrime conflixerunt Metellus & *Carinas* Carbonis legatus: Metellumque, qui ſuccubuerat, aſſecutus Carbo obſidebat, cum cognovit collegam Marium magno prælio ad *Sacriportum* fuiſſe victum [c]. Locus hic fuit Latii *circa Signiam*, ut dicit Plutarchus [d], ubi magnis quidem animis concurſum eſt: verum, cum in ipſa pugna quinque cohortes & duæ turmæ ſignis abjectis ad Sullam tranſiiſſent, plane victi Mariani fugam Præneſte arripiunt. Præneſtini vero primos quidem intromiſerunt; at veriti, ne victores ſimul cum victis irrumperent, por-

a *Vid. Voſſ. ad Vellej. L. II. c.* 26. b *animadv. Hiſt. c.* 3. *p* 98. *ſqq.* c *Vell. Paterc. L. II. c.* 26. d *Sulla p. m.* 469.

portas clauſerunt, Mariumque demiſſo fune ſubduxerunt in mœnia. Igitur eorum, qui excluſi erant, magna cædes eſt facta, præcipue Samnitium: quibus, ut perpetuis Romani nominis hoſtibus Sulla parci vetuit. Urbem Præneſte Sullæ juſſu obſedit *Q. Lucretius Oſella*; qui ex Mariana factione anno præcedente Prætor ad Sullam transfugerat [a]. Nam hoc verius videtur, quam, quod dicit Appianus [b], eum tum adhuc Equitem Romanum fuiſſe; & Sullæ juſſu poſtea occiſum, quod ante Quæſturam & Præturam Conſulatum contra leges peteret. Marius autem rebus deſperatis, ne inimicos ſibi ſuperſtites relinqueret, ad *Damaſippum* Prætorem Urbanum (*L. Junius Brutus Damaſippus* dicebatur, ita ut male *Schegkius ad Vellejum Paterculum L. II. c.* 26. Appianum culpet, quod *Brutum* hic Prætorem recenſeat) mittit, jubens, ut convocato Senatu inimicorum præcipuos interficeret. Et diligenter Conſulis mandato paruit Damaſippus: interfecitque *L. Domitium*, & *Q. Scævolam* Pontificem Maximum, qui, *temperantiæ prudentiæque ſpecimen*, ante ſimulacrum Veſtæ trucidatus eſt [c]. *Divini humaniquæ juris auctorem celeberrimum* eum vocat Vellejus [d]. Periit quoque *P. Antiſtius*, vir Ædilicius, ſocer Cn. Pompejii [e], *C. Carbo* Prætorius



a *Vell. Pat. Ibid. c.* 27. b *Civ. L. I. n.* 413. c *Cic. de N. D. L. III. c.* 32. *&* *pro S. Roſc. Am. c.* 12. *Liv. ep.* 86. d *L. II. c.* 26. e *Plut. Pomp. p. m.* 620. *ſq. Cic. de cl. or. c.* 90.

torius frater patruelis Cn. Carbonis tertium Conſulis [a]: & , ut videtur, alii. Interea Sulla cum exercitu Urbem Romam ingreſſus eſt [b]: & continuo inimicorum ſuorum bona haſtæ ſubjecit, *ſe inimicorum ſuorum improbitate coactum id facere*, conqueſtus. Sed mox rebus, ut tempus ſinebat, ordinatis ad profligandas belli reliquias Cluſium contendit: dum Duces ſui hinc inde varias clades inimicis ſuis inferrent. Et ipſe apud Cluſium dubio eventu cum Carbone per integrum diem pugnavit: & paullo poſt ex ſubſidiis, quæ Carinati Carbo mittebat, duo ferme millia cæcidit [c]. Et Pompejus octo legiones ( nimius quidem hic numerus videtur ) ad Marium obſidione Prænestina eximendum a Carbone, duce quodam *Marcio*, miſſas multis cæſis diſperſit. Ipſe etiam Sulla auxilia ſociorum ad Marium liberandum tendentia tranſitu anguſtiarum, per quas ſolas aditus patebat, prohibuit: neque poſtea etiam Damaſippus a carbone miſſus penetrare per eas potuit: & Lucretius præterea eruptionem tentans intra Prænestina mœnia concluſus eſt. Per eoſdem dies Metellus Carbonem & Norbanum acie ſuperavit: & Lucanorum legio ſub *Albinovano* militans audita Metelli victoria ad eum tranſiit, invito quidem ſuo ductore. Sed hic tamen paullo poſt impunitatem a Sulla pactus, ſi memorabile aliquod facinus edidiſſet, legatos

a *Cl. Perizon. anim. hiſt. c. 3. p. 96.* b *App. Al. Civ. L. I. n. 404.* c *Appian. d. l. n. 405.*

tos Norbani, alioſque duces Carbonianos ad convivium vocatos (Norbanus, licet invitatus, non venerat) *C. Apuſtium & Flavium Fimbriam* trucidavit. Norbanus nemini porro fidens in Rhodum aufugit; ibique paullo poſt, Rhodiis, *an Sullæ expoſcenti eum traderent*, deliberantibus, in medio ſe foro confixit. Præterea tota Gallia Ciſalpina ad Metellum defecit: & Lucullus contra alium Narbonianum exercitum proſpere ad Placentiam pugnavit. Igitur Carbo de ulteriore ſucceſſu deſperans, quanquam magnæ adhuc partium vires erant, ignavo animo Conſul cum amicis in Africam perfugit. [a] Exercitus ejus reliquiæ (nam a Pompejo etiam ingenti clade erat imminutus) in ſuam quiſque patriam diffugerunt. Cum vero Duces Mariani & Samnites, (nam metu judiciorum Itali ad bellum excitabantur [b]) *Lamponius* præcipue atque *Pontius Teleſinus*, ſe Marium obſidione liberare non poſſe, vidiſſent, ad ipſam Urbem arma convertunt; cum Teleſinus, *eruendam delendamque Urbem*, vociferaretur; adjiciens, *nunquam defuturos raptores Italiæ libertatis lupos; niſi ſylva, in quam refugere ſolerent, eſſet exciſa* [c]. Ibi anceps ſane de ſumma rerum ad ipſam portam Collinam certamen factum eſt. Et inclinato demum ad veſperam die dextrum Sullæ cornu vicit: fuſum ſiniſtrum ad portas refugit; ſed a ſenioribus, qui cuſtodiam Ur-

O 2 bis

a *Appian d. l. n.* 407. b *Cic. offic. L. II. c.* 21. c *Vellej. L. II. c.* 27.

bis curabant, dimiſſa cataracta multi oppreſſi ſunt. Reliqui neceſſitate coacti prælium inſtaurant: & poſt primam denique noctis horam aciem hoſtium in fugam vertunt, magna eorum multitudine cæſa: inter quos etiam ipſe Teleſinus cecidit. Utrinque ad quinquaginta millia deſiderata eſſe dicuntur. Captivorum ſupra octo millia fuerunt: quos Sulla, quia maxima pars Samnitium erat, ſagittis confixit. Teleſini, Marcii, Carinatis capita abſciſſa obſeſſis Sulla juſſit oſtendi. Tum omni defenſionis ulterioris ſpe abjecta Marius per cuniculum erumpere tentavit; ſed fruſtra; licet de mortis ejus genere non conſentiant auctores [a]. Sunt, qui ſua manu; ſunt, qui concurrentem ictibus cum minore fratre Teleſino una obſeſſo & erumpente occubuiſſe prodiderunt. In cujus caput ad ſe relatum turpiter cavillatus eſſe Sulla dicitur: idque eo fuit turpius, quod tanti eum virum fecerit, ut eo occiſo demum *Felicis* nomen ſibi ſumere auſus fuerit: & felicitatem hujus diei perpetua ludorum Circenſium memoria honoraverit. Romanis ibi inventis veniam dedit: aliorum, mulieres quidem & pueros dimiſit incolumes; ſed viros interfecit; oppidumque illo ſeculo opulentiſſimum diripuit. Norbæ urbis incolæ, cum *Æmilius Lepidus* eo per proditionem intromiſſus eſſet, vario mortis genere ſe ipſos perdiderunt, igne tectis ſubdito. Atque ita

a *Vell. Ibid.*

ita in Italia quidem bellum confectum eſt.

§. VIII. Pompejus inde a Senatu, vel a Sulla potius miſſus eſt, qui bellum in Africa & Sicilia contra Carbonianos proſequeretur [a]: cum prius inductus eſſet [b]; ut dimiſſa uxore *Antiſtia* privignam Sullæ *Æmiliam*, licet ex alio marito *M. Glabrione* jam uterum geſtaret, uxorem duceret. Atque ita Antiſtia, quæ Sullæ cauſſa patrem amiſerat, & matrem (nam hæc audita cæde mariti necem ſibi conſciverat) ignominioſe & miſere mariti ædibus expellitur. Sed ea paullo poſt ex partu deceſſit. Statim ac in Siciliam perveniſſet Pompejus, *Perpenna*, Marianarum partium Dux, ipſi inſula ceſſit. Et impotenter in ea inſula poteſtate uſus eſt Pompejus, cum & alios ne in conſpectum quidem admiſſos tolli mandaverit: & Carbonem vinctum coram tribunali ſuo adduci paſſus, non, niſi acerba oratione increpitum, occidi juſſerit. Quamquam alii dicunt, eum neceſſe habuiſſe in hoſtes Sullæ, apertos præcipue & claros animadvertere: in ceteris, quotquot licuerit, latentibus conniviſſe; imo quorundam fugam adjutaſſe. Inde literis a Pompejo acceptis in Africam trajicere jubetur [c]; ubi *Domitius* exul tyrannidem exercere dicebatur. Ibi ſtatim ſeptem millia virorum, qui ab hoſtibus defecerant, ad eum tranſeunt. Cum autem acies in-

§. 8. *Geſta in Sicilia & Africa.*



a *Liv. epit.* 89. *Appian. d. l.* 409. b *Plut. Pomp.* p. 623. c *Plut. l. d. p.* 624.

feſtas uterque Imperator ſtatuiſſet, largus cum vento imber exortus eſt: ita ut eo die prælium non exſpectans Domitius receptui canere juberet. Suam id occaſionem ratus Pompejus raptim hoſtes invaſit; iiſque magna ſtrage fuſis *Imperator* conſalutatur. Pompejus vero, *eum honorem ſe accipere, donec ſtarent hoſtium caſtra*, negavit: atque ita adverſæ parti victoriam extorquet. Cecidit in prælio ipſe Domitius. Urbes, quas ille tenuerat, partim vi, partim deditione in poteſtatem concedunt. Rex *Hiarbas* Domitii fœderatus captus eſt; ejuſque regnum *Hiempſali* traditur. Et porro omnis provincia Africa intra quadraginta dies per Pompejum ordinata eſt: ita ut jam nimiis ſucceſſibus ſuſpicacem Sullæ animum læſiſſe videatur. Ergo juſſus eſt exercitum dimittere extra unam legionem, cum qua Uticæ ſucceſſorem præſtolaretur. Sed aperte ad illud mandatum exercitus fremuit; & vix Pompeji enixiſſimis precibus a defectione prohiberi potuit: qui inde ſtatim ad Sullam profectus eſt. Huic autem jam allatus fuerat nuncius, defeciſſe Pompejum: veruntamen, cum omnes eum benigniſſime recipere videret Sulla, etiam ipſe obviam progreſſus *Magni* cognomine Pompejum ſalutavit: idque etiam poſteris Pompeji adhæſit [a]. Et paſſus eſt, quanquam fere invitus, ut adhuc Eques, necdum Senator Romanus triumpharet.

§. IX.

a *Vid. Suet. Cajo c. 35. & Claud. c. 27.*

*§. 9. Acta Sullæ poſt victoriam.*

§. IX. Victoria jam pulcherrima potitus Sulla crudelitate eam, qua major in nullo unquam homine fuit, inquinavit. Urbem & Italiam cædibus implevit. Octo millia dedititiorum in villa publica in campo Martio trucidavit [a]. Novem millia dicit Aur. Victor, ſeptem *Seneca* [b] & *Auguſtinus* [c], ſex Plutarchus. Modeſtior eſt Dionyſius ab Halicarnaſſo [d], qui quatuor tantum millia ponit; & eum, quod mirum eſt, hic ſequitur Florus. At omnem fidem ſuperat Valerius Maximus [e] quatuor legiones ita trucidatas fuiſſe aſſerens. Accidit autem, ut eodem tempore Senatum in æde Bellonæ, quæ in Campo erat, Sulla haberet. Cumque ad vocem tantæ multitudinis, quæ loco anguſto jugulabatur, attoniti ſediſſent Patres, Sulla, *Hoc agamus*, inquit, *P. C. ſeditioſi pauculi meo juſſu occiduntur* [f]. Proſcripſit porro Senatores quadraginta, Equites Romanos mille ſexcentos [g]. Florus duo millia electos dicit [h] ex ipſo equeſtris ordinis flore ac Senatus, qui mori juberentur. Sed exempla ſævitiæ in ſingulos homines patrata ut hic memoremus neceſſarium eſſe non puto: hoc dixiſſe ſufficiat, cædibus innumeris Urbem fuiſſe repletam, cum etiam ex privatis ſimultatibus plurimi conniventе Sulla, aut concedente occiderentur [i].



a *Liv. epit.* 88. *Flor. III.* 21. b *de Clem. I.* 12.
c *de civ. Dei L. III. c.* 28. d *L. V. c.* 77. e *L. IX. c.* 2. *n.* 1. f *Senec. d. l. Plut. Sulla p. m.* 471.
g *Appian. L.* 1. *n.* 409. h *L. III. c.* 21. i *Plut. Sulla p. m.* 472.

Proſcripſerat enim ita, ut percuſſori præmium cædis bina talenta, ſive, ut Romano more loquar, quadraginta & octo ſeſtertia † perſolverentur; etiam ſi ſervus dominum, aut patrem interfeciſſet filius. Imo, quod omnium erat iniquiſſimum, etiam liberos & nepotes proſcriptorum infamia notavit, bonis omnium publicatis: idque non tantum Romæ, ſed etiam per omnem Italiam. Et plures bonorum cauſſa, quam vel iræ, vel odii, occidebantur [a]: ſic, ut unum tantum privati hominis demus exemplum, *Q. Aurelius*, vir a Republica remotiſſimus, atque hactenus tantum publica mala ad ſe pertinere reputans, quatenus aliorum miſeriis tangeretur, in forum veniens inter alia proſcriptorum nomina etiam ſuum reperit: & nihil aliud prolocutus, quam, *Heu! mihi fundus Albanus procurat necem*, interemptus eſt, cum paucos tantum paſſus inde progreſſus foret. Afferebantur autem illa proſcriptorum capita quotidie ad Sullæ domum, ut nempe percuſſores ſtatutum ibi præmium acciperent. Memorandum hic eſt obiter intrepidi adoleſcentuli *M. Catonis* (ſæpius nobis memorandi) ingenium. Quartum decimum is tum annum agens a Præceptore *Sarpedone* frequenter domum Sullæ ſalutandi ejus cauſſa ducebatur, (id paucis ſupremi honoris loco dabatur) quæ impiorum ſedibus tunc comparari poterat, ita aſſidue illuſtrium

† *Flor.* 3600. a *Plut. Appian. dd. ll.*

luſtrium interfectorum capita inde efferebantur, non ſine occulto gemitu ſpectantium. Rogavit ergo Præceptorem Cato, *Hunc hominem quid ita nemo interficit?* *Quia*, inquit Sarpedon, *metuunt eum magis, quam oderunt*. *Quin tu ergo mihi*, reſpondit Cato, *gladium dediſti, ut eo interempto patriam e ſervitute in libertatem vindicem?* Simulque vultum ejus fortiſſima indignatione adeo incenſum vidit Sarpedon, ut deinceps illum, niſi diligenter excuſſum, ad Sullam ducere non auderet [a]. Neque ſanguinem tantum ſitiebat Sulla: ſed ipſe haſtæ, cui proſcriptorum bona ſubjiciebat, indigniſſimo prorſus tantæ fortunæ, &, tanti decoris, quod ſibi jam acquiſiverat, faſtigio facinore, præſidere ſolebat [b], *prædam ſuam ſe vendere*, dicere auſus [c]. Nec minus impotenter uxor ejus Metella infelicium proſcriptorum bonis inhiabat. Ita ut nihil mirum ſit, hujus Metellæ filium *M. Æmilium Scaurum* incredibili prorſus profuſione pecuniam traxiſſe & vexaſſe; de qua videri poteſt Plinius [d] locis in margine citatis; & præcipue, quæ narrat [e] de theatro in ædilitate Scauri, (Anno Urbis 695. Ædilis fuiſſe videtur [f]) & ad paucorum tantum dierum uſum ſtructo, quod opus vocat, *maximum omnium, quæ unquam fuere humana manu facta*,

a *Plut.Cat.Min. p m.* 760. b *Cic.pro Archia c.* 10. c *Id. Offic. L. II. c.* 8. d *L. XXXIV. c.* 7. *XXXVI. c.* 2. *XXXVII. c.* 1. e *L. XXXVI. c.* 15. f *Id colligit Pigh. ex Cic. pro Sext. c.* 54.

*facta, non temporaria mora, verum etiam æternitatis deſtinatione*. Et præmiſerat, neſcire ſe, *an Scauri Ædilitas maxime proſtraverit mores civiles, majuſque fuerit Sullæ malum tanta privigni potentia, quam proſcriptio tot millium*. Dum ita graſſatur Sulla, ut tamen ſpeciem Reipublicæ ſupereſſe oſtenderet, Urbe excedit, dum *Interrex comitiorum habendorum cauſſa* creatur. Neque minus tamen juſſu ejus creatus eſt *L. Valerius Flaccus*, cum literas de ea re ad Valerium non tantum; ſed etiam ad ipſum Senatum perſcripſerit [a]: iſque ſtatim ad Populum tulit, ut *L. Cornelius Sulla Felix Dictator diceretur*. Hanc vero legem Cicero ſæpius & merito *iniquiſſimam* vocat [b], & *diſſimillimam legis; quod ceteris in civitatibus tyrannis inſtitutis leges omnes extinguantur, atque tollantur, hic Reipublicæ tyrannum lege conſtituerit*. Nempe ad leges ferendas comitia Interrex habere non poterat; quod illæ per trinundinum ante comitia promulgari deberent, cum interregia poteſtas quinque tantum dies penes eundem Senatorem eſſet. Neque creatus eſt Dictator, ut olim fieri ſolebat, in ſex menſes: ſed donec res urbanas, Italicas, totiuſque adeo Imperii conſtituiſſet. Intermiſſa fuerat poteſtas Dictatoria per annos centum viginti [c]: nam ultimus Dictator fuerat C. Servilius A. U. 551. Ergo viginti quatuor

a *Appian. Civ. L. I. n. 412.* b *Agrar. III. c. 2. Vid. eund. de Leg. L. I. c. 15. ad Att. L. IX. n. 18. v. 15. ed. Grav.*
c *Plut. Sulla p. m. 473.*

tuor faſcibus prælatis in forum Sulla proceſſit [a]: quia nempe in Dictatore duorum Conſulum imperium erat [b]. Voluit tamen, ut eodem tempore etiam Conſules crearentur: ſuntque more ſolito in comitiis facti Conſules *M. Tullius Decula*, *Cn. Cornelius Dolabella*: cum nihilominus omnis poteſtas penes ſolum Sullam eſſet.

§. 10. Atque is ſane Rempublicam novis legibus firmavit, quæ ab eo *Corneliæ* dicuntur: quarum quædam ad Rempublicam ordinandam, quædam magis proprie ad judicia conſtituenda ſpectabant. Præcipuas quam breviſſime poterimus recenſebimus. Juſſit ergo, „ut, lege Domitia [c] quæ ante viginti duos annos „lata fuerat, abrogata, jus Sacerdotum creandorum iterum a Populo ad „collegia transferretur [d]. Ut collegia „Pontificum & Augurum augerentur [e]; „& ut pro Decemviris ſacris faciundis „Quindecimviri fierent." Nam cum A. U. 671. quo Capitolium arſit, adhuc fuerint Decemviri [f], & tempore Ciceronis Quindecimviri fuerint [g], ad Sullam convenientiſſime hujus ſacerdotii auctus numerus refertur [h]. Hæc de ſacerdotiis. De magiſtratibus, „Ne quis Præ-

*§. 10. Leges Sullæ. A. U. 672.*

a *Appian. Civ. L. I. n.* 412. b *Cic. de Leg. L. III. c.* 3. c *Vid. Suet. Ner. c.* 2. d *Vid. Aſcon. ad Div. in Verr. c.* 3. *Dion. Caſſ. L.* 37. *p.* 27. *ed. reg.* 1548. e *Liv. epit.* 89. f *Dion. Hal. L. IV. c.* 62. g *Famil. L. VIII. n.* 4. h *Vid. Panvin. de Rep. Rom. L. II. p.* 203. *ed. Vvech.* 1597.

„ Præturam ante Quæſturam, neve Conſulatum ante Præturam peteret [a]. Ut quotannis viginti Quæſtores partim Populi ſuffragio, partim Conſulum lectione crearentur [b]. Ne quis Tribunatum plebis, niſi Senator peteret; nevè, qui eum magiſtratum geſſiſſet, aditum ad ſuperiores honores haberet [c] „: qua rationes eos, qui paullo eſſent ambitioſiores a Tribunatu petendo deterrebat. Nam nihil ipſis præter nudam interceſſionem reliquerat [d], omni poteſtate legum ferendarum adempta [e]: & ſimul cavebat, ne tanta dignitas in infimæ ſortis homines, ut antea ſæpe factum fuerat, conferretur. Et ſane poteſtate ſua ſæpe Tribuni abuſi fuerant. Nam, ut ſpecimen unum & alterum duntaxat audaciæ eorum proferamus A. U. 623. *C. Atinius Labeo* [f] Tribunus plebis Metellum Macedonicum Cenſorem de ſaxo juſſit dejici, quod ab eo Senatu ejectus fuerat, cum jam bona ejus conſecraſſet [g]: & ægre Metellus Tribunum reperit, cujus interceſſione eriperetur. A. U. 649. Cn. Domitius Tribunus plebis M. Æmilio Scauro Principi Senatus mulctam irrogavit, quod ejus opera ſacra multa

P. R.

a *Cic. Phil. XI. c. 5. Appian. Civ. L. I. n.* 412.
b *Tac. Ann. XI. c.* 22. *& forte elici poteſt ex Cic. in Vat. c.* 5. c *Aſcon. ad I. pro Corn. p.* 959. 970. *ed. Cræv. App. L. I. n.* 413. *&* 11. 445. d *Caſ. de B. C. L. I. c.* 5. *&* 7. e *Liv. epit.* 89.
f *Plin. H. N. L. VII. c.* 44. g *Cic. pro domo c.* 47.

P. R. deminuta eſſe diceret: ſed revera iratus erat ipſi, quod ab eo in collegium Augurum cooptatus non eſſet [a]. Et veterum ſcripta volventi ſimilia plura occurrent. Sed redeamus ad leges a Sulla latas. Tulit porro, „ ut octo Prætores „ quotannis crearentur: “ ( hactenus ſex tantum fuerant ) licet alii a Sulla decem creatos tradant. Sed optime hunc nodum videtur ſolvere Vir eruditionis plane ſingularis *Jo. Vincentius Gravina* [b], qui decem creatos Prætores putat, ſi Senatus juriſdictiones & quæſtiones non geminaſſet: nec alieni jam olim ab ea ſententia tum Sigonius [c], tum *Gruchius* [d] fuiſſe videntur. Senatum præterea cædibus exhauſtum ex equeſtri ordine ſupplevit allectis in eum trecentis ex præcipuis equitibus, tributis comitiis ſuffragia de unoquoque colligens. Plebi inſeruit ex proſcriptorum ſervis florentiſſimum quemque libertate prius & civitate donatum, pluſquam decem millia, qui omnes *Cornelii* de ejus nomine dicti ſunt; ut tantum numerum plebejorum hominum ſemper ad nutum ſuum paratum haberet. Et præterea favore militum Prætorianorum ſubnixus erat, quos in agros urbium a ſe proſcriptarum colonos deduxerat [e]. Nam municipia Italiæ ſplendidiſſima, *Spoletium*,

a *Aſcon. ad Cic. pro Scauro vers. a primo* 40. b *de ortu & progr. juris civ. L. I.* § 38. *ed. Lipſ.* c *de ant. jur. prov. L. II. c.* 1. d *de comit. Rom. L. I. c.* 2. e *Liv. epit.* 89. *Appian. Civ. L. I. n.* 413.

*letium*, Interamnium, *Volaterras*, Præneſte, Florentiam ſub haſta vendiderat [a]: licet etiam plures alias colonias deduxerit; de quibus hic latius agere inſtituti noſtri non eſt.

Et hæ quidem leges præcipue Reipublicæ ordinationem ſpectarunt; ſequentibus judicia conſtituta ſunt: Nam tulit Sulla, „ Ut judicia eſſent penes ordinem „ ſenatorium [b]; utique ex judicibus ſe„ lectis nemini amplius quam trium re„ jiciendi poteſtas eſſet [c]. Utique ex rei „ hominis voluntate clam vel palam „ ſententiam ferrent judices [d]. De *Ma*„ *jeſtate*, „ Ne quis magiſtratus exire „ de provincia, educere exercitum, bel„ lum ſua ſponte gerere, in regnum ex„ ternum injuſſu S. P. Q. Romani acce„ dere vellet [e]. “ De *corruptis judiciis* [f]; de *falſo*, quam *teſtamentariam* etiam vocat Cicero [g]; quia maxime cavebat, *ne teſtamentum falſum ſupponeretur* [h]: licet etiam *de pecunia non adulteranda* ſimilibusve fraudibus caverit, unde *nummaria* etiam dicitur [i]. De *ſicariis & veneficiis* [k]; a cujus legis pœna exceperat eos, qui proſcriptos occidiſſent; eaque

a *Flor. L. III. c.* 21. *Cic. pro domo c.* 30. b *Vide Cic. pro Cluent. c.* 56. 57. *Aſcon. argum. divin. in Verr.* c *Cic. in Verr. L. II. c.* 31 d *Id. pro Cluent. c.* 27. e *Id. in Pis. c.* 21. f *Id. pro Cluent. c.* 57. g *in Verr. L. I. c.* 42. *Vid. & l.* 6. §. 1. *ff. de extr. crim. & tit. de L. Corn. de falſis.* h *l.* 9. §. 3. *ff. eod.* i *Cic. Verr. L. I. c.* 42. k *rubrica ff. h. t.*

eaque de cauſſa pecuniam ex ærario accepiſſent: quos tamen poſtea Cæſar inter ſicarios habuit, cum Judex quæſtionis ut videtur, A. U. 691. Prætori, cui quæſtio de ſicariis obtigerat, operam navaret [a]. Legis Corneliæ *de injuriis* meminit *Ulpian. l. 5. pr. ff. de injur.* & alibi *eod. tit.* Legem etiam *de repetundis* prioribus legibus ſeveriorem tulit; ut ex Cicerone *L. I. in Verr. c. 9.* [b] elicitur. De lege Sullæ *ſumptuaria* dictum eſt S. *L. VII. c.* 1. §. 1. De *provinciis*, " Ut qui ex Senatuſconſulto provinciam haberet, hac " lege etiam haberet *Imperium*, quoad in " Urbem introiiſſet [c] "; eademque le" ge ſumptus a ſociis magiſtratibus provincialibus præbendi ordinati ſunt [d]. Alias etiam leges minoris momenti volentes præterimus; unum hoc addentes, quod obſervare potuiſſet Appianus [e], cum ipſam rem narret, Sullam pretextu recreandi poſt tot ærumnas Populum induxiſſe in Urbem athletas, & cetera ludicra, quibus Græci in *Olympiis* utebantur. Nam revera hoc egit, ut ita Populum a virtute & cura Reipublicæ abductum his ludicris animum oblectare ſuum ſineret: eodem fere modo ac quondam ex conſilio *Cræſi* cum Lydis egit *Cyrus* [f]; quodque imitati poſtea ſunt Principes Romani [g]: unde tantus Populi furor

circa

a *Suet. Jul. c.* 11. b *Vid. ibi Græv. P. Manut. de ll. c.* 22. c *Cic. Fam. L. I. n.* 9. d *Ibid L. III. n.* 10. e *Civ. L. I. n.* 412. f *Herod. L. I. c.* 155. g *Vid. Dion. Caſſ. L.* 54 *med. S. p.* 362. *ed. reg. A.* 1548. *Juv. VIII. v.* 118. *III. v.* 223.

circa ludos increvit; quatenus a poſterioribus ſcriptoribus ſæpe memoratur. Nec, puto, hodie Venetorum reſpublica id conſilium negligit; ut nec alii quidam Principes. Ultimum, quod de rebus a Sulla geſtis narrandum eſt, Alexandrinos ſpectat: quibus Regem dedit *Ptolemæum Alexandrum* A. U. 672. vel ſub initium ſequentis: quo Sulla iterum conſul fieri non recuſavit: forte ut aliquam adhuc formam Reipublicæ ſupereſſe oſtenderet [a]: vel potius, ut ſe brevi omni poteſtate abdicaturum eſſe doceret, cum ſub Dictatore ceteroquin Conſulibus nihil opus eſſet: & puto illum jam tum id animo agitaſſe. Nempe mortuo *Ptolemæo Lathyro* defecerat in Ægypto virilis Regum ſtirps. Ergo Sulla miſit hunc Ptolemæum Alexandrum, qui alterius *Ptolemæi Alexandri* filius, *Ptolemæi Euergetis ſecundi* nepos erat; ſperans, ſe ex regno opulentiſſimo multum auri collecturum eſſe. At hic, cum inſolentius regnaret, nono decimo regni die ab Alexandrinis occiſus eſt; eique ſuffectus eſt alter *Ptolemæus Alexander* cognomine *Philadelphus* ſuperioris Alexandri frater [b]. Sed de rebus Ægypti in ſequentibus plura videbimus.

*§. II. Sullæ finis. A. U. 674.*

§. II. His tot ac tantis rebus, aliis præclare, pluribus crudeliter geſtis, interfectis factio-

a *Vid. Appian. Civ. L. I. n.* 414.

b *Vid. Rupert. ad Syn. Beſold. min. p. m.* 231.

factionis adverſæ Senatoribus nonaginta, & in iis Conſularibus quindecim; Equitibus vero Romanis bis mille ſexcentis, ſi exules ejus ordinis annumeremus [a], privatorumque civium ingenti numero; (ita ut merito *nobilium ſæviſſimus* dicatur [b]) & tot aliis præterea omnibus ſuis bonis exutis, privatus Sulla eſſe ſuſtinuit, Conſulibus prius creatis *P. Servilio*, qui poſtea *Iſauricus* dictus eſt, & *Ap. Claudio Pulchro*. Et ſtatim lictoribus a ſe abire juſſis privatus cum amicis in foro obambulavit, non ſine totius Populi admiratione; præcipue cum paratum ſe eſſe dixiſſet, rationem actorum ſuorum, ſi quis expetiiſſet, reddere [c]. Et ferunt fuiſſe adoleſcentem, qui eum domum abeuntem conviciis proſequeretur: ad quæ nihil aliud reſponderit, quam, *Efficiet hic adoleſcens, ne quis poſthac ſponte talem magiſtratum deponat*. Quod dictum poſt non ita multos annos eventus veriſſimum eſſe docuit; cum Cæſar eundem magiſtratum adeptus deponere eum noluerit, *Sullam literas neſciviſſe* dictitans, qui *Dictaturam* depoſuiſſet [d]. Sed Sulla in *Cumanum* prædium ſuum conceſſit; atque ibi venatu partim & piſcatu ſe oblectavit; partim turpiſſimo exoletorum, & famoſarum amore, cum mulieribus ſcenicis, & aliis id genus hominum de die potans [e]. Tandem vero anno ſequente



a *Appian. d. l. n.* 415. b *Tacit. Hiſt. L. II. c.* 38. c *Appian. n.* 415. *Plut. Sulla p. m.* 473. d *Suet. Jul. c.* 77. e *Plut. p. m.* 474.

ultio divina eum invaſit: ita ut putrefactum totum corpus ejus in pediculos ſolveretur: licet tamen a negotiorum adminiſtratione non penitus abſiſteret. Nam decem ante obitum diebus *Puteolanis* leges, quibus Rempublicam ſuam gererent, ſcripſiſſe dicitur. Et pridie mortis ſuæ *Granium* quendam e magiſtratibus Puteolanorum, qui pecuniæ, quam municipio debebat, ſolutionem differre ſpe propinquæ mortis Sullæ dicebatur, ſe coram laqueo occidi imperavit: ita in ipſa fere morte ſævitiam exercens. Nam ut ipſe magiſtratus, vel Princeps reorum ſuppliciis adſit, licet noſtris moribus receptum, dignitati eorum minus convenire videtur. Dum autem negotio illi intentus Sulla præ ira vociferatur, & corpus jactat, magnam vim ſanguinis profudiſſe, & nocte ſequente mortem obiiſſe dicitur anno ætatis ſexageſimo exacto [a]. Cadaver ejus, multum reluctante *Lepido* Conſule, per Italiam in lectica aurea & cetero Regum apparatu Romam perlatum eſt: atque ibi celeberrima plane pompa funeris in Campum Martium delatum eſt, & ibi crematum [b]. Voluerat id Sulla, ne idem ſibi fieret, quod Mario, cujus ſitas reliquias apud Anienem diſſipari juſſerat [c]: idque eo magis notandum eſt, quod hactenus in gente Cornelia ſepultura cadaverum obtinuiſ-

a *Appian. Civ. L. I. n.* 416. b *Ibid. n.* 418.
c *Cic. de L. II. c.* 22. *Val. Max. L. IX. c.* 2. *n.* 1.

nuiſſet [a]. Nam male quidam hinc eliciunt, ante Sullam nulla cadavera apud Romanos fuiſſe cremata; cum ejus rei mentio jam in Legibus XII. Tabularum, & alibi occurrat [b]. Hic finis fuit Sullæ, viri ſane fortis: ſed qui ſuperbia, avaritia, crudelitate omnes homines ſuæ ætatis ſuperavit: & qui horrendum illud proſcriptionis exemplum in Rempublicam induxit. Ita ut merito, Sullam victoria ſua Rempublicam afflixiſſe vi veritatis victus Cicero dixerit [c]; quem tamen optimatum partibus addictum fuiſſe jam vidimus, & porro videbimus.

## CAPUT QUARTUM.

*Bellum civile Lepidi.*

QUo anno Sulla obiit Conſulatum geſſerunt M. Æmilius Lepidus, *Q. Lutatius Catulus*; qui ſtatim inter ſe diſſentientes univerſum etiam Populum in partes traxerunt. Lepido obtigerat provincia Gallia Tranſalpina: ſed antequam eo proficiſceretur, legem promulgavit, qua *proſcriptos a Sulla revocari, & acta ejus omnia reſcindi* jubebat. Et jure ſane egiſſe videtur Lepidus [d], quod quidem proſcriptos attinet; cum pleriſque eorum & præcipue eorum liberis manifeſtiſſima



a *Plin. H. N. L. VII. c.* 54. b *Vid. Kirchmann. de fun. L. I. c.* 2. c *Vid. eum de Off. II. c.* 8. *& in Catil. III. c.* 10. d *Flor. L. III. c.* 23.

certe & atrox injuria a Sulla facta eſſet. Exſtat oratio, quam ipſi tribuit *Salluſtius* [a], qua & in Sullam, & in perpetuos dignitatis Sullanæ propugnatores invehitur. Verum cum in ea oratione ita loquens inducatur Lepidus, tanquam vivo etiamnum Sulla eam habuiſſet, & liberrime illa tum Sullam, tum amicos ejus perſtringat, videtur potius ex ingenio Salluſtii profecta, quam ab ipſo Lepido fuiſſe habita. Et creditum fuit, Lepidum revera Sullæ partes agere fuiſſe conatum [b]. Quod autem totam ejus cauſſam attinet, verum quidem eſt omnem mutationem in Republica eſſe periculoſam, & boni civis eſſe, ut præſenti rerum ſtatu contentus ſit. Attamen non nimis debet urgeri ea ſententia; quia ita nunquam emendatio aliqua inſignior in Republica obtineri poſſit: imo potius, dum, ut fit, priſtinis erroribus ſubinde novi accedunt, neceſſarium prorſus eſt, ut tandem ad interitum vergat Reſpublica. Sed quicquid tandem de hujus cauſſæ juſtitia, vel injuſtitia dicendum ſit, Lepidus concionibus ſuis in ſpem novarum rerum erecta civitate profectus eſt ad exercitum; & brevi tempore maximam Italiæ partem ſubegit, Galliam Ciſalpinam etiam duce *Bruto* (hic pater fuit *M. Bruti*, qui princeps conjuratorum in Cæſarem fuit) cum exercitu obtinens [c]. Et, licet colle-

a *Fragm. L. I. Hiſt.* b *Plut. Pomp. p.* 626.
c *Plut. d. l.*

collega ejus Catulus modeſtiæ ac juſtitiæ laude ea tempeſtate in civitate excelleret, tamen, cum togæ, quam militiæ, præſtantior haberetur, Pompejus potius adverſus Lepidum eſt miſſus. Sed, dum hic caſtra ad Mutinam habet Bruto oppoſita, Lepidus, Romam contendit cum omnibus copiis: (& revocatus erat à Senatu [a] rationem cœptorum redditurus) atque cum magno terrore Populi ſecundum Conſulatum petiit. Sed error ille diſcuſſus eſt literis a Pompejo allatis, ſine pugna bellum eſſe confectum. Brutus enim exercitui ſuo, ut videtur, minus fiſus ſe fidei Pompeji tradidit, ejuſque juſſu in oppidulum quoddam Galliæ circa Padum receſſit; ubi poſtero die immiſſo per Pompejum quodam *Geminio* eſt interfectus, non ſine magna Pompeji infamia. Lepidus ipſe victus & Italia ejectus eſt in Sardiniam, ubi brevi, ſive morbo, ſive animi dolore, periit; quod ſuper cladem ſuam etiam ſtuprum uxoris ex epiſtola quadam comperiſſet [b]. Præcipua pars exercitus ejus Perpennæ ductu ad Sertorium pervenit in Hiſpaniam [c]: ita ut de bello civili in Hiſpaniam tranſlato jam nobis dicendum ſit.

a *Appian. Civ. L. I. n.* 418. b *Vid. Plin. H. N.* VII. *c.* 36. & 53. & *ibi Pintian.* c *Appian. l. d.*

## CAPUT QUINTUM.

### *De bello Sertoriano.*

§. I. *Occaſio belli.*

§. I. FUerat Q. Sertorius vir fortiſſimus inter præcipuos Duces Marianarum partium, & Quæſtor olim in Gallia Ciſalpina belli Marſici tempore [a] & prudentiæ & fortitudinis tantam laudem meruerat, ut ei theatrum ingredienti Populus plauſerit: qui honor plane ſingularis pauciſſimis præſtari ſolebat. Atque eo tempore in prælio aliquo contra Gallos, ut videtur, alterum oculum amiſit. Tribunatum tamen plebis petens per factionem Sullanam repulſam tulit; ita ut ſe libenter Cinnanis junxerit. Verum moderate ſemper & clementer rebus proſperis uſus, cum collapſas partes in Italia imprudentia & crudelitate Marianorum cerneret, in Hiſpaniam, quam provinciam dudum ex Prætura ſortitus fuerat [b], profugit; atque ibi primores comitate, plebem tributorum levatione ſibi conciliavit: & ſumma diligentia omnia, quibus ad bellum opus erat paravit, ſaltum etiam Pyrenæum per *Julium Salinatorem* ſex millibus armatorum obſepiens.

*A.U.* 670.

§. 2. *Res in Hiſpania ante hoc tempus geſta.*

§. II. Et ſane nulla provincia ipſi ad bellum inimicis ſuis inferendum fuiſſet opportunior, cum nulla alia acrius & diutius Romanis reſtiterit. Nam poſt ordinatam

*A. U.* 672.

a *Plut. Sert. p.* 569. b *Appian. Civ. L. I. numer.* 402.

tam confecto bello Numantino provinciam a, cum dure ea a Romanis haberetur, (& habuimus jam ejus rei exemplum *L. VII. c.* 3. §. 2. & alibi) ſæpius jugum excutere conata eſt. Nec alios puto fuiſſe motus, quos ſcriptores Romani *latrocinia* vocant b: forte, quod non ſatis virium habentes Hiſpani per ſubitas potius incurſiones, quam juſta acie res gerere cogerentur. Ita Marius, ſi Appiano fides c cum Luſitanis bellum geſſit; & Celtiberis, quorum opera adverſus Luſitanos uſus fuerat, non procul *Colenda* † oppido ſedes aſſignavit. Et *Didius* Conſul A. U. 655. in Hiſpania citeriore grave bellum geſſit; quando Tribunus ſub eo meruit Sertorius d; vicitque pluribus præliis Hiſpanos Didius e, viginti millibus Vaccæorum deletis; & *Termiſo*, magna urbe, ex loco tuto in planitiem tranlsata; idque ea quidem lege, ne ab incolis muniretur. Inde Colenda urbe capta cives omnes ſub corona vendidit: & Celtiberos, quos modo dicebam, turpiſſima perfidia amicitiæ ſpecie deceptos trucidavit: cui tamen, ac ſi egregie res geſſiſſet, triumphus eſt conceſſus; ſed hoc anno demum 660. factum eſt, ut ex Capitolinis Tabulis patet: ubi etiam legitur *P. Licinus Craſsus* eodem anno triumphaſſe de Luſitanis: quod etiam anno 655. fecerat *L. Cornelius Dolabella*.



a *Vid. Supr. L. VI. cap.* 3. b *Plut. Mario p. m.* 408. c *Iberic. num.* 312. † *Ita vocat Appian.* d *Plut. Sertor. p.* 560. e *Liv. epit.* 70. *Jul. Obſeq. c.* 46.

Sed omnes hæ victoriæ, vel valde leves, vel prorſus fictæ fuiſſe videntur: nam, licet etiam per *Naſicam* A. U. 659. Hiſpaniæ quoſdam principes, qui rebellabant, ſupplicio conſumptos, urbibus dirutis, dicat *Obſequens* [a], videmus anno ſequente *C. Valerium Flaccum* Conſulem Prætoribus in Hiſpaniam auxilio eſſe miſſum [b]. Hic, jam Proconſul, A. U. 661. Celtiberis cæſis *Belgedæ* urbis populum graviter punivit, qui Senatum ſuum deficere a Romanis recuſantem cum ipſis ſubſelliis cremaverat. Etiam ex duobus denariis hujus Valerii Flacci colligit Pighius, cum feliciter in Hiſpania res geſſiſſe: & exhibet alterum Cl. Vaillantius [c] eleganti ſane typo; ſed quem minus recte de alio quodam Valerio Flacco explicat. Eodemque anno Conſul *Perperna* Scipioni in adminiſtratione Hiſpaniæ ulterioris ſuccedens res bene geſſiſſe videtur: cujus itidem nummum citat Pighius, & edidit Vaillantius [d]. Sed annis ſequentibus nihil jam memoratu dignum in Hiſpania geſtum invenio, uſque dum anno Urbis 670., ut dictum eſt, Q. Sertorius eo concederet; ubi iam ingens ejus nomen erat ob res, quas Tribunus militum ibi fortiter geſſerat.

*§. 3. Bellum cum ipſo Sertorio.*

*A.U. 672.*

§. III. Contra cum jam rerum potitus Sulla *C. Annium* miſit, qui Hiſpaniam utramque proconſulari imperio obtineret

a c. 50. b *Appian. Iber. nu.* 312. c *Gente Valeria n.* 16. c *G. Perpern. n.* 3.

Pag. 232.




Pag. 268.




Pag. 453.



ret a: & hic *Proconſul* in denariis argenteis nominatur, quos citat Pighius, & expreſſos dat Vaillantius b. Hic primum, cum inexpugnabilem Julium videret, ad radices montium Pyrenæorum conſilii inops conſedit: ſed mox, cum Julius a *Calpurnio* quodam *Lanario* per inſidias obtruncatus eſſet, Annius in Hiſpaniam penetravit; Sertorius vero ſe imparem ſentiens in Mauritaniam fuga trajecit. Sed inde a barbaris, & Hiſpania a Romanis prohibitus ad *Pytiuſam* inſulam navigavit, & navibus quibuſdam piraticis ex Cilicia ſibi junctis præſidium Annii in Pityuſa inſula oppreſſit. Mira porro narratio eſt, quam hic Plutarchus ſubiicit, nempe Sertorium (qui hoſtibus ſuis impar erat) per fretum Gaditanum delatum fuiſſe in oram Hiſpaniæ, quæ Oceanum ſpectat; atque ibi incidiſſe in nautas, qui ex inſulis *Atlanticis* eo delati fuerant. Ex iis eum intellexiſſe, eas inſulas, quæ eædem *Fortunatæ* dicerentur, diſtare ab Africa duodecies centena millia paſſuum, & cœlo ac ſolo frui beatiſſimo; ita ut mirificum deſiderium Sertorium ceperit eas inſulas incolendi; verum a Cilicibus nihil niſi prædam quærentibus fuiſſe deſtitutum. Et poſſit aliquis credere, has inſulas non alias fuiſſe, quam quæ *Americæ* objacent, niſi illæ multo longius ab Africa abeſſent: nam ſexaginta circiter gradibus, ſive nongentis milliari-

a *Plut. Sert. p. m.* 571. b *G. Annia n.* 2. 3. 4.

liaribus Germanicis proximas inſulas ab Africa diſtare puto: quæ faciunt paſſuum tricies ſexies centena millia. Sertorius igitur, ne etiam reliqui ejus milites dilaberentur, Africanorum quorundam principum inter ſe diſſidentium litibus ſe immiſcere ſtatuit; eodemque etiam exercitum miſerat Sulla, cujus Ducem *Paccianum* in acie interfecit; & copias ejus ſibi junxit. Tum rebus ex ſententia ordinatis a Luſitanis evocatur, ut in eos imperium ſuſciperet: qua occaſione uſus finitimam Hiſpaniam ſibi ſubjecit, non minus comitate morum, quam fortitudine uſus. Et præterea dolum apud barbaros animos ad ſuperſtitionem pronos efficaciſſimum adhibuit. Hinnulum enim cervinum coloris candidi a venatoribus ipſi clam ſuis militibus oblatum (&, ut ſecretum ſervarent venatores, juſſerat) ita manſuetum reddiderat, ut vocantem audiret, & euntem ubique ſequeretur, caſtrenſem ſtrepitum nihil metuens. Ergo hanc cervam a Diana ſibi donatam finxit; & ab ea ſe de futuris moneri adjecit. Idque ut facilius crederetur, felicitas ejus faciebat & virtus, qua parvis copiis ingentes Romanorum exercitus profligavit, Didii nempe, *Cottæ*, Domitii (hic ab *Herculejo* Sertorii quæſtore victus eſt [a]) *Manlii*, *Thoranii*que qui Metelli legatus erat: ipſumque Metellum Proconſulem eo adegit, ut *L. Lollius* e Gallia Narbo-

A U. 675.

a *Salluſt. Hiſt. L. II. Liv. epit*, 90. *Eutrop. L. VI. c.* 1.

Narbonenſi ſuppetias ei ferre cogeretur; quemadmodum etiam Domitium ex citeriore Hiſpania cum copiis ſuis arceſſiverat a. Mithridates fortitudine Sertorii & ſucceſſibus ejus auditis fœdus cum Sertorio de mutuo auxilio pepigit b; ut jam narravimus. Verum operæ pretium eſt hic addere, quanto animo hoc negocium fœderis tractaverit Sertorius. Cum enim auxilio oblato periiſſet Mithridates, ut Aſiæ poſſeſſio, qua fœdere cum Romanis facto ceſſerat, ipſi iterum confirmaretur, Sertorius Senatu ſuo coacto (Senatum ſibi fecerat c ex præcipuis exulum aliiſque) cum plerique accipiendas eſſe conditiones cenſerent, nequaquam id probavit. Sed Cappadociam quidem & Bithyniam ſi occuparet Mithridates, nihil id quidem ſe curare affirmavit, quippe quæ nihil ad Populum Romanum attinerent: provinciam vero, qua contra jus Populum Romanum ſpoliaverat, negavit permiſſurum eſſe, ut ea in poteſtatem Regis relaberetur: cum amplificandam victoriis ſuis Rempublicam, non minuendam eſſe, præ ſe ferret. Fertur reſponſo illo audito cohorruiſſe Mithridates & dixiſſe ad amicos, *Quas tandem in Senatu ſedens leges nobis ſcribet Sertorius, qui ad ultimum Oceanum ſummotus, fines regno noſtro ponit, & tentantibus Aſiam denunciat bellum?* Metellum autem, qui juſtis

a *Salluſt. Hiſt. L. I. nam de eo ibi videtur agi.*
b *Cic. pro Mur. c.* 15. b *Plut. Sert. p. m.* 579. *ſq. Appian. Civ. L. I. n.* 418.

juſtis & ſtatariis pugnis potius quam veli-tationibus aſſuetus erat, continuis incur-ſionibus, levibus præliis, prohibendo com-meatum adeo fatigavit, ut, quo ſe ver-teret, neſciret: ita ut Metellus omnia in-commoda, quæ victos vexare ſolent, pa-teretur; Sertorius in fugiendo inſectan-tium frueretur commodis. Barbaris etiam in ſumma admiratione erat, quod & vi-ros ad diſciplinam Romanæ militiæ, & pueros ad Græcarum Latinarumque lite-rarum ſcientiam firmaret: quos tamen revera obſides fidei parentum ſuorum ha-bebat; idque imperiti *humanitatem* voca-bant, cum pars ſervitutis eſſet a. Et ſa-ne multi barbarorum ſe, *una cum caden-te Imperatore mortem obituros eſſe*, jure-jurando obſtrinxerant. Advenit his tempo-ribus in Hiſpaniam Perperna, qui par-tium Sertorianarum erat, cum magna pe-cunia & militum copia. Hic ipſe per ſe bellum cum Metello gerere conſtituerat: verum a militibus coactus, præſertim cum Pompejus jam montes Pyrenæos tran-ſcendiſſe diceretur, ſe cum quinquagin-ta tribus cohortibus Sertorio junxit. Cum-que etiam cuncti fere circa Iberum flu-vium ad partes ejus tranſiiſſent, coegerunt Sertorium invitum, ut illis permitteret ſi-gna cum hoſtibus conferre: ſed, ut conje-cerat, fugati poſtea dicto magis audien-tes fuerunt.

§. 4. Bel. §. IV. Sed jam a duobus celeberrimis Impe-

a *Vid. Tacit. Agric. c. 21.*

Imperatoribus cum Sertorio bellum gerebatur, Metello vetere Imperatore, & adoleſcente Pompejo: & plurimæ urbes ad obedientiam Romanorum redire cogitabant, cum ſubitus ad *Lauronem* caſus eorum impetum repreſſit [a]. Obſidebat eam urbem Sertorius; Pompejus vero cum omnibus copiis ad opem ei ferendam contendit; ſed peritia militaris, qua pollebat Sertorius, Pompejum urbis pereuntis ſpectatorem eſſe coegit. Urbem captam Sertorius incendit; nulla quidem crudelitate, ſed ut contemptum & invidiam apud barbaros Pompejo crearet. Varia inde, & vario eventu certamina acciderunt. Nos unum tantum memorabimus memoria maxime dignum. Id factum eſt ad Sucronem: ubi dum e dextro cornu ad ſiniſtrum, quod urgente Pompejo laborabat, feſtinat Sertorius, & res ibi collapſas reſtituit, ita ut parum abſuerit, quin Pompejus caperetur, interim ſiniſtrum cornu *Afranius* pepulit; & milites ejus caſtra Sertorii diripiunt. Sed hic interea a victoria ſua reverſus, & in Afranii copias incompoſitas & prædæ intentas incidens ingentem edidit ſtragem. Verum poſtera die exercitu in aciem educto cum etiam Metellum adeſſe ſenſiſſet, receptui cecinit dicens, *Hunc puerum ego, niſi anus illa ſuperveniſſet, verberibus caſtigatum dimiſiſſem Romam*. Inde alio adhuc prælio commiſſo fugere coactus fuit, ſed

*lum a Pompejo confectum.*

a *Plut. Sert. p. 577.*

ſed brevi tempore per legatos aliis copiis conſcriptis auctior in hoſtes ſuos rediit [a]: & commeatum intercipiendo Pompejum ad ſummas anguſtias redegit. Metellus, cum ſe aperta victoria hoc bellum conficere poſſe deſperaret, ad artes viro generoſo indignas convertit, & ingens præmium in caput Sertorii pronunciavit: ac ridiculus maxime erat, quod quum verbis Sertorium contemneret, eodem tamen tempore, ſi vel leve aliquod incommodum ipſi intuliſſet, præter modum efferebatur: cum contra Sertorius patriæ amantiſſimus, & in eam reverti enixiſſime cupiens ingenti animo non aliter uteretur Hiſpanis proceribus, quam ſi florentiſſima rerum ſuarum conditione viveret; cum tamen & armis & pecunia & oppidis Hiſpaniæ ſuſtentaretur. Veum Perpenna interim non contentus ſermonibus malignis per omnes occaſiones Sertorio nocere, etiam acerbis ſuppliciis & tributorum exactionibus provincialium animos a Sertorio alienabat [b], quaſi ejus juſſu hæc omnia committerentur: ita ut paſſim ſeditiones per oppida Hiſpaniæ orirentur: & ita ad veram ſævitiam in Hiſpanos exercendam Sertorius incitabatur. Tandem a Perpenna pluribuſque conjuratis turpiter in convivio, ad quod a Perpenna erat invitatus, & ſuper menſam hoſpitalem interfectus eſt: & properaverant ejus necem, quod unus ex conjuratis

a *Ibid.p.579.* b *Plut.Ibid.p.581.*

ratis *Manlius* arcanum illud amaſio cuidam ſuo enunciaſſet. Ita cæſo Sertorio Hiſpanorum plerique ſe Pompeji & Metelli fidei permiſerunt. Paulo poſt a Pompejo captus Perpenna, ut vitam proferret, pollicitus eſt, ſe oſtenſurum literas a viris principibus ex Urbe ſcriptas, quibus Sertorius in Italiam evocabatur. Pompejus vero prudentia, quæ ætatem ejus ſuperabat, omnes illas epiſtolas neque a ſe, neque ab aliis lectas concremavit: & Perpennam interfecit, ne ipſe eorum, qui eas epiſtolas ſcripſerant, nomina ederet; atque ita Senatus, vel invitus ſupplicium de iis ſumere cogeretur; aut ipſi in deſperationem verſi novas ſeditiones excitarent. Hic finis fuit Sertorii, viri non tantum fortiſſimi; ſed pudiciſſimi ſimul, temperantiſſimique.

## CAPUT SEXTUM.

### *De bellis cum Thracibus & Illyriis & Dalmatis.*

§. I. Vidimus *Libro ſeptimo capite ſexto*, de Scordiſcis & Triballis (hi proprie Mœſiæ ſuperioris populi fuerunt, in qua regione etiam Scordiſcos alii collocant) triumphaſſe Minucium; quod factum eſt A. U. 650. ad quem Pighius refert ea, quæ pauciſſimis apud Florum [a] & Julium Obſequentem [b] leguntur.

*§. 1. Bella cum Thracibus.*

*A. U. 650.*

a *L. III. c.* 4. b *c.* 42.

guntur. *Piſonem* nempe Rhodopen *Caucaſum*que montes penetraſſe dicit Florus, nugator ſtrenuus, ſtupendo errore Caucaſum in Thraciam transferens. Obſequens nihil aliud, quam Thraces in Macedonia ſubactos dicit. Sed nequaquam perdomitas fuiſſe has gentes patet, quod Cicero dicat [a], A. U. 655. *C. Sentio* Prætore graviſſimam omnium barbarorum in Macedonia defectionem eveniſſe; qua *Denſeletarum* natio Prætorem tutata ſit. Et videtur Sentius paullo poſt ultionem de barbaris ſumpſiſſe, cum Obſequens [b] ſequentibus Conſulibus Mæſos & Dardanos ſubactos eſſe dicat: (nam *Mæſos* pro *Medis* ibi legit Pighius; ſed etiam Strabo *L. VII. n.* 316. 318. *Medos* in his regionibus collocat) quos tamen Medos an Mæſos iterum A. U. 661. Macedoniam provinciam cruente vaſtaſſe idem Obſequens aſſerit [c]. Et dubito, an non ea, quæ de Sentio Prætore notavimus, ad hunc annum referenda ſint; cum in *epitome Livii ſeptuageſima* legatur, C. Sentium Prætorem contra Thracas infeliciter pugnaſſe: nam hoc nomen ibi & Sigonius & Jo. Frid. Gronovius ex veteribus libris ſubſtituunt pro *C. Geminio*, quod antea legebatur. Rurſus A. U. 664. & ſequentibus Thraces populabundi Macedoniam incurrerunt [d]. Et A. U. 668. dum de conditionibus cum Archelao Mithridatis duce agitur, Sulla, ne miles otioſus ceſſaret, Thracum populos

a *in Piſ. c.* 34. b *cap.* 47. c *c.* 52. d *Liv. epit.* 74. 76. 81. 82.

pulos Macedoniam aſſidue incurſantes variis præliis concidit [a] : nam videntur ſe *Ariarathi*, vel *Arcathiæ*, ut aliis dicitur, Mithridatis filio contra Romanos junxiſſe [b]. Nec *Cn. Dolabella Cnei* filio Proconſule Macedoniam obtinente ea provincia ab incurſibus Thracum libera fuit [c]. Et forte injuriis ſuis & rapinis Præſides Romanorum, quod ſæpe factum eſt, calamitatibus hiſce provincias involverunt: nam hic ille eſt Dolabella, quem Julius Cæſar adoleſcens repetundarum accuſavit [d] : neque eo minus illi triumphi honor conceſſus eſt anno Urbis ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto, vel ſequente [e]. Diſtinguendus eſt hic Dolabella ab alio *Cneo Dolabella Lucii* filio; qui anno præcedente accuſante adoleſcente *M. Scauro* repetundarum damnatus eſt ex Cilicia provincia; quique legatum Proquæſtore habuit *C. Verrem* [f] illum accuſationibus Ciceronis celebrem factum. Sed jam Anno Urbis ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto *Ap. Claudio* Conſuli Macedonia provincia obtigerat; qui anno ſequente eo profectus demum anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto Thraces Macedoniam populantes multis præliis vicit [g]; & in *Sarmatas* uſque pervenit [h]. Sed Obſequens [i] varie dimicaſſe dicit: Eutropius



a *Ibid. epit.* 83. *Vid. Eutrop. L. V. c.* 7. b *Vid. Appian. Mithr n.* 193. 196. *ſq. Plut. Sulla p. m.* 458. c *Cic. pro Font. c.* 16. d *Suet. Jul. c.* 4. e *Vid. Cic. Piſ. c.* 19. f *Vid. L. I. in Verr. c.* 17. & 38. g *Liv. epit.* 91. h *Flor. L. III. c.* 4. i *c.* 58.

pius a levia prælia contra varias gentes, quæ *Rhodopam provinciam* incolebant (& ita etiam *breviarium Sexti Rufi*) habuiſſe; atque ibi morbo mortuum eſſe refert. Appio A. U. 678. ſucceſſit *C. Scribonius Curio* cum ingenti ſane exercitu: nam apud Frontinum b legimus, eum ex quinque legionibus unam tumultuantem ſevere coercuiſſe. Hic Dardanos c, & quidem, juxta Eutropium, ad Danubium uſque, vicit; triumphumque meruit d; cum tamen tentatarum ſuperiore bello gentium vim declinaret: imo tenebras ſaltuum expaveſceret e. An vero hinc per annum unum vel alterum otium in his regionibus fuerit; an vero inopia ſcriptorum res eo tempore geſtæ ad nos non pervenerint, dubium mihi eſt. *Marco* certe *Lucullo* (qui *Varro* etiam dicitur) anno Urbis 678. Macedoniam obtigiſſe provinciam, auctor eſt Eutropius. Sed hic verius eſt annus ſexcenteſimus octogeſimus f. Et quidam, Curionem anno demum 681. res modo narratas geſſiſſe volunt. Hoc certe ex fragmentis hiſtoriarum Salluſtii g ſcimus, eum quibus potuit modis, pecunias *dictas*, ſive *promiſſas* coegiſſe.

*§. 2. Alia bella cum Thracibus & finitimis.*

§. II. Sed poſtea idem M. Lucullus *Beſſis*, qui ſub Hæmo monte habitabant, primus Romanorum bellum intuliſſe dicitur; eoſque in ipſo monte Hæmo ingen-

gen-

a *L. VI. c. 2.* b *L. IV. c. I. ex 45.* c *Liv. epit. 95.* d *Cic. in Pis. cap. 19.* e *Vid. Schott. in ſupplem. Ann. Pighii A. 680.* f *Sall. Hiſt. L. II. ap. Non. p. 309. ed. Plant. 1565.*

genti prælio ſuperaſſe [a]; & plurimas inde civitates, tum in media regione, tum ad oram Ponti Euxini ſitas Romanis ſubjeciſſe, ita ut meritum inde triumphum retulerit. Florus ad *Tanain* & *Mæotin* paludem perveniſſe dicit; quod ineptiarum auctorem arguit. Et optandum fuiſſet Romanis, non veriora fuiſſe, quæ de horrenda eorum in victos & captivos ſævitia adjungit. Inde rurſus nihil per plures annos de bellis in his regionibus geſtis reperio: niſi quod anno ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo, ut videtur, *C. Antonius*, qui Ciceronis in Conſulatu collega fuerat, & cui Cicero provincia Macedonia ceſſerat [b], parum proſpere in Thracia bellum geſſiſſe dicatur [c]: & poſt biennium ex ea provincia reverſus a *M. Cælio* accuſatus fuit [d]. Et ſane multa damna provinciæ intulerat; & Dardanorum, atque aliarum finitimarum gentium agros populatus eos contra ſe venientes exſpectare non ſuſtinuit [e]: ſed quaſi ad aliud negocium avocaretur cum equitibus receſſit: pedites circumventos barbari regione ſua exegerunt omni præda exutos. Atque idem contra *Mœſiæ* ſocios auſus (*Myſiæ* dicit Dio, ut ſæpe etiam alii præſertim Græci) a Baſtarnis *Scythis*, qui Moeſis auxilio adventabant, ſuperatus turpiter profugit. Defendit eum Cicero [f]; 

A. U. 692.

A. U. 693.



a *Eutrop. L. VI. c. 10. Sex. Ruf. Amm. Marc. L. XXVII. c. 3.* b *Plut. Cic. p. m. 866.* c *Liv. epit. 103.* d *Cic. pro Cæl. c. 31.* e *Dio L. XXXVIII.* f *ad Att. L. I. n. 11.*

ſed fere invitus : eaque ipſa defenſione C. Cæſaris, qui Conſul ejus anni erat, odium meruit [a]; cum temporum ſtatum deploraſſet [b], ut alibi latius videbimus. Antonio huic in adminiſtratione Macedoniæ ſucceſſit *C. Octavius*, qui Auguſti Imperatoris pater fuit; & non minore juſtitia, quam fortitudine provinciæ præfuiſſe traditur [c]. Imo *Imperator* ex ea appellari meruit [d]: monetque M. Cicero [e] fratrem ſuum *Quintum Ciceronem*, qui eodem tempore ex Prætura Aſiam obtinebat, & nimiæ iracundiæ ac ſævitiæ accuſabatur, ut hunc ſibi vicinum Octavium facilitate & lenitate imitaretur. Anno ſexcenteſimo nonageſimo quinto & ſequentibus (nam hic ea abſolvemus, quæ de Thracia & finitimis regionibus ad terminum uſque, quem nobis ſtatuimus, dicenda ſunt) *L. Piſo* Conſul ex lege Clodii Tribuni plebis (qui Conſulum gratiam largas provincias iis tribuendo captabat [f]) Macedoniam habuit ſimul cum imperio in Achajam, Theſſaliam, Bœotiam, Græciam; quas provincias, ſi Ciceroni credimus, grandi pecunia a Clodio emptas obtinuit [g]. Sed neſcio ſane, an omnibus iis, quæ de Piſone, Clodio, *Gabinio*, ſimilibuſque, tum alibi, tum maxime in orationibus ſuis habet Cicero, tuto ſatis fidere poſſimus : cum & oratorio more

a *Ipſe pro domo c.* 16. b *Suet. Jul. c.* 20. c *Suet. Aug. c.* 3. d *Vellej. L. II. c.* 59. *ad Quint. fr. L. I. n.* 1. f *Plut. Cic. p. m.* 875. g *Cic. de prov. conſ. c.* 4.

more crimina exaggerare videatur; & quæ forte recte fecerunt, elevare, cum internecinum plane odium inter ipſos eſſet; & eorum maxime opera Cicero in exilium fuiſſet miſſus. Hoc tamen certum eſſe videtur; Cæſarem jam tum majora, quam ferret libertas, animo agitantem in hoc negocio hominibus fœdiſſimis faviſſe, ut ſibi eorum operam in iis, quæ meditabatur, addictam haberet. Nam vulgo notum eſt; has artes plane eſſe neceſſarias iis, qui miſeram illam cupidinem honorum animo fovent: ita ut neſciam quo colore hominibus ambitioſis animus generoſus tribui poſſit; cum ad humillima quæque conſilia ſe dimittere cogantur, ut votorum ſuorum potiri poſſint. At nos pergamus. Anno demum ſexcenteſimo nonageſimo octavo ex Senatusconſulto ob provinciam male adminiſtratam revocatus Piſo ſucceſſorem habuit Q. *Ancharium* [a] ex Prætura in Macedoniam miſſum. Cum vero bellum civile non diu poſtea inſecutum ſit, & Livii, Salluſtii, aliorumque qui horum temporum hiſtoriam ſcripſerunt, monumenta perierint, de levioribus hiſce bellis pauca memoratu digna invenimus. Et hoc non levi argumento mihi eſt, antea fere ſemper hæc bella a Præſidibus provinciarum fuiſſe excitata, ut & prædandi occaſionem & triumphi ſpem haberent. Jam vero inter graviſſimas illas turbas & bella civilia, quibus undique

Q 3 totum

a *Cic. in Piſ. c. 36.*

totum concutiebatur imperium, non videntur fuiſſe auſi gentes illas exteras rerum ſuarum contra cives conſtituendarum cura laceſſere; cum quiſque rerum ſuarum cura occuparetur: ita ut quieſcentibus Romanis etiam quieti fuerint barbari. Cæſo demum Julio Cæſare video M. Brutum res contra Thraces, ſed parum proſpere, geſſiſſe [a]. Deinde Anno Urbis ſeptingenteſimo decimo quarto *L. Marcius Cenſorinus* Conſul ipſis Kalendis Januariis ex Macedonia triumphaſſe in tabulis Capitolinis legitur: qui ita anno præcedente juſſu M. Antonii Triumviri bellum in ea regione geſſerit. Nam eum hoc tempore partem exercitus, ut eum ditaret ſimul & exerceret, adverſus Dardanos; Macedoniam incurſare ſolitos miſiſſe, auctor eſt Appianus [b]. Denique anno ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto *M. Licinius Craſſus* in iiſdem Tabulis ex Thracia & *Getis* triumphaſſe memoratur. Nam a *Cæſare Octaviano*, qui eodem anno primum *Auguſtus* appellatus eſt, in Macedoniam miſſus Craſſus [c] contra *Dacas* & Baſtarnas bellum geſſit. Hi enim Danubium primum, mox Hæmum montem transgreſſi in Thraciam Romanis fœderatam irruperant: ſed eos ſolo virium ſuarum terrore Craſſus regione ea expulit. Imo ultro regionem eorum invaſit, oppidumque unum & alterum, licet non ſine aliqua ſuorum clade,

A. U. 714.

A. U. 726.

a *Liv. epit.* 122. b *Civ. L. I. n.* 715. c *Dio L.* 51. *p.* 312. *ed. reg.* d *Horat. Od. L. IV. Od. XIV. n.* 33. *Ovid. Triſt. L. II. v.* 173.

de, cepit. Inde etiam Baſtarnas fugavit, Rege ipſorum *Deldone* manu ſua cæſo; ſpolia opima Jovi Feretrio relaturus, ſi propriis auſpiciis rem geſſiſſet. Verum ſolius jam Auguſti auſpiciis omnia bella tractabantur [a]. Craſſus Myſorum etiam totam gentem ſubegiſſe dicitur: at vereor, ut certa ea fama fuerit, cum videam, non tantum, eum cum magno illud labore & periculo feciſſe; verum præterea in regione ſubacta hiemare non fuiſſe auſum; & a Thracibus, per quos, ut per amicos iter faciebat, plurima incommoda fuiſſe paſſum: quæ tamen non prohibuerunt, quin, ut vidimus, triumphus ipſi decretus fuerit. Et alia præterea feliciter in ea regione geſſiſſe Craſſum a Dione traditur: ſed quæ jam ad ſcopum, quem nobis propoſuimus, nihil pertinent.

§. III. Poſtremum bellum in Illyrico geſtum fuerat a Metello Conſule A. U. 634. ut dictum eſt *L. VII. c. 6.* §. 1. Inde longiſſima quiete ea regio gaviſa fuiſſe videtur, ad annum certe Urbis 695. quanquam finitimæ regiones frequentibus bellis quaterentur. Quod enim Pighius ad A. U. 677. ex pauciſſimis verbis fragmenti e *libro ſecundo hiſtoriarum Salluſtii* elicuit, eo anno *Cn. Aufidium Oreſtem* Prætorem gravia bella in Illyrico geſſiſſe, levi ſane tibicine niti videtur. Et Cæſar quidem eo anno 695. Gallias & Illyricum provincias obtinuit [b]: ſed magno ſuo

*§. 3. Bella cum Illyriis.*

Q 4 malo

a *Dio l. d.* b *Suet. Jul. cap. 22. Dio L. 38. p. 38. ed. reg.*

malo gentes bellicoſas laceſſivit, dum ſe rebus eorum per ambitionem immiſcet [a]. Scilicet Dalmatæ, & alii Illyriorum populi Liburnis *Promonam* urbem eripuerant: (ſiquidem recte hoc nomen apud Appianum legitur) ergo Liburni ſe Romanis dedentes ad Cæſarem fuga pervenerunt: qui ſtatim per legatos eos, qui urbem ceperant, hortatus eſt, ut eam Liburnis reſtituerent. Cumque mandata Cæſaris negligerent barbari, exercitum ingentem in regionem eorum intulit, qui ab Illyriis oppreſſus eſt: quod paullo ante civilis belli initium factum fuiſſe Appianus narrat: ita ut Cæſar illam Romanorum cladem tum vindicare non potuerit. Sed anno jam ſexcenteſimo nonageſimo nono in Illyricum profectus fuerat Cæſar, quod a *Piruſtis* finitimam partem provinciæ incurſionibus vaſtari audiebat [b]. Verum Piruſtis privato conſilio incurſiones iſtas factas eſſe dicentibus obſides imperavit; & arbitros inter civitates conſtituit. Atque huic provinciæ Anno Urbis 704. C. Antonium [c] legatum ſuum Proprætore præfecit: ſed de ejus, & ſucceſſorum ejus rebus geſtis in hiſtoria belli civilis dicendum erit; cum illud tantum hic addiderimus, Gabinium Anno Urbis 704. magnas ſatis copias ad Cæſarem in Illyricum adducentem ab Illyriis cæſum eſſe, ita ut ipſe cum paucis evaderet, Illyriique maximis

ximis

a *Appian. Illyr. nu.* 761. b *Caſar. B G. L. V. c.* 1.
c *Liv. epit.* 110. *Vid. Dion. L.* 51: *p.* 177. *ed. Lat.* 8. *Appian. Civ. L. II. n.* 453.

ximis ſpoliis potirentur: qui illud ex deſperatione quadam fecerant, quod metuerent ob ea, quæ antea egiſſent, ne Cæſaris victoria res eorum plane perderentur. Anno Urbis ſeptingenteſimo ſeptimo miſſus eſt eo a Cæſare cum legionibus & magno equitatu *P. Vatinius*: (apud Appianum male legitur *Atinius*, in editione quidem *Amſtelodamenſi* A. 1670.) cum legati jam Illyriorum veniam actorum a Cæſare deprecantes acerbius excepti fuiſſent: Vatinius tamen mandato Cæſaris nihil aliud, quam tributa quædam parva impoſuit, & obſides recepit. Sed interfecto Cæſare nec tributa ultra perſolvere, nec obſides dare voluerunt; Vatiniumque prælio ſuperatum Dyrrachium recedere coegerunt: qui nihilominus de Illyriis triumphaſſe in tabulis Capitolinis legitur. Atque ipſe de rebus in provincia geſtis in epiſtola quadam ad Ciceronem [a] gloriatur. Et tum M. Antonius, cui Macedonia decreta erat, antequam a Populo Galliam invito Senatu impetraſſet, illam fratri C. Antonio tradidit: qui eam, ut ſibi notam, maxime exoptaſſe videtur; cum Cicero [b] ſalſe rideat ſortitionem provinciarum ab Antonio factam: quippe qua ipſi fratribuſque ejus, & aliis, quos amicos habebat, eæ provinciæ evenerint, quas quiſque ſibi cupiverat. Et antea a Cæſare jam M. Bruto deſtinata fuerat: iſque eo profectus ab *Hortenſio* Prætore A. U. 707.

a *ad Famil. L. V. n.* 9. 10. b *Phil. III. c.* 10.

tore jam eam acceperat [a]: & exercitum, licet a C. Antonio ad ſeditionem excitaretur, in officio continuit [b]. Sed quis finis ibi Bruti fuerit, alibi a nobis narrabitur. Anno Urbis ſeptingenteſimo decimoquarto *C. Aſinius Pollio*, cum M. Antonii auſpiciis Illyricum obtineret, tumultuantes Parthinos aliquot præliis compeſcuit [c]; eoſque gregibus, armis, agris mulctavit [d]: ita ut hic ex Dalmatia, quemadmodum Marcius, de quo diximus, eodem anno ex Macedonia, triumphum meruerit. Tamen jam dudum tum Damaltia ſubacta fuiſſe dicitur: nam præter ea, quæ *L. VII. c. 6.* diximus, refert Eutropius [e], *Cn. Coſconium* Proconſulem circa annum Urbis 674. magnam partem Dalmatiæ ſubegiſſe, Salonas cepiſſe: & compoſito bello Romam poſt biennium rediiſſe. Sed de eo bello non temere quidquam apud alios auctores reperiri recte, puto, ad Eutropium notavit *Glareanus*. Niſi huc trahendum ſit, quod eſt in Ciceronis *Cluentiana c. 35. Caji*, nam ita ibi legitur, Coſconii literis planum factum eſſe, legionem in Illyrico a *Bulbo* quodam eſſe ſollicitatam. Nec deinde de hac regione aliquid, quod ad noſtrum ſcopum faciat, notatum invenio, niſi quod jam de Aſinio Pollione diximus; aut talia, ut commodius forte in hiſtoria bellorum civilium narrari poſſint: donec

a *Plut. M. Bruto p. m.* 995. b *Dio L.* 47. c *Id. L.* 48. *p.* 256. *ed. reg.* 1548 d *Flor. L. IV. c.* 12. e *L. VI. c.* 4.

nec A. U. 718. vel ſequente iterum arma ſumpſerunt. Nam legimus, eo tempore Dalmatas vicinaſque gentes a Cæſare fuiſſe ſubactas [a] ductu primum *Agrippæ*, deinde ipſius Cæſaris. Nec tamen ſine ſanguine victoriam obtinuerunt Romani: quippe cum & ipſe Cæſar vulneratus ſit; & ſevero diſciplinæ militaris exemplo adverſus eos, qui ordines deſeruiſſent, uti debuerit. Hinc ad conſulatum gerendum Romam profecturus cum proconſulari poteſtate ad bellum conficiendum reliquit *T. Statilium Taurum*: qui Dalmatas fame & populationibus ita fatigavit, ut reverſo poſt conſulatum Cæſari ſe ſponte tradiderint. Et licet gentium harum ferociſſimi *Iapudes* ultra Alpes incolentes diutiſſime Romanorum armis reſtiterint; tandem tamen ſuccubuerunt. Ita ut A.U.724. de Japudibus, Dalmatis, Pannonicis, Gallis Auguſtus triumphaverit. Verum anno demum ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio perdomitos fuiſſe Dalmatas, auctor nobis locuples eſt Vellejus Paterculus [b].

## CAPUT SEPTIMUM.

*De bellis cum Allobrogibus, viciniſque populis.*

CUm Liguribus & Gallis Inalpinis bella ſupra *capite quarto libri præcedentis* ad annum uſque ſexcenteſimum quadra-

a *Epit. Liv.* 131. *ſq.* b *L. II. c.* 90. *& ibi Lipſ.*

dragefimum quartum perduximus. Ejus capitis §. *ſecundo* addere debueramus, Fabium devictis *Allobrogibus Allobrogicum* fuiſſe dictum [a]: Et hæ regiones diu ſatis poſt illa tempora quietæ fuiſſe videntur; neque aliquid quod obſervari mereatur de iis reperio ante annum Urbis 663. quo *C. Cæcilius Metellus* in Gallia Tranſalpina *Salvios* rebellantes viciſſe dicitur [b]: qui forte occaſione belli Marſici ad rebellandum ſunt uſi. Partem Provinciæ hæc gens incoluit circa Maſſiliam: ita ut non dubitem ob viciniam etiam Ligures & Allobroges hujus belli aliquam partem fuiſſe: Et ſimile quid dicendum videtur de rebus quas *C. Valerius Flaccus* Prætor A. U. 670. in ea provincia geſſit: nam eum bellum, & quidem celebrius paullo geſſiſſe ex Cicerone patet: qui eum *Imperatorem* vocat [c]. Et ad hunc Flaccum Pighius refert nummum, qui victoriam exhibet; & nomen *Imperatoris* Flacco tribuit. Idem nummus, ſed male explicatus, videri poteſt apud Cl. Vaillantium [d]: quanquam & ipſe eundem Ciceronis locum citet: Rurſus A. U. 676. *M. Fontejus* (Pighius *M'* vocat) Prætor Galliæ Narbonenſis Pompejo cum exercitu in Hiſpaniam eunti auxilio fuiſſe videtur, reprimendo, præter Vocontios & Arvernos, etiam Allobroges, & coloniam Narbonenſem obſidione liberando: ut ex oratione, qua Fontejum defen-

a *Aſcon. ad Act. I. in Verr. c.* 7. b *Liv. epit.* 73. c *pro Quinct. c.* 7. d *gente Valeria n.* 16.

ſendit Cicero, colligitur [a]. Sed gravius illud exarſiſſe aliquis exiſtimare poſſit, qui Cottæ Conſulis orationem ex *libro ſexto Hiſtoriarum Salluſtii* eo referre velit; quod Pighius facere videtur. Verum neſcio quam recte; cum in ea oratione harum gentium nulla inveniatur mentio. Hinc porro nihil amplius in his regionibus geſtum reperio: certe quod ad hunc librum referendum fuerit.

## CAPUT OCTAVUM.

### *De bello Piratico*

§. I. INter multas olim gentes infamis maxime ob ingenium ſubdolum & rapax gens Cilicum fuit; ita ut eorum improbitas etiam proverbio jactata fuerit [b]. Et præcipue circa hæc tempora maxima opportunitate prædandi utebantur. Nam, ut altius paullo rem repetam, jam dudum factum erat, quod [*Trypho*, cui *Diodotus* cognomen fuit, interfecto Syriæ Rege *Antiocho* (is pro temporum iſtorum gentiumque impietate *Deus* cognominatus fuit)] id regnum occupaverat. Hic, ut Ægypti Reges alioſque prohiberet, quo minus legitimæ Regum ſtirpi auxilia, quibus ipſe dejiceretur, præſtarent, auctor Cilicibus fuit, ut, ſocietatibus prædandi cauſſa

*§. I. Origo belli.*

*A. U. 608.*

[a] *Vid. cap. I. ſqq.* [b] *Vid. Suid. V.* Κιλίκιος ὄλεθρος, Κίλικιος τράγος, Κιλίκων. *Lucian. Icaromen. p.* 199. *ed. Græv. Eraſm. Ad. Ch. III. c.* 11. *n.* 25. *&c. App. Alex. Mithr. n.* 234.

cauſſa factis, aliorum regum ſubditos invaderent [a]. Et cum circa idem tempus Carthagine & Corintho deletis, & luxu ita ſenſim in Urbem invecto mancipiorum magna multitudine uti Romani incepiſſent, prædones frequentes irruperunt, qui libera corpora in ſervitutem abducentes ingens inde lucrum capiebant. Simul Syriæ, Cypri, & Ægypti Reges per æmulationem impune eos graſſari patiebantur. Neque Romani ea, quæ extra Taurum montem fiebant, (nam ibi præcipue latrocinia exercebantur) multum curabant: & Armenii, qui hæc etiam loca occupaverant, Cilicibus mare tradiderant, ut regiam, quantum poſſent, imminuerent poteſtatem. Ergo dum ita piratis omnia faverent, magis & magis eorum potentia increverat; & poſtea Mithridatici etiam belli [b] egregia occaſione oblata, ſublatis commerciis [c], rupto fœdere generis humani, maria omnia interna latrociniis infeſta reddiderant, ad Mauritaniam & ipſas ultimas Gades prædas agentes. Et ultimum hoc quidem eo facilius, quod cum Sertorio quoque Hiſpanias obtinente fœdus fecerant [d]. Verum jam antea anno Urbis ſexcenteſimo quinquageſimo M. Antonius proconſulari imperio [e] adverſus eos miſſus fuerat: qui fœderatarum quoque gentium, ut *Byzantinorum*, auxilio uſus [f] mariti-

a *Vid. Strab. L. XIV. n.* 668. b *App. Al. Mithr. n.* 233. c *Flor. L. III. c.* 6. d *Plut. Sert. p. m.* 571. e *Vid. Cic. Orat. L. I. c.* 18. f *Tacit. Ann. XII. c.* 62.

ritimos Prædones fuit perſecutus [a]: atque is ex eo bello triumphaſſe videtur [b]. Cum vero magis iterum hæc latrocinia invaluiſſent Anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio rurſus cum Piratis Ciliciæ bellum iniri placuit: idque cum proconſulari imperio *Cneo Lucii filio Dolabellæ* mandatum eſt. Sed hic poteſtate ſibi mandata libentius uti voluit, ut legatum ſuum *C. Verrem* in ſocios rapinis & injuriis graſſantem defenderet, cum etiam ipſe Ciliciam provinciam ſuam miſeris modis expilaret [c]: ut alter Cn. Dolabella eodem anno Macedoniam, de quo jam *capite ſexto* dictum eſt. Verum majore virtute & probitate eſt uſus, cui A. U. 676. Cilicia provincia obtigit, Proconſul *P. Servilius Vatia*, vir ſtrenuus: & leves piratarum myoparones gravi ſua claſſe, licet non incruenta victoria, ſuperavit. Atque inde terra etiam eos domare aggreſſus validiſſimas, quas obtinebant, Lyciæ urbes, & diutina præda abundantes cepit, *Phaſelum*, *Olympum*, *Corycum* [d]. Tum etiam *Iſauriam*, ubi plures prædonum erant pagi, ſubegit; atque inde *Iſaurici* cognomen retulit; etiam urbe *Iſauris*, quæ regionis caput erat, deleta: licet ea poſtea reſtituta ſit. Et recte hic notat Florus, eum cognomen illud ſibi ſumpſiſſe, quod magni ſibi laboris eſſet conſcius; cum ceteroquin ignobilis ea regio & urbs fuerit. *A.U. 673.*

Et

a *Liv. epit.* 68. b *Plut. Pomp. p.* 631. *D. Vaill. G. Antonia n.* 2. c *Cic. Verr. L. I. c.* 17. 29. *ſqq.* d *Eutrop. L. VI. c.* 3.

Et certe totum triennium illi bello impendit [a] : nam quod quinquennium eum exercitui præfuiſſe dicit Cicero [b], accipiendum eſt a ſortitione provinciæ uſque ad triumphi diem ; quem ſatis ſplendidum egiſſe videtur [c]. Ab hoc tempore Cilicia provincia Imperii Romani haberi cœpit.

*§. 2. Bellum a Pompejo confectum.*

§. II. Sed non ita perdomiti fuerunt piratæ, quin paullo poſt iterum priſtina latrocinia exercere aggreſſi ſint. Imo majore multum conatu, quam prius, cum non tantum maria infeſta redderent; ( unde *maritimum* hoc bellum Ciceroni [d] quoque dicitur, & Salluſtio [e] ) ſed etiam in terram egreſſi [f] agros primum, mox ipſas urbes vaſtarent : & quibuſdam etiam pro receptaculis ad bellum uterentur.
*A. U. 686.*
Dum autem Romani anxie cogitant [g], quod remedium tanto malo afferri poſſit, nam etiam a fame ſibi metuebant [h], *A. Gabinius* Tribunus plebis, ( ſive a Pompejo, ut id faceret, permotus ; ſive ultro, ut ab eo gratiam iniret, hoc faciens: nam Reip. cauſſa non feciſſe conſtat, quod ipſe vir peſſimus fuerit [i] ) hic certe Gabinius legem tulit, „ ut ex Conſularibus unus Imperator contra prædones conſtitueretur ; eique in triennium „ plena poteſtas cum imperio toto mari inter-

a *Eutr.d.l.* b *in Verr.L.III.c.90.* c *Ibid.L.I c.21.* d *pro Flacc.c.12.ſq.* e *Jug. c.39.S.40 ed.Cantabr.1710.* f *Vid.Cic.pro l.Man.c.18.* g *Dio L.36.p.2.ed.reg.1548.* h *Plut.Pomp.p.m.631.* i *Dio Ib.p.3. Cic.poſt red. in Sen.c.5.*

„ interno & in maritimis provinciis ad „ quadringenta a mari ſtadia eſſet, utque dilectus habere, & pecunias ad uſum belli e provinciis colligere poſſet.“ Et, licet Pompejum nominatim non deſignaſſet Gabinius, certus tamen erat, ubi primum ejus rei mentionem feciſſet, plebem eum eſſe electuram. Scripſeruntque cum his mandatis literas ad Reges, dynaſtas, gentes & civitates omnes, ut quavis ope poſſent, Pompejum juvarent [a]. Nequaquam autem hæc volente Senatu fiebant; qui omnia, quæ a piratis oriebantur, mala perferre maluiſſet, quam ut tantum imperium uni viro mandaret: ita ut parum abfuerit, quin ipſe Gabinius in Senatu interemptus ſit. Et plebs rurſus, cum Senatus ſententia innotuiſſet, adeo exarſit, ut niſi jam curia Patres exiviſſent, a plebe opprimendi fuerint. *Piſo* tamen Conſul cum jam ad mortem raperetur, Gabinio deprecante dimiſſus eſt. Nec deſtitit Senatus, verum collegas Gabinii Tribunos plebis permovit, ut legi intercederent: quod tamen duo tantum fuerunt auſi; atque illi etiam facile conſenſu multitudinis victi ſunt. Q. quoque Catulus, vir maximæ auctoritatis, oratione ad Populum diſſuaſit, ne tanta vis imperii uni committeretur; non quod hoc Pompeji cauſſa ſe facere diceret: „ ſed „ quod omnis poteſtas ſumma, ſi uni „ tradatur, natura ſua inſolens ſit & in-



a *Appian. Mithr. n.*235.

„ ſociabilis : nec omnia in uno reponenda „ eſſe [a]. " Adjecitque in concione [b], *Si quid huic acciderit, quem in ejus locum ſubſtituetis?* Ubi univerſa concio ſucclamavit, *Te, Q. Catule*. Qui ita ſane inſignem ſuæ virtutis fructum ac dignitatis cepit [c]. Et ipſe Populus Romanus, quanquam imprudenter tanta poteſtas uni viro tradita videatur, ſummam inde utilitatem habuit. Pompejus enim maximis copiis breviſſimo tempore paratis [d] legatos plures, ( quod lege Gabinia continebatur ) viros fortiſſimos & belli peritiſſimos ſibi adſcivit ; iiſque varia loca, quæ obtinerent, aſſignavit, ( tredecim eorum ſortes fuiſſe dicit Plutarchus ) ita ut totum mare internum ſuis claſſibus complecteretur ; ipſe interim circumcurſans ; & ut *Rex* aliquis *regum*, an quiſque bene ſtationem ſuam tueretur, inquirens. Et poſtea ſane bello civili ab inimicis hoc nomen ei datum legimus [e] ; ut & *Agamemnonis* [f], qui olim Græciæ regum Rex fuerat. Atque ea ratione quicquid piratarum undique fuit indagine quadam incluſit & oppreſſit : quod quadraginta dierum ſpatio factum eſſe dicunt Florus & Plutarchus:quadraginta novem dicit Cicero [g], quæ differentia eſt exigua. Qui evaſerant, in Ciliciam, tanquam in arcem ſuam, ſe contulerant. Pompejus vero per Etruriam Ro-

a *Vell. Pat. L. II. c.* 32. b *Plut. Pomp. p. m.* 632. c *Cic. pro L. Manil. c.* 20. d *Plut. d. l. Appian. Mithr. n.* 236. e *Plut. Cæſ. p. m.* 727. f *Dio L.* 42, *p.* 122 *ed.* 1548. g *pro L. Manil. c.* 12.

Romam contendens ingenti gratulatione exceptus eſt: verum breviſſimo tempore impetratis, quæ deſideraverat, iterum mare ingreſſus, & reliquias belli perſecutus intra trium menſium ſpatium illud confecit. In captivos & dedititios ſumma clementia uſus eſt; conſilio tamen adhibito, prudentiſſimo quidem, & ad ipſum illud malum radicitus tollendum aptiſſimo. Nam ſedes ipſis aſſignavit a mari remotiſſimas, & agros, quos colerent: unde etiam urbs Ciliciæ *Pompejopolis* eſt dicta [a], quæ antea *Soloe* vel *Soli* dicebatur. Ab hac urbe *ſolœciſmi* nomen ortum dicunt, quod ejus incolæ, licet Atticorum coloni, linguam barbarorum conſuetudine corrupiſſent.

## CAPUT NONUM.

### *De bello Cretico.*

*§. I. Res ab Antonio geſta. A.U. 679.*

§. I. ANno Urbis ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono *M. Antonius* Prætor [c], Triumviri pater, gratia Cottæ Conſulis [d], & *Cethegi* factione in Senatu curationem obtinuit cum ſumma poteſtate [e] totius oræ maritimæ. Is ſe [f] in illo infinito imperio improbiſſime geſſit: & Siciliam primum provinciaſque omnes depopulatus eſt. Inde, ſi Floro [g] credimus,



a *Strabo L. XIV. n. 665. & 671.* b *Vid. Euſtath. in Dionyſ. perieg. v. 875. Suid. V. Σόλοι.* c *Liv. ep. 97.* d *Aſcon. ad L. II. in Verr. c. 3.* e *Vell. Pat. L. II. c. 31.* f *Cic. in Verr. L. III. c. 91.* g *L. III. c. 7.*

mus, ſola vincendi nobilèm inſulam cupiditate; vel [a], quod alter ſecundum Ciliciam fons piratarum eſſet, Cretam invaſit, Mithridati præterea Cretenſes faviſſe jactans. Et ingenti victoriæ ſpe ac fiducia id bellum aggreſſus eſt; adeo, ut plures catenas in navibus, quam arma portaſſe dicatur [b]; & *Cretici* cognomen jam ante victoriam ſibi ſumpſiſſe [c]. Niſi dicere velimus, hoc nomen ipſi per contumeliam fuiſſe inditum; ut quidam conjicit. Sed præter ſpem ita temere conceptam peſſime ab hoſtibus acceptus eſt; & plures naves ejus interceptæ: captivaque corpora religata velis ac funibus pependere. Ac ſic velificantes Cretenſes portibus ſuis adnavigarunt. Antonius autem in ea expeditione morbo periit [d].

*§. 2. Bellum a Metello confectum. A. U. 685.*

§. II. Ergo *Q. Metello* Proconſuli A. U. 685. bellum adverſus Cretenſes eſt mandatum; qui intra triennium; vel, ut dicit Oroſius [e], intra biennium provinciam omnem ſubegit, totam inſulam igni ferroque populatus. Et illud *de triennio* rectius eſſe videtur; cum ita etiam habeat Vellejus [f], juventutem Cretenſem fortiſſime patriam ſuam defendiſſe narrans. Idque veriſimilius videtur; nam Livius etiam & Florus plurimas urbes expugnatas fuiſſe dicunt: ad quod longiore ſane tempore opus fuiſſe videtur. Adeo autem crudeliter in captivos conſuluiſſe Metellum

a *Plut. Pomp. p. m.* 632. b *Flor. l. d.* c *Plut. Anton. p. m.* 915. d *Aſcon. ad Divin. c.* 17. e *L. VI. c.* 4. f *L. II. c.* 34.

ſum dicit Florus, ut veneno ſe pleriquè conficerent; alii ſe abſenti Pompejo per nuncios dederent a. Atque inique ſane hujus victoriæ partem ſibi vindicare Pompejus conatus eſt; ita ut non tantum legatos in Cretam miſerit ad accipiendas urbium deditiones b: ſed etiam ſcriptis Metellum a bello deſiſtere juſſerit c. Quin etiam vetuit civitates, ne Metello dicto audientes eſſent; miſitque unum ex legatis ſuis *L. Octavium*, qui cum Cretenſibus arma adverſus Metellum ſociaret; & ipſe adverſus eum expeditionem parabat d: ita ut ſe ridiculum faceret Pompejus; neque tamen prohiberet, quo minus Metellus de ſubactis piratis ſupplicium ſumeret. Perdomitis Cretenſibus liberæ in id tempus inſulæ Metellus leges dedit e: & anno demum Urbis 691. triumphavit: ac meliore jure, quam Antonius, *Cretici* cognomine in poſterum eſt uſus f.

## CAPUT DECIMUM.

### *De bello Spartacio, ſive gladiatorum.*

§. I. SEd aliud bellum circa hæc tempora luxus potiſſimum Romanorum excitavit: & quidem luxus genus inhumaniſſimum. Nam gladiatores effractis ludis ſuis

*g. 1 Origo belli. A. U. 680.*

R 3

a *Vid. & Cic. pro L. Man. c.* 12. & 16. b *Liv. epit.* 99. c *Plut. Pomp. p.* 634. d *Dio L.* 36. *p.* 10. *ed. reg.* 1548. e *Liv. epit.* 100. f *Flor. L. III. c.* 7.

ſuis ingens bellum in media Italia ſuſcitarunt [a]. Nec locus hic eſt de horrendo hoc ritu & ſpectaculo ſuper alia omnia Romanis gratiſſimo plura addere: cum omnium manibus terantur Lipſii *Saturnalium ſermonum libri duo*; quibus data opera materiam hanc eruditiſſime, ut ſolebat, pertractat. Initium ſumpſit hoc bellum Anno Urbis ſexcenteſimo octogeſimo: quod *Spartacium* quibuſdam dicitur [b] a primo ejus auctore *Spartaco*; ( unde *Spartacum* [c] pro *teterrimo hoſte* dicit Cicero ) aliis *Servile* [d]; *Fugitivorum* etiam, aut *Gladiatorum* dicitur [e]. Fuit Spartacus genere Thrax; qui quondam Romanam militiam fuerat ſecutus. Sed hic, neſcio quo caſu, Romam venalis ductus in ludo fuit *Lentuli Batiati*, ( *Vacciam* apud Plutarchum ex loco quodam Ciceronis [f] legendum eſſe putat Pighius ) qui Capuæ gladiatorum familiam alebat: ubi aliis circiter ſeptuaginta ejuſdem conditionis hominibus perſuaſit, ut pro ſua potius ſalute, quam pro aliorum voluptate pugnarent. Itaque primum ex popina quadam verubus & cultris correptis ex oppido erumpunt. In itinere offenderunt plauſtra, quæ arma gladiatoria ad aliud oppidum portabant: quibus direptis

a *Vell. Pat. L. II. c.* 30. *Liv. epit.* 95. *Flor. L. III. c.* 20. *App. Al. Civ. L. I. n.* 423. *Eutro. L. VI. c.* 7. b *Plut. Craſſo p. m.* 547. c *Phil. III. c.* 8. *IV. c.* 6. d *Cic. pro L. Man. c.* 11. *Cæſ. B. G. L. I. c.* 40. e *Cic. L. V. in Verr. c.* 2. f *ad Quint. fr. L. II. ep.* 3.

ptis primum fugaverunt, qui ex Capua eos perſequebantur: ubi rurſus aliis & melioribus armis potiti ſunt. Inde ingenti multitudine ad eos confluente [a] quaſi juſti exercitus ſpeciem effecerunt, decem amplius millibus e fugitivis coactis [b], cum quibus caſtra in Veſuvio monte locarunt. Obſeſſi ibi ſunt a *Claudio Pulchro* Prætore, ( *Legatum* dixit Livius ) cui, neſcio unde, cognomen *Glabri* Florus addidit: ſed gladiatores funibus ex vimine ſylveſtri plexis ſe ipſos demiſerunt, & Claudium fugarunt [c]. Unde iterum copiæ eorum auctæ ſunt; cum hoc fugitivorum ſucceſſu permoti plures ejus regionis paſtores, viri ſtrenui & pernices, ſe iis junxerint [d].

§. II. Ita majoribus animis ſumptis totam Campaniam pervagantur, Lucaniamque; non villas tantum & vicos, ſed urbium validiſſimas diripientes. Ex domitis etiam gregibus equitatum parant; & captis de Prætoribus inſignibus Spartacus ornatur: nam jam etiam Prætorem *P. Varinium*, legatum ejus *Furium*, & collegam *Coſcinium* ſuperaverat: ipſe quidem ſuprema poteſtate utens, alios tamen etiam duces *Crixum Oenomaumque* rebus gerendis præficiens. Sed fugitivi licet ita victoriis quibuſdam potirentur, facile intelligebant, ſe impares fore, ſi aliquando totis viribus Romani contra eos in- *§. 2. Ulterior belli progreſſus.*

R 4 ſurge-

a *Liv. ep. 95.* b *Flor. d. l.*
c *Frontin. Strat. L. I. c. 5. n. 20.* d *Plut. Craſſo p. m. 548.*

ſurgerent. Itaque auctor ſuis fuit Spartacus, ut Alpibus ſuperatis quiſque in patriam ſuam reverti conaretur. At merito auſcultatum ipſi non fuit; cum ita periculo certiſſimo ſe omnes expoſuiſſent. Et videntur, ſi ſe in Rempublicam quaſi aliquam legibus conſtitutam formaſſent, affatim negotii Romanis præbituri fuiſſe. Verum jam, cum Italiæ ſolum populationibus incumberent, facilius ſunt victi. Primum quidem *Q. Arrius* Prætor ducem fugitivorum Crixum cum viginti millibus hominum cecidit [a]: ſed idem paullo poſt ab illis victus eſt; ut etiam ipſi Conſules *L. Gellius*, *Cn. Cornelius Lentulus Clodianus*, *homo*, ſi Salluſtio [b] fides, *incertum ſtolidior an vanior*. Hic tamen cohortes *Germanicas* a Spartaciis contemptu & arrogantia divulſas repentino incurſu profligavit. Sed *C. Caſſii* Proconſulis caſtra apud Mutinam deleta ſunt: & *Cn. Manlius* Prætor male adverſus Spartacum pugnavit: ita ut tum de ipſa Urbe invadenda Spartacus conſilia agitaſſe feratur.

*§. 3. Bellum confectum. A. U. 682.*

§. III. Tandem Senatus Conſulibus infenſus nihil eos pro imperio agere voluit: & ſummam belli curam *M. Craſſo* Prætori mandavit. Nam tantus torpor omnes invaſerat [b], ut, cum alii Prætores creandi eſſent, (illis enim, qui cladem paſſi fuerant, magiſtratus abrogatus fuiſſe videtur) nomen ſuum nemo profiteri auderet; donec

a *Liv. epit.* 96. b *L. IV. Hiſt. ap. Gell. XVIII.* 4. c *App. Al. Civ. L. I. n.* 425.

donec Craſſus Præturam ſuſcipere auſus cum ſex legionibus adverſus Spartacum profectus eſt; iiſque duas legiones conſulares, quæ male pugnaverant, junxit, cum prius eas *decimaſſet*; ſive decimum quemque ſorte lectum ex iis occidiſſet: hoc agens, ut ipſe Imperator magis a ſuis militibus, quam hoſtis timeretur. Ita primum decem millia ex Spartaci copiis ſeorſim tendentia maxima ſtrage affecit; licet de longe majore clade, & duce quodam fugitivorum *Granico* cæſo locutus fuerit Livius [a]. Inde Spartacus per Lucaniam ad inferiorem Italiæ angulum receſſit: atque illic navigia quædam Cilicum nactus, in Siciliam trajicere cogitavit; ut reliquias quaſdam belli Servilis in ea inſula ſuſcitaret. At Cilices, fraudulentum genus, muneribus acceptis, eum deceperunt; ita ut in extrema Rheginorum peninſula conſidere fuerit coactus. Ibi eum Craſſus laborioſo opere, foſſa & muro miræ altitudinis per triginta ſeptem millia paſſuum & quingentos † ductis, incluſit. Sed nocte quadam procelloſa evaſit Spartacus cum tertia exercitus ſui parte: & multi jam antea per diſſenſionem ab eo deſciverant. Hos primum adortus eſt Craſſus, ceciditque ita ut omnes (duodecim millia erant & trecenti) in acie occubuerint. Spartacus nihilominus Quæſtorem & legatum Craſſi in fœdam fugam convertit: unde animi creve-

a *Vid. epit.* 97. † *hora itineris* 12 $\frac{1}{2}$

creverunt fugitivis, ita ut Spartacum in Romanos ducere cogerent. Nec minus bello finem imponere properabat Craſſus, ne penes Pompejum, qui jam adventabat, etiam hujus belli confecti gloria eſſet. Ergo iterum acerrimo prælio concurſum eſt: quo Spartacus cum pleriſque ſuorum pugnans cecidit: ſuperveniensque Pompejus eos, qui ex fuga ſupererant, oppreſſit: neque minimam inde hujus quoque belli patrati gloriam ſibi ſumpſit. Et Cicero, qui Pompejo adulabatur, illud *expectatione Pompeji attenuatum atque imminutum, adventu ſublatum ac ſepultum fuiſſe*, dicit [a]. Craſſus tamen, quod de ſervis triumphare turpe videretur, ovans Urbem iniit. Fugitivorum ſex millia, qui in poteſtatem redacti eſſent, in crucem acti per viam Appiam pependerunt [b]. Fuerunt tamen etiam reliquiæ quædam hujus belli: nam legimus [c], C. Octavium Auguſti parentem, ex Prætura Macedoniam ſortitum, fugitivos, reſiduam Spartaci & *Catilinæ* manum, Thuriorum agrum tenentes in itinere deleviſſe, negotio ſibi in Senatu extra ordinem mandato. Et hoc factum eſt demum anno Urbis ſexcenteſimo nonageſimo tertio.

*§. 4. Craſſi & Pomp. conſulatus. A. U. 683.*

§. IV. Ex hac autem Craſſi & Pompeji diſſenſione, ut ſæpe fieri ſolet, orta eſt major animorum conjunctio: præſertim cum uterque, non quod Reipublicæ utile & glo-

a *pro L. Manil. c.* 11. b *App. Al. Civ. L. I. p.* 426. c *Suet. Aug. c.* 3.

& glorioſum foret, ſed quod ſibi maxime commodum eſſet, quæreret. Craſſus quidem, cum ſe bellicis rebus Pompejo imparem eſſe ſentiret, officiis civilibus gratiam Populi aucupari ſtatuit. Itaque hos defendendo, illis mutuum dando, candidatos commendando, eorumque petitionibus ſuffragando opes & auctoritatem paravit non minorem illa, quam ex rebus geſtis ſibi jam quæſiverat Pompejus a. Et hæc æmulatio, ut paulo poſt videbimus, inter præcipuas cauſſas afflictæ mox Reipublicæ fuit. Illud hic addendum eſt, Craſſum, cum Populus Romanus Pompejo ex Hiſpania reduci, & fugitivorum victori conſulatum offerret, nequaquam dubitaſſe, quin etiam ſibi Pompeji gratia ambienda foret: & gaviſum ea re Pompejum palam pro concione dixiſſe, „ſe non minorem gratiam Populo debiturum pro conſulatu in Craſſum, „quam in ſeipſum collato." Verum nequaquam eadem concordia geſſerunt magiſtratum, qua petierant b; ſed ferme in omnibus diſſentientes pauca domi foriſve memoria digna Reipublicæ præſtare potuerunt. Petente tamen Populo, ante quam magiſtratu abirent, in gratiam redierunt. Etiam hoc obſervandum eſt, fruſtra poſtea Pompejum obſervationem legum, quæ abſentem conſulatum petere vetabant, aliarumque contra Cæſarem urſiſſe, cum ipſe jam invitis legibus Conſul factus

a *Plut. Craſſo p. m.* 646. b *Plut. d. l. & in Pomp. p.* 629.

ctus fuiſſet; quippe qui nullum alium adhuc magiſtratum geſſiſſet: neque etiam ætatem conſulatui gerendo legitimam haberet, annos natus triginta ſex; cum quadrageſimum ſecundum petendo conſulatui leges definiviſſent. Unum omnino memorandum eſt ab his Conſulibus Reipublicæ præſtitum; reſtitutio nempe Tribunorum plebis [a], quibus a Sulla omnem fere auctoritatem ademptam fuiſſe vidimus. Maxime autem eorum poteſtatem deſiderari faciebat judiciorum circa hæc tempora corruptio: *in quibus nulla ſeveritas, nulla erat religio; imo; quæ nulla jam eſſe, exiſtimabantur*, ſi Ciceroni credimus [b]: Fecit id maxime Pompejus [c], (nam Craſſi in hoc negocio partes fere nullæ fuiſſe videntur; ut ille privatas ſuas res magis & avaritiam curabat, Pompejus ambitionem) ut ſua ea gratia potius eſſet, neve alius eam occuparet; cum videret ſiſti non poſſe [c]. Inſtrumentum maxime huic rei perficiendæ fuit *M. Lollius Palicanus* Tribunus plebis, *humili loco, Picens, loquens magis quam facundus*; ut eum deſcripſit in *libris ſuis Hiſtoriarum* Salluſtius [d]. Mentionem etiam ejus facit Cicero, *oratorem auribus imperitorum aptiorem* vocans [e]. Atque huc referunt nummum [f], qui ab una parte *caput libertatis*

a *Plut. Ibid.* b *Act. V. in Verr. cap.* 15. c *Id. de LL. III. c.* 11. *Aſcon. ad Divin. cap.* 3. d *ap. Quinctil. Inſtit.* Or. L. *IV. c.* 2. *ubi* M. Acilius Palicanus *dicitur*. e *de Cl.* Or. c. 62. f *Vaillant. C. Lollia n.* 6.

*tatis* refert; ab altera, ut volunt, *roſtra*; quod inde Tribuni plebis concionem ad Populum habere ſolerent. Sed fere nomine tenus duntaxat tribunicia poteſtas reſtituta fuit; cum tota pene ad Senatum transferretur. Nam Auguſtus demum Equitibus rurſus Romanis conceſſit [a], ut tribunatum plebis petere poſſent.

## CAPUT UNDECIMUM.

### *Quod varia complectitur.*

§. I. IDem annus, qui Craſſum & Pompejum Conſules habuit, etiam habuit Cenſores L. Gellium *Poplicolam*, & Cn. Cornelium Lentulum Clodianum: (eos modo etiam in Conſulatu collegas vidimus) quos hic memoro, quia jam per ſexdecim annos Cenſura intermiſſa fuerat. Hi Cenſuram aſpere exercuerunt, ſexaginta quatuor, aut pluribus, Senatu motis [b]: inter quos etiam fuit C. Antonius; de quo jam *capite* 6. §. 2. locuti ſumus. Cauſſas hujus remotioni ſubſcripſerant, „ quod ſocios diripuiſſet; quod judicium recuſaſſet; quod propter æris „ alieni magnitudinem prædia mancipaſſet, bonaque ſua in poteſtate non „ haberet [b]: " ita ut non abſque ratione Catilina ſperaverit, ſe hoc homine, ſi una deſignatus Conſul foret, facile ex vo-

§. 2. *Cenſura.* *A.U.* 683.

a *Suet. Aug. cap.* 40. *Dio L.* 54. *fini propius.*
b *Aſcon. ad Divin. c.* 3. & *Id. ad Orat. in toga cand. p.* 979. *ed. Grav.*

voluntate uſurum [a]. Nam a ſequentibus Cenſoribus reſtitutus cum Cicerone Conſulatum geſſit.

*§. 7. Luxus horum temporum.*

§. II. Neque mirum eſt, circa hæc tempora multos repetundarum aut peculatus accuſatos fuiſſe, cum luxus virorum in Republica principum horrendum in modum creviſſet: ad quos ſumptus ut ſufficerent, provincias expilare, pecuniam publicam furari, judicia vendere; &, uno verbo, quævis ſcelera committere cogebantur. Et, præter divitias Aſiæ aliarumque gentium in Urbe invectas maxime hominum mores corrupiſſe videtur exercitus Sullæ [b], quem quo ſibi fidum faceret, contra morem majorum luxurioſe, nimiſque liberaliter habuerat. Unum tantum & alterum exemplum, unde luxus ille immenſus probetur, in medium producamus. Lucullus, vir cetera ſapiens [c], & quem ſæpe laudat Cicero [d], tantas ſibi opes acquiſivit, & tanta opum profuſione vixit, ut *Xerxes togatus* vulgo diceretur: & horti illius adhuc *Trajani* Imperatoris ætate inter res Principis ſumptuoſiſſimas cenſerentur [e]: licet verum ſit, eos tum etiam ab aliis excultos fuiſſe [f]. Opulentior, ut videtur, Lucullo, avarior certe, fuit Craſſus [g]; cujus divitiæ, in

a *Salluſt. Catil. c.* 21. b *Ibid. c.* 11. *Vid. Plut. Sulla p. m.* 459. c *Plut. Lucull. p. m.* 492. d *Vid. vel ſolum L. IV. Acad. quæſt. ab init.* e *Plut. l. d. m.* 518. f *Vid. Tac. Ann. XI. ab init.*
g *Plut. Craſſo p. m.* 543.

in proverbium abiere [a]: & qui dicere erat ſolitus, *neminem eſſe divitem, niſi qui exercitum alere poſſet ſuis fructibus* [b]: poſſeditque [c] in agris & pecunia *bis millies* †. Et ipſe Cicero, homo novus, homo frugalis, imo avarus, domum non tantum *ſeſtertium tricies quinquies* * emit [d]; (mutuum ſane vicies ſeſtertium acceperat a *P. Sulla* [e], quem tum reum defendit) verum idem menſam citream *ſeſtertium decies*, ſive *Philippæorum nummum viginti quinque millibus* deſtinavit [f]. Sed nullus eſſet finis, ſi omnia talia exempla huc congerere vellemus. Subitum autem, ut innuimus, incrementum hæc vitia apud Romanos ceperunt poſt Sullæ Dictaturam: de cujus privigni M. Scauri luxu jam aliquid eſt dictum. Et tradit Plinius [g], eo anno, quo mortuus eſt Sulla, domum pulchriorem non fuiſſe Romæ, quam Lepidi tum Conſulis: at intra annos triginta quinque eandem centeſimum locum non obtinuiſſe. Idem narrat ex M. Varrone, *C. Sentium* Prætorem (is Prætor fuit A. U. 663.) dixiſſe, *Chium* vinum tunc primum in domum ſuam illatum, cum ſibi cardiaco medicus dediſſet; *Hortenſium* ſuper X. M. cadum hæredi reliquiſſe [h]. Neque mirum eſt, tantas Romam affluxiſſe divitias, ſi cogitemus, quot,

a *Eraſm. Chil. I. cent. 6. n. 73.* b *Cic. Parad. 6.* c *Plin. H. N. L. XXXIII. c. 10.* † 500000. *Philip.* * 87500. *Phil.* d *Ipſe Fam. L. V. n. 6.* e *Gell. L. XXI. c. 21.* f *Plin. H. N. L. XIII. c. 15. ſq.* g *H. N. L. XXXVI. c. 15.* h *L. XIV. c. 14.*

quot, quantæ, quam opulentæ provinciæ intra breve ſatis ſpatium temporis Imperio R. acceſſerint: ex quibus non tantum vectigalia, & tributa percipiebantur; ſed præcipue uſuris eas affligebant Romanorum proceres. In hunc autem finem, & ſimul ut artem Rempublicam adminiſtrandi diſcerent, nobiliſſimi Romanorum adoleſcentes Præſides in provincias euntes comitabantur; utiliſſimo quidem inſtituto; ut quaſi ſub oculis viri gravis militiæ aliorumque munerum publicorum rudimenta ponerent [a]. Sed ſimul ita mature diſcebant, qua ratione provincias exhaurire poſſent. Cum enim tributa acerbe exigerentur, & ſæpe pecunia præſens ſociis provincialibus non ſuppeteret, fœnori eam a Romanis accipere cogebantur: illudque immenſum, & abſque ulla miſericordia a præſtantiſſimis etiam Romanorum exercebatur. Nam, ut *Pomponium Atticum*, illum amicitia Ciceronis, literiſque hujus ad eum ſcriptis celeberrimum mittam [b], quod magis miremur, etiam M. illum Brutum, quem *ultimum Romanorum* ob eximiam virtutem quidam dixerunt [c], non puduit immanibus illis uſuris provinciales vexare: nam ex locis in margine hujus libri citatis patet [d], Brutum *Scaptio* Equiti Romano faviſſe, vel potius ſocium ejus

in

a *Vid. Cic. pro Cæl. c.* 30. *pro Planc. cap.* 11. b *Vid. Abbat. S. Real. entretiens Hiſt. & Mor. p.* 91. *ſqq. ubi ſatis bene Atticum deſcribit*. c *Cremutius Cordus ap. Tacit. Ann. L. IV. c.* 34. d *Cic. Att. L. V. n.* 21. *L. VI. n.* 1.

in toto hoc negocio fuiſſe: qui quaternas centeſimas exigebat; ſive nummos quadraginta & octo annuos in centum. Imo eam pecuniam Bruti periculo fuiſſe ſcribit Cicero a. Et accedebant *anatociſmi*, renovationes non ſoluti fœnoris ſingulorum annorum b. Tum ſumma acerbitate id fœnus exigebatur; & Scaptius Senatum *Salaminium* in Cypro inſula, cum non ſuo die fœnus ſolutum eſſet, in curia obſederat, ut fame Senatores quinque morerentur. Et omnem fidem ſuperat, quod de Cn. Pompejo in iiſdem literis refert Cicero, Regem Ariobarzanem ei triceſimo quoque die ſolviſſe *talenta Attica triginta tria*, ſive *nummorum Philippæorum novendecim millia & octingentos*: ita ut tributa, quæ ſuis Rex imperabat, vix in fœnus Pompejo quod ſatis eſſet efficerent. Nec minus Romæ legatis exterarum gentium pecunia mutua magna dabatur uſura; ita ut turpia & famoſa ex ea re lucra fierent. Ergo A. U. 686. *C. Cornelius* Tribunus plebis legem ad Populum tulit, *ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expenſam ferret*. Cumque Senatus, ut facile credi poteſt, ei rei adverſaretur, in concione queſtus eſt Cornelius, *provincias uſuris exhauriri*: adjecitque, *providendum eſſe, ut haberent legati, unde pecuniam creditoribus darent*. Tum etiam tulit, *ut, antiquo jure revocato, nemo, niſi per Po-*



a *ll. prox. dd.* b *Vid. I. Fr. Gron. de centes. us. & fœn. unc. p. 472.*

*pulum*, *legibus ſolveretur*. Nam jam in conſuetudinem venerat; ut hoc in Senatu, & paucis quidem præſentibus fieret: imo, ut ne quidem in Senatusconſulto adjiceretur de rogatione ad Populum ferenda. Ut hoc impediretur inventus erat *P. Servilius Globulus* Tr. pl., qui C. Cornelio obſiſteret. Ingenti ex hac re ſeditione orta, ita ut *C. Piſonis* Conſulis faſces frangerentur, de ea re iterum in Senatu magnis contentionibus actum eſt. Tum Cornelius tulit, *ne quis in Senatu legibus ſolveretur, niſi ducenti adfuiſſent; neve quis, cum ſolutus eſſet, intercederet cum de ea re ad Populum ferretur*: eamque legem invitis optimatibus pertulit; qui vel pauci Senatusconſultum facere ſolebant. Anno ſequente Cornelius ob ea, quæ in Tribunatu fecerat, majeſtatis accuſatus eſt a duobus fratribus *Cominiis*: ſed cum ob ſeditionem plebis accuſatores die dicta non adfuiſſent, nomen Cornelii de reis exemptum eſt. Anno tamen ſequente 688. iterum accuſatus Cornelius defenſus eſt a M. Cicerone duabus orationibus, quæ non exſtant. Ita ut hoc tempore Cicero nondum adeo optimatibus, quam quidem poſtea, addictus fuiſſe videatur. Atque hæc ita fere ex argumento Aſconii in has orationes deſumpta ſunt. Sed videtur etiam Cornelius legem tuliſſe *de pecuniis reſiduis*, ut pecuniæ publicæ, quæ reſiduæ apud quemque eſſent, exigerentur. Ea lege præcipue *Fauſtum Sullam* petebat Dictatoris filium; quia Sul-

Sulla per multos annos pecuniam ex ærario & ex vectigalibus P. R. ſumpſerat. Sed receptus non eſt accuſator; quod accuſante Tribuno pl. conditione æqua diſceptari non poſſe putaretur. Quæ colligi poſſunt ex *argumento & notis Aſconii in has orationes*; & ex ipſo Cicerone *oratione pro Cluentio c.* 34.

§. III. Non prohibuit tamen hoc pecuniæ corrogandæ ſtudium, quin ſimul circa hæc tempora etiam literarum ſtudia magis magiſque inclareſcerent: & præcipue quidem eloquentia forenſis. Nam ipſa conditio temporum eam non tantum utilem; ſed etiam neceſſariam faciebat; cum quotidie fere principes in civitate viros & accuſari & defendi contingeret. Et ipſe Cicero, Romani eloquii princeps, his temporibus, cauſſis præcipue agendis, eloquentiam exercebat. Exſtant orationes quædam, quas hoc tempore habuit: Ea pro *P. Quinctio*, quæ prima fuit, dicta eſt A. U. 672. quo tempore Cicero annum agebat viceſimum ſextum [a]. C. Verrem autem accuſavit, cum ædilitatem gereret A. U. 684. Æmulus vero in oratoria laude Ciceronis *Q. Hortenſius* eo ipſo anno Conſul fuit: Nec minor fere eloquentiæ & eruditionis laus fuit in C. Cæſare, de qua poſtea etiam aliquid erit dicendum: ut forte etiam de ipſius Ciceronis ſcriptis. Et plures recenſet Cicero in libro *de claris oratoribus*: quorum ſcripta & orationes,

*§. 3. De viris eruditis.*



a *Vid. Gell. XV. c. 28. & probat. Fr. Fabric. in hiſt. Cic.*

æque ac Hortenſii omnia & pleraque Cæſaris, ad nos non pervenerunt. Talis fuit Q. Catulus, qui non ſolum orationes, ſed etiam librum *de Conſulatu ſuo & rebus* ſuis geſtis conſcripſit a. Tum Antonius præterea, *Q. Scævola* & Craſſus, quos ab eloquentiæ & juriſprudentiæ laude eximie celebrat Cicero b: ſed qui paullo etiam (certe duo priores) antiquiores fuerunt. *Cotta* inde fuit, qui Antonium, & *Sulpicius*, qui Craſſum imitari volebant c: ut nihil dicam de reliquis, qui apud Ciceronem videri poſſunt. Hiſtorias hoc circiter tempore etiam plures ſcripſerunt: ſed quos longa & maligna ætas, aut barbarorum furor nobis abſtulit. Quorum quidem librorum jactura omnium maxime dolenda eſt; cum rerum eo tempore geſtarum non alia ratione paullo amplior notitia haberi poſſit, quam ex hiſtoricis eorum temporum: nam ſola hominum, qui ea ætate vixerunt, ſcire nomina, ſi nihil aliud accedat, parvi eſt uſus. Quin etiam libris philoſophicis multis minore damno carere poſſimus; cum acris meditatio viri ſapientis omnibus ævis eaſdem veritates invenire poſſit: nullum ingenii acumen rerum geſtarum memoriam ſemel deperditam poſſit reſtituere. Poetarum vero laſcivorum, aliorumve ineptorum ſcriptorum cladem adeo non deplorandam puto, ut multo magis gaudendum eſſe credam, nos non plurium inutilium, vel moribus noxiorum auctorum ſarcina pre-

a *Cic. de cl. Or. c.* 35. b *Ibid. c.* 36. *ſqq. c.* 47.
c *Ibid. c.* 55.

premi: cum, qui ſuperſunt, præſtantiſſimi poetæ abunde ſufficiant, ut genium poeſeos priſcæ noſcere, & linguam addiſcere valeamus. Præter Catulum ergo his temporibus floruit *Manilius* hiſtoricus & literator [a]: ejuſque æqualis *C. Licinius Macer*, cujus nomen reſtituendum eſſe apud Ciceronem [b] pro *Accio* dudum monuerunt viri eruditi [c]. Ipſe Sulla Dictator, ut jam ſupra occaſione belli Cimbrici indicavimus [d], de rebus a ſe geſtis commentarios reliquit: cujus libri a Lucullo ſuppleti, vel forte Lucullo dedicati [e], a liberto Sullæ *Cornelio Epicadio* editi videntur [f]. In ejuſdem Sullæ rebus deſiit hiſtoria ab ejus gentili *L. Cornelio Siſenna* conſcripta: quem omnes ſuperiores facile viciſſe dicit Cicero [g]. Celebres etiam hoc temporis intervallo fuerunt Hiſtorici *Q. Claudius Quadrigarius*, & *Q. Valerius Antias*: qui inter celeberrimos Hiſtoriæ, vel annalium rerum Romanarum conditores cenſentur; & a Livio, Gellio aliiſque ſæpiſſime citantur. Græce etiam hiſtoriam belli Marſici conſcripſit Lucullus [h]. Et hi quidem Hiſtoricorum ſunt præcipui. Poetas eadem hæc ætas tulit virum illum primarium Q. Catulum, quem modo nominavimus; quem non prohibuit tanta dignitas, quin laſcivos verſiculos faceret [i]: ejuſque fami-



a *Plin. H. N. X. c. 2.* b *de LL. I. c. 2.* c *Voſſ. de Hiſt. Lat. L. I. c.* 10. d *Vid. Plut. Sulla p.* 460. 470. e *Id. Lucull. p.* 494. *Sull. p.* 454. f *Suet. de Ill. Gramm. c.* 12. g *de cl. Or. c.* 64. & *LL. I. c. 2. Vid. etiam Vell. L. II. c.* 9. *ſed qui non ſatis recte de ejus ætate loqui videtur.* h *Plut. ejus vita p.* 492. i *Plin. Epiſt. L. V. n.* 3. *Gell. L. XIX. c.* 9.

familiaris fuit *Q. Furius* itidem poeta [a]. Nominat etiam Cicero *C.* & *Sex. Titios*, illum Tragicum [b]; hunc, ut videtur, laſcivum poetam: licet Cajus etiam comœdias ſcripſiſſe videatur, cum Cicero dicat *L. Afranium* poetam eum imitari ſtuduiſſe: quem comicarum fabularum ſcriptorem [c] hujus temporis celeberrimum fuiſſe ſcimus: & qui *togatas* etiam *fabulas* ſcripſit: ut etiam *T. Quinctius Atta* [d]. Ex quibus omnibus ad nos non niſi pauca quædam fragmenta pervenerunt: ut etiam ex aliis minus celebribus, quos ſilentio prætermittimus.

---

# LIBER NONUS.

## CAPUT PRIMUM.

*De bello Mithridatico III. & de bello cum Rege Tigrane.*

*§. 1. Initium belli Mith. III. A. U. 687.*

§. I. VIdimus *libri præcedentis capite ſecundo §.* 10. Lucullum & ingenti clade Triarii, & adventu Acilii Conſulis & denique diſſenſionibus, quibus laborabant Romani prohibitum finem bello Mithridatico, ita ut nihil ſibi deinde ab eo Rege timerent Romani,

a *Cic. de cl. Or. c.* 35. b *Ibid. c.* 45. *&* 62. c *Horat. Ep. II.* 1, *v.* 57. *Quinctil.* X. 1. d *Euſeb. ad Olymp.* 175. *Horat. Epiſt. II.* 1, 79.

ni, imponere non potuiſſe: neque, ut ſtatuerat, Tigranem bello perſequi. Jam vero, cum Mithridates omne tempus, quod per has Romanorum diſcordias ipſi reliquum erat, non ad oblivionem veteris belli, ſed ad novi comparationem contuliſſet, Boſporanis ſe finitimis ſuis bellum inferre velle ſimulans [a], Romanis etiam majore conatu hoc bellum inſtaurari placuit. Itaque *C. Manilius* Tribunus plebis (homo venalis, & alienæ miniſter potentiæ [b]) initio anni ſexcenteſimi octuageſimi ſeptimi legem promulgavit, „ ut „ Pompejo, qui tum in Cilicia belli re„ liquias perſequebatur, Bithynia, Phry„ gia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, „ Cilicia, *Colchis*, Armenia minor cum „ omni apparatu bellico, & copiis om„ nibus, qui Luculli fuerant [c], com„ mitteretur; utque bellum cum Mithri„ date & Tigrane Regibus gereret; re„ tineretque claſſem & imperium mari„ timum, ut ab initio acceperat. “ Ita ut hac una lege totum quantum eſſet Imperium Romanum uni homini ſubjiceretur. Itaque vir patriæ ſuæ ſtudioſiſſimus Q. Catulus legem, quæ maxima nobilitatis indignatione lata erat [d], vehementer diſſuaſit, ut jam antea fecerat occaſione belli Piratici: nec minus eam improbavit Q. Hortenſius [e]. Suaſit eam Cicero, qui tum Prætor erat, oratione,



a *Cic. pro L. Man. c.* 4. b *Vell. Pat. L. II. c.*33. c *Plut.Pomp.p.m.*634. d *Liv.epit.*100. e *Cic. pro L. Manil. c.* 17. 20.

quæ exſtat: jam tum Pompeji favorem indigne ſatis captans. Cæſar quoque favebat Pompejo, cum eidem Populum quoque favere ſciret; quem ſibi demerendum eſſe ſtatuebat [a], immenſam jam illam, ut videtur, ambitionem animo fovens, quæ paullo poſt exitio Reipublicæ fuit. Certe nulli horum ſalus Reipublicæ tum curæ fuit; ita ut abſens Pompejus omnia fere obtineret, quæ Sulla vi & armis ſubacta patria obtinuerat.

*§. 2. Ulterior belli progreſſus.*

§. II. Pompejus ergo Aſiam ingreſſus undique ſtatim & milites & dynaſtas & Reges ſocios evocavit, Lucullum nihil curans. Cumque ad colloquium conveniſſent, primus quidem eorum congreſſus comis ſatis fuit; ſed mox, dum Lucullus Pompejo ambitionem, hic Lucullo avaritiam objicit, adeo exarſerunt [b], ut vix a manibus ſibi temperaverint. Ita Lucullus deceſſit. Pompejus, poſtquam totam Aſiam a *Phœnicia* ad Boſporum navium ſtationibus fuiſſet amplexus in Mithridatem movit; cum prius *Metrophanem* ad Regem miſiſſet, qui benignas ipſi pacis conditiones ferret. Sed Mithridates, qui exercitum, licet non nimis magnum, e lectiſſimis tamen militibus compoſitum, habebat, Parthorum Regem *Phraatem* ſe ſibi adjuncturum eſſe ſperabat. Verum poſtquam eum jam Pompeji amicitiam amplexum Armeniam Tigranis regnum

a *Dio L.* 36. *p.* 9. *f. ed.* 1584. b *Dio Ibid. p.* 10. *Vell. L. II. c.* 33.

gnum invaſiſſe audiit, animo collapſus legatos ſtatim ad Pompejum miſit, qui de pace agerent: at illis non aliud reſponſum datum eſt, quam ut Rex poſitis armis, transfugiſque redditis ſe fidei Romanorum permitteret. Hi vero, cum maximo eſſent numero, tantum in caſtris regiis tumultum excitarunt, ut Rex jurare coactus fuerit, ſe nunquam cum Romanis pacem habiturum; neque aliquid, niſi de communi conſilio facturum. Et ſimul in interiora regni ſe recepit, obvia quæque vaſtans, ut commeatuum inopia Romanos affligeret: licet ipſe Rex, quod in tanto Imperatore turpiſſimum, locorum non nimis gnarus fuiſſe videatur, cum montem quendam munitiſſimum, quod inopem aquæ crederet, deſeruerit; quem mox occupavit Pompejus, factiſque puteis aquæ, quod ſatis eſſet, invenit a. Nec minore imprudentia, ſive ille ſtupor fuerit, egit, caſtra ſua vallo centum quinquaginta ſtadiorum † a Pompejo circumdari paſſus eſt. Inde, cum per dies quadraginta quinque obſeſſus fuiſſet, hominibus, aut jumentis inutilibus, aut ægrotis interfectis nocte ſilente aufugit Armeniam petens. Sed Pompejus, cum agmen ejus extremum aſſecutus eſſet, invitus, & nocte quidem prælium committere coactus eſt, cum vereretur, intelligeretque, hoſtem effugiturum eſſe. Ergo loco quodam

a *Plut. Pomp. p. 635. f.* † *horæ itineris* $6\frac{1}{4}$

dam ſibi commodo & inter montes concavo eos adortus eſt, horrendo ſonitu, clangore tubarum, vocibus militum, ſcutorum aliorumque æneorum vaſorum percuſſionibus excitato: ita ut ſtatim barbari, quibus prælium inopinantibus plane eveniebat, perturbati fuerint: atque exorta luna etiam in umbras Romanorum potius, quam in ipſos, tela mittebant[a]. Ita multis cæſis; multis etiam captis cum ſolis ſatellitibus Rex elapſus eſt; ſed ab iis quoque relictus cum ſola pellice *Hypſicratia* egregiæ fortitudinis & fidei muliere, duobuſque aliis comitibus ad Tigranem Regem generum ſuum contendit[b]. Sed cum Tigranes non tantum introitu regni ſui ei interdiceret; verum centum etiam talenta in caput ejus pronunciaret, in Colchidem & inde in Boſporum & Mæotidi paludi vicinas regiones ſe recepit: & filium ſuum Macharem earum regionum dominum, quod Romanorum rebus ſtudebat, interfecit cum omnibus illis, quos amicos aut comites filio in regnum ſuum abeunti addiderat; quos vero Machares ipſe ſibi amicos, aut familiares acquiſiverat, dimiſit incolumes. Alii patris metu Macharem manus ſibi intuliſſe ſcribunt. Interfecit etiam paullo poſt alium ſuum filium *Xipharem*; quod mater ejus *Stratonice* arcem, in qua erat, cum theſauris Mithridatis Pompejo tradidiſſet[c]. Plures etiam alii ejus filii in poteſta-

a *Flor. L. III. c. 5.* b *Plut. Pomp. p. n. 636.* c *App. Al. Mithr. n. 245.*

teſtatem Romanorum venerunt: filiæ vero a militibus, quibus eas in Scythiam deducendas dederat, ad Pompejum adductæ ſunt. Theſauros, variaſque res alias pretioſiſſimas Pompejus Quæſtoribus aſſervandas tradidit; ut, cum triumphum ejus exornaſſent, in ærarium conderentur.

§. III. Ita liberis, regnoque & theſauris exutus Mithridates nondum tamen animum deſpondit: ſed ad Gallos iter deſtinabat, ut cum iis Alpes transgreſſus ipſam Italiam invaderet: quem impetum cunctatio exercitus ejus aliquantiſper inhibuit [a]. Verum filius ejus *Pharnaces*, cum & periculoſa nimis ea expeditio videretur; &, ſi hoc Mithridates tentaſſet, omnem ſpem veniæ a Romanis præciſam videret, patri inſidias ſtruxit. Quibus detectis, poſtquam veniam conſecutus eſſet, iterum ſollicitatum exercitum a fide patris abduxit. Mithridates tandem veritus, ne Romanis traderetur, venenum ſumpſit; ut etiam duæ filiæ ejus virgines. Et hæ quidem confeſtim ſunt mortuæ. Mithridates, quod ab ineunte ætate antidotis ſe contra venena muniviſſet (unde tale quoddam medicamenti genus ab eo *Mithridaticum* dicitur [b]) fruſtra illud tentavit: ſed a *Bituito* Gallorum Duce enixis precibus, ut mortem ſibi inferret, impetravit [c]. Hic finis fuit Mithridatis, Principis magnanimi & jugi Romanorum impatientis, cum qui-

*§. 3. Belli finis.*

*A. U. 690.*

a *Dio L. 37. p. 19. ed. reg.* b *Serenus Sammonicus c. 62.*
c *Liv. epit. 102.*

quibus per quadraginta circiter annos aut bellum, aut dubiam pacem habuerat. Neque poſt Hannibalem infeſtiorem, aut magis timendum hoſtem Romani habuerunt. Pompejus, qui non ſparaverat, prope adeo finem hujus belli adeſſe, in Arabiam moverat; ut animum Regis ejus populi, qualis erga Romanos foret, exploraret; iſque ſe dicto audientem fore, & imperata facturum, ſcripſit. At nuncio de morte Mithridatis accepto Pompejus raptim Amiſum, Mithridatis regiam, contendit: ejuſque ditionibus pleriſque in formam provinciæ redactis & compoſitis Romam proficiſci pergit. Pharnaci, præmium perfidiæ in patrem, regnum Boſporanum eſt datum [a]: exceptis *Phanagorenſibus*, quibus libertas eſt data, quod primi a Mithridate deficientes exitium ejus magnopere acceleraſſent.

§. 4. *Res aliæ a Pomp. in Oriente geſtæ.*

§. IV. Antequam autem cum Pompejo in Italiam revertamur, narranda ſunt illa, quæ extra bellum Mithridaticum in Aſia geſſit. Nam poſtquam Regem illum viciſſet, interea dum hic vires ad rebellandum colligit, (& ſatis bene conjecit Pompejus, eas non nimis metuendas fore) deſiderium Pompejum cepit Syriam quoque & Arabiam ſubjugandi, ut etiam in Oriente victorias ſuas ad Oceanum proferret; quemadmodum in Occidente fecerat. Et primo quidem Armeniam, arceſſitus a minore *Tigrane*, qui a patre

a *Appian. Mithr. n. 250.*

patre deſciverat, intravit a. Tigranes a Lucullo jam afflictus præſidium Pompeji in regiam ſuam urbem recepit: & in caſtra Romanorum progreſſus fœdiſſimum in morem ſe ad pedes Imperatoris abjecit. Exceptus vero comiter eſt a Pompejo, & Rex appellatus, cum Imperatorem jam & milites ingenti pecuniæ vi donaviſſet b. Juſſus eſt tamen provinciis omnibus, quas bello occupaverat, decedere; tota nempe Syria ab Euphrate ad mare uſque; & parte Ciliciæ, unde Regem *Antiochum*, cognomento *Pium*, dejecerat. Filium etiam Tigranem patri conciliavit; eumque pro poteſtate in Minore Armenia regnare juſſit, Majore patri addicta ea lege, ut moriens eam filio relinqueret. At filius ingratus nequaquam his conditionibus contentus fuit: verum patri inſidias ſtruens, cum vinctus a Romanis ne ſic quidem Parthos per nuncios contra eos ſollicitare ceſſaret, Romam avectus, in triumphum poſtea ductus & necatus eſt. Armenia minor & reliqua, quæ minoris Tigranis fuerant, cum parte etiam Ciliciæ Ariobarzani Cappadociæ Regi tributa ſunt, cum Armenia major Tigrani relicta eſſet. Ex Armenia ad Mithridatem perſequendum iterum converſus Pompejus *Iberes Albanoſque* qui inter Pontum Euxinum & mare *Caſpium* habitant, hi Caſpium, illi Euxinum contingentes, fugavit. Et primo quidem Albanos, cum impru-

a *Plut. Pomp. p. m.* 636. b *Appian. Mithr. n.* 243.

prudenter ſe armis Romanorum oppoſuiſſent [a]. Mox etiam Iberos fundit; & ita ſe Servilio, qui claſſe Pontum tuebatur, junxit. Quo tempore autem Pompejus adverſus Arabas exercitum duxit, *Damaſci* Judæos fratres *Ariſtobulum* & *Hyrcanum Alexandri Jannæi* filios de regno Judææ per legatos diſceptantes; & donis certantes audivit: Accuſabat etiam qui ab Ariſtobulo miſſus erat Gabinium & *Scaurum* Pompeji legatos, qui magnam pecuniæ vim, trecenta talenta †, ab Ariſtobulo acceperant [b]. Verum tota hæc res paullo altius eſt repetenda.

§. 5. *Res Judæorum.*

§. V. Mortuus fuerat in Judæa anno Urbis ſexcenteſimo quadrageſimo octavo *Joannes Hyrcanus* relictis quinque filiis [c]; ex quibus *Ariſtobulus* natu maximus principatum arripuit; & ſocium ſibi dominationis fratrem *Antigonum* adſcivit; reliquis tribus carceri mancipatis. Sed ex teſtamento Joannis Hyrcani rerum adminiſtratio matri Ariſtobuli debebatur: quam rebus ſe immiſcentem filius fame necavit. Mox etiam Antigonum falſis invidorum delationibus deceptus occidit. Huic Ariſtobulo poſt annum regni miſerabiliter mortuo ſucceſſit frater *Alexander*, quem *Salome*, ſive *Alexandra* Ariſtobuli uxor vinculis exemerat [d]. Ab eo alter ex fratribus ſuperſtitibus eſt occiſus: alter privatam vitam vivere juſſus. Mortuus eſt Ale-

a *Plut. d. l. p.* 637. † *Phil.* 18000 b *Joſeph. B. I. L. I. c.* 5. c *Joſeph. Ibid. c.* 3. d *Id. Ant.* XIII. 20.

Alexander [a], poſtquam regnum per annos viginti ſeptem tenuiſſet. Inde Alexandra filium majorem *Hyrcanum* Regem conſtituit : licet rerum adminiſtratio revera penes ipſam foret. Ea anno Urbis 684. mortua alter ejus filius *Ariſtobulus* fratri Hyrcano regnum extorquet : & ; licet cum fratre Hyrcanus in gratiam rediiſſet ; ab *Antipatro* tamen *Idumæo* ſibi perſuaderi patitur [b] ; ut ad *Aretam* Arabum Regem confugeret auxiliis ejus regnum repetiturus. Et revera Hieroſolymam obſidione cepiſſet ; niſi a Scauro eam ſolvere fuiſſet coactus : quem trecentorum talentorum mercede Ariſtobulus corruperat. ( Alibi [c] quadringenta talenta ipſe *Joſephus* dixerat ) At Hyrcanus cum Antipatro *Damaſcum* ad Pompejum confugit : & eodem accedit Ariſtobulus corruptione Scauri fretus. Sed cum humiliter ſe Pompejo ſubmittere impatiens ab eo receſſiſſet, Pompejus in Judæam movet, & Ariſtobulum cogit, ut & ſe & urbem Romanis permitteret ; pecuniam præterea etiam dare polliceretur. Sed, qui Ariſtobuli res curabant, Gabinium ad pecuniam accipiendam miſſum ne quidem in Urbem recipere voluerunt. Itaque Pompejus Ariſtobulo in cuſtodiam dato *Piſonem* ad Hieroſolymas occupandas mittit : & Templum, in quod conceſſerant qui Ariſtobuli partes defendebant ; tertio demum menſe cepit ; ipſo qui-

*A. U. 676.*

*A. U. 684.*

a *Id. B. I. I.* 4. b *Ibid. c.* 5.
c *Ant. XIV.* 4.

quidem die Sabbathi [a]. Tanta tamen fuit in Pompejo modeſtia, ut nec pecuniam, duo millia talentorum †, in eo repoſitam attigerit, nec quicquam de ſanctiſſimi templi ſuppellectile [b]: ſed poſtero ſtatim die purgato templo ſacerdotes ſolemnia ſacra celebrare juſſit [c]. Tributum tamen genti impoſuit: præcipuos belli auctores ſecuri percuſſit: omnia, quæ jam ab aliquot annis ceperant Judæi, civibus ſuis reddidit; vel potius, Syriæ provinciæ adjunxit. Denique regionum illarum ulteriore cura Scauro relicta ipſe Romam rediit. Secum avexit, ut in triumphum duceret, Ariſtobulum cum duabus filiabus, & totidem filiis; quorum unus *Alexander* ex itinere aufugit, qui tamen poſtea Pompeji juſſu occiſus eſt [d]. Et etiam Ariſtobulus, cum a Cæſare tempore belli civilis in Judæam eſſet remiſſus, ut Pompejo negocium faceret, ab iis, qui Pompeji res curabant, veneno interimitur: & Alexander filius ejus a Scipione Antiochiæ juſſu Pompeji ſecuri percutitur. Ingentem autem terrorem adventus Pompeji in Italiam faciebat: quippe plerique non ſine exercitu venturum in Urbem affirmabant [e]; & libertati publicæ ſtatuturum arbitrio ſuo modum. At Pompejus Brunduſii omni dimiſſo exercitu, nomen tantum *Imperatoris* retinens cum

a *Strabo L. XVI. n.* 763. *Dio L.* 37. *p.* 21.
† 1200000. *Philipp.* b *Cic. pro Flacco c.* 28.
c *Joſeph. de B. I. L.* 5. d *Ibid. c.* 7. e *Vell. Pat. L. II. c.* 40.

cum privato comitatu Urbem intravit, triumpho magnificentiſſimo de tot regibus per biduum acto III. & pridie Kal. Octobris A. U. 692. Magnifica ſane eſt præfatio hujus triumphi, quam ex Plinio [a] apponendam duxi; & quæ brevem enumerationem rerum ab eo geſtarum continet: *Cum oram maritimam a prædonibus liberaſſet; imperium maris populo Romano reſtituiſſet; ex Aſia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Judæis, Albanis, Iberia, inſula Creta, Baſternis, & ſuper hæc de regibus Mithridate, atque Tigrane triumphavit.* Et in delubro Minervæ, quod ex manubiis dicaverat Pompejus, ſe id votum merito Deæ ſolviſſe dicit, *bello triginta annorum confecto, fuſis, fugatis, occiſis, in deditionem acceptis hominibus vicies ſemel centenis LXXXIIIIM. depreſſis aut captis navibus DCCCXLVI. oppidis, caſtellis MD. XXXVIII. in fidem receptis, terris a Mœotis lacu ad Rubrum mare ſubactis* [b]. Pecuniam præterea longe majorem omni ante ſe illata pecunia in ærarium intulit [c]; talentum nempe viginti millia †, præter ea, quæ in milites dilargitus erat [d]. Tum vectigalia P. R. auxit ſumma ter millies & quadringenties †. Ita ut nihil mirum ſit, ipſi conceſſum eſſe, ut ſemper Circenſibus ludis cultu triumphantium, ſceni- A.U.296.

*Tom. II.* T cis:

a *H. N. VII. c.* 26. b *Vid. & Appian. Mithr. n.* 252 *in quibuſdam diverſum.* c *Vell. l. d.* † 36000000. *flor.* d *Plut. Pomp. p. m.* 642. † 8500000. *Philipp.*

cis prætexta & corona laurea uti poſſet; quo cultu tamen præ modeſtia non niſi ſemel uſus eſt: ſed neque ita invidiam æmulorum evitavit.

## CAPUT SECUNDUM.

### *Conjuratio Catilinaria.*

*§. 1. Occaſio conjurationis.*

§. I. INter triſtes effectus libidinum & luxus, qui ex immenſis illis divitiis Aſia ſubacta Romam deportatis originem habuere, etiam fuit ambitio & appetitus honorum plane immoderatus. Nam cum opes ſuas per luxuriam exhauſiſſent luxurioſi homines honores petere cogebantur, ut eorum occaſione pecuniam, ſive publicam, ſive ſociorum, ſive denique civium in loculos ſuos converrere & ita profuſioni conſuetæ ſatisfacere poſſent. Unde, ut jam vidimus, tot judicia repetundarum, & peculatus circa hæc tempora fuerunt exercita. Ex eodem fonte manavit horrenda conjuratio, quam proprio libro deſcripſit Salluſtius, & nos hoc loco narraturi ſumus. *Lucius* erat *Sergius Catilina* nobiliſſimo loco natus: nam *Sergiorum* gens, licet falſo, a *Sergeſte* Trojano originem ducere ferebatur [a]: & una ex triginta quinque tribubus Populi Romani ab eadem gente *Sergia* eſt dicta. Hic & animi & corporis dotibus præter æquales excellebat: ſed ingenio ſimul erat malo pravoque

a *Vig. Æn. V. v.* 121.

voque [a]. Addit auctor, qui ſe *Porcii Latronis* falſo nomine jactat, Catilinam ad nefaria conſilia etiam ideo compulſum fuiſſe, quod belli Mithridatici adminiſtrationem a Senatu impetrare non potuiſſet: quod vix credendum eſſe videtur.

§. II. Cum ergo & ſcelerum conſcientia, & inopia rei familiaris Catilina urgeretur, (nam & ipſe & plures alii nobiles bona ſua turpiſſimo luxu profuderant [b]) anno primum Urbis 687. Conſules Kal. Jan. in Capitolio interficere ſtatuit. Socios ejus facinoris habebat, præcipuum *P. Cornelium Lentulum*, qui jam A. U. 682. Conſul fuerat; ſed anno ſequente ob vitam probroſam a Cenſoribus Senatu motus jam iterum Præturam gerebat, ut ordinem recuperare poſſet [c]: iſque jactare erat ſolitus, „Ex libris Sibyllinis regnum „Romæ tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea, ſe tertium „eſſe, cui fatum foret Urbis potiri [d]:" præterea *C. Cethegum*, *P. Antronium*; &, ut dicebatur, P. Sullam [e]: ſed hunc defendit anno ſequente Cicero; cum, ut jam diximus, ſeſtertiuum vicies ab eo mutuo accepiſſet. Idem tamen Sulla homo fuit ſceleratus, ut ipſo auctore Cicerone diſcimus [f], quippe qui poſtea Dictatore Cæſare ingentes divitias ex emptione bonorum, quæ Cæſar haſtæ ſubjecerat, ſibi

*§. 2. Conjuratio prima. A. U. 687.*

 acqui-

a *Salluſt. Cat. c.* 5. b *Plut. Cic. p. m.* 866. c *Dio L.* 37. *p. m.* 25. d *Sall. c.* 47. *Plut. Cic. p.* 869. e *Cic. pro Sulla c.* 5. f *Famil. IX. n.* 10. *XV. n.* 17. *Offic. L. II. c.* 8.

acquirere conatus fuerit: ut jam antea ut in proſcriptione Sullana fecerat. Præterea & ipſe Sulla & Antronius A. U. 688., cum Conſules eſſent deſignati, ambitus damnati fuerant. Sed de conjuratione abſolutum fuiſſe Sullam patet, quod ipſe mox Gabinium de ambitu reum fecerit [a]. Præterea in ſuum conſortium Catilina adſciverat Cn. Piſonem moribus ſibi ſimillimum; &, ut omnes, ære alieno obrutum. Et ſibi quidem cum Antronio Conſulatum, Piſoni utramque Hiſpaniam cum exercitu deſtinaverat. Sed cum ea res innotuiſſet, rurſus in Nonas Februarias conſilium cædis transferunt, pleriſque etiam Senatorum perniciem machinati. At cum Catilina ſignum dediſſet ante, quam armati frequentes conveniſſent, ea res conſilium diremit [b]. Et Piſo a Senatu cum Imperio ablegatus eſt in Hiſpaniam; ubi ob injuriam quandam ab incolis trucidatus eſt [c]. Eodemque anno Catilina a P. Clodio repetundarum accuſatus fuit; ſed Clodius accepta pecunia prævaricatus eſt [d]: eoque judicio ipſe Cicero de defendendo Catilina cogitaſſe videtur [e]. Idem videtur anno ſequente inter ſicarios reus factus fuiſſe, quod olim multos a Sulla proſcriptos occidiſſet: ſed etiam eo judicio abſolutus fuit [f].

§. III.

d *Cic. ad Quint. fr. L. III. n. 3.* b *Aſcon. ad Or. in toga cand. p. 152. ed. Lugd. Bat. 1675.* c *Dio L. 36. p. m. 10.* d *Cic. de Haruſp. reſp. c. 20.* e *Vid. Aſcon. l. d. p. 145. ſq.* f *Ibid. p. 144. Cic. pro Sulla c. 29. Dio L. 37. p. m. 19.*

§. 3. *II. & major conjuratio. A. U.* 689.

§. III. Non tamen a cœptis ſuis homo perditus deſtitit; ſed captata occaſione, quod Cn. Pompejus in extremis terris bellum gereret [a], & Senatus nihil ſane eſſet intentus, aliam conſpirationem tentare ſibi propoſuit, Conſulatum & ipſe petiturus. Petiiſſet eum jam A. U. 687. niſi ex provincia Africa, quam Prætor obtinuerat, repetundarum reus fuiſſet factus; & ita intra legitimos dies profiteri prohibitus. Itaque A. U. 689. plurimos Senatorii & Equeſtris ordinis, & quidem pleroſque ex nobiliſſimis (quales, præter jam nominatos erant *L. Statilius*, *P. Gabinius*, *L. Caſſius*, *M. Cæparius* [b]) ad aliam conjurationem ineundam impellit: quibus multi etiam ex coloniis & municipiis accedebant. Imo fuerunt, qui crederent, Craſſum & Cæſarem non ignaros ejuſdem conſilii fuiſſe [c]; quod hic cujusvis opes contra Pompejum creſcere optaret: & ſimul conſideret, ſi conjuratio valuiſſet, facile ſe apud illos principem fore [d]. Imo etiam prioris conjurationis conſcius fuiſſe a multis credebatur Craſſus [e]. Et aperta jam conjuratione *L.* quidam *Tarquinius*, an *Tarquitius*, Senatui faſſus fuiſſe dicitur, ſe miſſum a M. Craſſo, qui Catilinæ nunciaret, ne eum deprehenſi quidam ex conjuratione terrerent: ſed potius eo magis ad Urbem accedere feſtinaret. Sed ſtatim conſulente Cicerone

 fre-

a *Sall. Cat. c.* 18. *Plut. Cic. p.* 865. 867. b *Cic. Catil. p. III. c.* 6. c *Aſcon. argum. or. in toga cand.* d *Salluſt. c.* 17. e *Ibid. ad init. or.*

frequens Senatus decrevit, *indicium falſum videri:* quia nempe in tali tempore tanta vis hominis magis lenienda, quam exagitanda videbatur. Credidit tamen Craſſus a Cicerone immiſſum fuiſſe Tarquinium, quod eum prædicantem ſe audiviſſe affirmat Salluſtius [a], *tantam ſcilicet illam contumeliam ſibi a Cicerone impoſitam:* quod alii factum dicunt, ne Craſſus more ſuo ſuſcepto malorum patrocinio Rempublicam conturbaret. De Cæſare, qui tum Prætor deſignatus erat, vix dubitatum fuit, quin inter ſocios ſceleris, vel certe conſcios fuerit. Ac inter eos apud *Novium Nigrum* Quæſtorem a *L. Vettio indice* nominatus fuerat [b]: qui etiam chirographum ejus Catilinæ datum pollicebatur. Male viri magni nominis apud Suetonium [c] pro *indice* legi jubent *Judice*, quaſi id nomen proprium ejus hominis fuerit: cum vel ſolus Ciceronis locus modo in margine adſcriptus contrarium evincat: & illud etiam ex Dione probari poſſit [d]. Hic Vettius rurſus A. U. 695. index alterius conjurationis contra Pompejum fuit [e]. Sed in Senatu quoque inter conjuratos nominatus fuit C. Cæſar a *Q. Curio;* qui id e Catilina ſe cognoviſſe dicebat [f]. Cæſar vero, cum implorato Ciceronis teſtimonio quædam ſe de conjuratione ultro ad eum detuliſſe docuiſſet, ne Curio præmia, quæ publice indi-

a *c.* 48. b *Cic. Att. II.* 24. c *Jul. c.* 17. d *L.* 37. *p.* 28. *ed.* 1548. *Vid. Eminent. Norris. ad Cenot. Piſ. Diſſ. I. p.* 67. e *Cic. l. d.* f *Suet. l. d.*

indicibus conſtituta erant, darentur, effecit. Vettium pignoribus captis & direpta ſupellectile male mulcatum, ac pro roſtris in concione pene diſcerptum conjecit in carcerem: ut etiam Novium Quæſtorem, quod compellari apud ſe majorem poteſtatem paſſus eſſet. Et Ciceronem, ut Cæſarem inter conjuratos nominaret, nec Piſo, nec Catulus, qui ex variis cauſſis Cæſari erant infenſiſſimi, impellere potuerunt. Equites tamen Romani, qui præſidii cauſſa cum telis aderant, egredienti ex Senatu Cæſari gladiis minitati ſunt [a]. Catilina autem ſuos in abdita ædium parte cohortatus [b], poſtquam omnium animos alacres vidit, dimiſit, monitos, ut petitionem ſuam Conſulatus curæ haberent. Additum fuit, Catilinam humanum ſanguinem vino permixtum in pateris cirtumtuliſſe: inde cum omnes deguſtaviſſent, exſecratione eos ad ſilentium adegiſſe: imo quidam narrant, puero mactato viſcera ejus comediſſe, quo majoris ſceleris ſocietate jungerentur [c]. Sed hæc alii ficta putarunt, ut Ciceronis invidia, quæ poſtea orta eſt, leniretur. Verum tamen videtur, eos horrenda conſilia animo agitaviſſe: ſine quibus ea, quæ popularibus ſceleris pollicebatur, obtineri non poterant: tabulas novas, proſcriptionem locupletum, magiſtratus, ſacerdotia, rapinas: atque uno verbo, Sullanam victoriam ſibi propoſuiſſe. Huic fini

T 4 Ur-

a *Sall. c. 49.* b *Ibid. c. 20. ſq.* c *Plut. Cic. p. 866. Dio L. 37. p. 25.*

Urbem in centum partes deſcripſerant; ut centum diverſis locis injecto igne undique arderet [a]. Et ſupererant ex Sullanis militibus multi largius ſuo uſi; qui rapinarum & victoriæ veteris memores civile bellum exoptabant [b].

§. IV. Sed fuit in ea conjuratione, quem modo nominavimus, Q. Curius [c]; cui cum Fulvia muliere nobili ſtupri vetus conſuetudo erat. Iſque apud eam ferocius agebat, quam eſſet ſolitus, maria monteſque pollicendo mulieri, cui ob inopiam jam dudum minus gratus erat. Fulvia ejus inſolentiæ cauſſa cognita compluribus narravit, quæ de conjuratione audiverat; cum etiam ipſa Reipublicæ periculo moveretur. Ea res imprimis ſtudia hominum accendit ad Conſulatum mandandum M. Tullio Ciceroni, cum antea nobilitas quaſi pollui Conſulatum crederet, ſi eum, quamvis egregius, homo novus adeptus foret: ſed ubi periculum advenit, invidia atque ſuperbia poſt fuere. Igitur Cicero cum Antonio Conſul declaratur [d]: & Cicero fere conſenſu [e]; cum Antonius paucis modo centuriis Catilinam ſuperaſſet [f]: qui ita Remp. plenam ſollicitudinis, plenam timoris acceperunt. At neque ita Catilina Conſulatum in annum ſequentem obtinere deſperavit, arma tamen interim per Italiam parans. Cicero quoque, cum comitia crean-

a *Plut. Ibid. p.* 867. b *Sall. c.* 16. *Plut. p.* 866. *ſq. App. Al. Civ. L. II. n.* 429. *Dio L.* 37. *p.* 25.
c *Sall. c.* 23. d *Sall. c.* 24. e *Ipſe in Piſ. c.* I. *Agrar. II. c.* 2. f *Aſcon. ad Or. in toga cand. f.*

creandis Conſulibus habiturus eſſet, loricam induit a: ſed ita, ut parte tunicæ de induſtria diſſuta, lorica conſpiceretur; quo magnitudo periculi intelligi poſſet [b]. Catilina autem mulieres etiam ſibi adſcivit, per quas ſervitia urbana ſollicitare, urbem incendere, viros earum vel adjungere ſibi, vel interficere poſſet. Nec Ciceroni interea inſidias parare deſinebat; cum etiam reperti eſſent *L. Varguntejus* Senator [c], & *C. Cornelius* [d] Eques Romanus, qui ſeſe Ciceronem in ſuo lectulo interfecturos eſſe pollicerentur e. Verum hic jam a principio Conſulatus ſui effecerat, tum per alios, quos defenſionibus ſuis ſibi amicos paraverat [f], tum per Fulviam, ut Curius omnia Catilinæ conſilia ſibi proderet: atque ita percuſſores mane ad eum ſalutandum venientes excluſit [g]. Collegam Antonium, qui Catilinæ familiaris, & ab ejus conſiliis non alienus erat [h], & cum Tribunis plebis Sullam, Antronium alioſque ambitus damnatos reſtituere conabatur [i], ne contra Rempublicam ſentiret, pactione provinciæ perpulerat k: eumque ſumma diligentia obſervabat l: & ipſe, licet Galliam provinciam ſortitus eſſet, tamen harum turbarum cauſſa in Urbe remanſit. Catilina autem

a *pro Mur. c.* 26. *Plut. p.* 867. b *Dio L.* 37. *p.* 25. c *Sall. c.* 28. d *pro Sulla c.* 18. e *in Catil. I c.* 4. f *Dio d. l. p.* 26. g *Plut. d. l. p.* 868. *Cic. in Catil. I. c.* 4. h *Cic. pro Sext. c.* 3. *in Piſ. c.* 2. *pro Cæl. c.* 31. i *Dio p.* 24. k *Plut. p.* 866. l *pro Sext. c.* 3.

autem cum fruſtra iterum Conſulatum petiiſſet; neque inſidiæ, quas Conſuli fecerat, proſpere ceſſiſſent; extrema omnia experiri ſtatuit: miſitque Manlium, qui in Etruria initium belli faceret. Etiam Craſſus literas ad Ciceronem detulerat, quibus ſignificabatur, multorum cædem moliri Catilinam [a]. Igitur Cicero de omnibus ad Senatum refert [b]. Factumque eſt illud extremæ neceſſitatis Senatusconſultum [c], *Darent operam Conſules, ne quid Reſpublica detrimenti caperet*: quo magiſtratui, *omnibus modis coercere cives, atque judicium ſummum habere*, conceditur: id quod omnino eſt obſervandum, ut, an recte fecerit Cicero, dijudicari poſſit: cum negari nequeat, eum contra leges Porciam & Semproniam, quæ de libertate civium latæ erant, feciſſe [d]. Et omnia ſimul, quæ ad tutelam Reipublicæ faciebant, curata ſunt [e]: & *Q. Metello Celeri* Prætori res externæ a Cicerone commiſſæ: licet *L. Beſtea* Tribunus plebis *quereretur de actionibus Ciceronis, bellique graviſſimi invidiam optimo Conſuli imponere* conaretur, quæ ipſa fere Salluſtii verba ſunt [f]. Catilina, licet ſatis manifeſta eſſent ejus conſilia, (nam Cicero ſobria mente hominum ſæpe temulentorum conſilia obſervabat [g]) & ipſe etiam *lege Plautia de vi* interrogatus eſſet, quaſi ſui

a *Plut. p. 868. Dio p. 15.* b *Sall. c. 29.* d *Vid. Supr. L. II. c. 2. §. 6. & alibi.* d *Vid. Manut. de leg. Rom. c. 25.* e *Sall. c. 30.* f *c. 43.* g *Plut. p. 867.*

ſui expurgandi cauſſa in Senatum venit. Sed ibi nemo ei aſſidere voluit [a] : & Cicero in eum invectus eſt oratione, quæ inter Catilinarias ordine prima legitur; & qua, ut ipſe loquitur [b], *Catilinam emiſit*. Stabant tum ad defenſionem Reipublicæ parati in clivo Capitolino Equites Romani; cujus rei ſæpe meminit Cicero [c]. Atque illi etiam Cæſari necem comminati ſunt, quod impedire conaretur, ne gravius Senatusconſultum in conjuratos fieret [d]. Catilina vero demiſſo vultu, voce ſupplici a Patribus poſtulavit, „ ne „ quid de ſe temere crederent; neve exi„ ſtimarent ſibi, patricio homini, per„ dita Republica opus eſſe, cum eam ſer„ varet M. Tullius inquilinus civis Ur„ bis Romæ. " Imo ſe Ciceroni cuſtodiendum obtulit [e]. Sed cum omnes obſtreperent, *hoſtem atque parricidam* vocantes, *Quoniam quidem circumventus*, inquit, *ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina reſtinguam* [f]. Et cum dicto ſe domum proripiens mox nocte intempeſta in Manliana caſtra profectus eſt: licet ex Cicerone [g] colligere poſſimus, jam ante diem exeundi ſtatutum fuiſſe, cum in ædibus *M. Lecæ* hoc factum fuiſſe dicat [h]: ubi etiam, *ceteris manendi conditionem, tum deſcriptionem totam per Urbem*

a *Cic. Catil. I. 7. Plut. p. 868.* b *Attic. II. 1.* c *Cic. Catil. I. c. 8. poſt red. in Sen. c. 5. 13. pro Sext. c. 12.* d *Suet. Jul. c. 14.* e *Dio L. 37. p. m. 26.* f *Sall. c. 31. Cic. pro Mur. c. 25.* g *Catil. I. c. 4.* h *pro Sulla c. 18.*

*Urbem cædis, atque incendiorum conſtitutam fuiſſe*, refert. Et promiſit ſuis, ſeſe propediem cum magno exercitu ad Urbem acceſſurum. Multas tamen literas ex itinere miſit, „ ſe falſis criminibus „ circumventum Maſſiliam in exilium pro„ ficiſci: " licet diverſas ad Q. Catulum dederit a. Et ipſe etiam tanquam Imperator cum faſcibus & ſecuribus profectus fuerat b.

*§. 5. Exitus conjurationis.*

§. V. Ipſe deinde & Manlius a Senatu hoſtes judicantur c: decretumque eſt, „ ut Conſules delectum haberent, Anto„ nius Catilinam perſequeretur, " Cicero Urbi præſidio eſſet: cum tamen, qui cum illis erant, conſtantiſſime partibus adhæreſcerent: & plebis peſſima eaque magna pars ipſis faveret. Multi etiam ſollicitabantur per Lentulum, quem ideo Romæ Catilina reliquerat d: atque inter illos fuerunt legati Allobrogum. Hi in Urbem venerant, ut de ſtatu civitatis ſuæ, de avaritia magiſtratuum, de ipſo Senatu, in quo nihil erat auxilii, quererentur. Sed Allobroges poſt maturam deliberationem rem omnem *Q. Fabio Sangæ* (Allobrogum gens in tutela Fabiorum erat) aperiunt: & ab eo edoctus Cicero præcipit, ut ſtudium conjurationis ſimulare pergant: quod eo artificio præſtiterunt, ut literas a principibus ſceleris ad cives ſuos ſcriptas impetraverint e. Ipſi autem Præ-

a *Sall. c.* 34. b *Cic. Catil. I. c.* 9. II. *c.* 6. c *Ibid. c.* 36. d *Ibid. c.* 39. e *Ibid. c.* 44. *Cic. Catil. III. c.* 4.

Prætoribus [a], cum nocte conſtituta ad Catilinam, quaſi in itinere ſocietatem confirmaturi, proficiſcerentur, libentes ſe tradunt: & ſimul cum iis deprehenditur *Volturcius* quidam, qui literas Lentuli ad Catilinam ferebat. Ita patefacta plane conjuratione Cicero, qui Capitolium & forum præſidio muniverat [b], Lentulum, quod Prætor eſſet, honoris cauſſa ipſe manu tenens, Volturiumque cum legatis Allobrogum in Senatum introduxit [c]: reliquos cum cuſtodibus eodem venire jubet. Senatus, intellecta cauſſa, Lentulum abdicato magiſtratu, alioſque præcipuis Senatorum in libera cuſtodia habendos tradit. Ciceroni inde a plebe in horas mutari ſolita ſummus honor eſt habitus [d]. Iſque, cum a libertis & paucis clientibus Lentuli pernicioſa conſilia, ut ita etiam Lentulus eriperetur, agitari ſenſiſſet, Senatum, *quid de his, qui in cuſtodiam traditi erant, fieri placeret,* conſuluit. Ibi, cum variæ ſententiæ fuiſſent, & pleræque Cæſarem ſecutæ mitiores, (quod etiam ſuſpectiorem Cæſarem reddidit; ita, ut Piſo & Catulus Ciceronem accuſaverint, quod Cæſari pepercerat, cujus opprimendi occaſio per hanc conjurationem dabatur) *ut de conjuratis, ſicut de manifeſtis rerum capitalium, more majorum ſupplicium ſumeretur* [e]. Idque, eadem nocte ut fieret, per Triumviros rerum capitalium Cicero curavit pro pote-

a *Ibid. c.* 3. b *Sall. c.* 46. c *Ibid. c.* 48. d *Ibid. c.* 52. *f.* e *Ibid. c.* 52. *f.*

poteſtate ipſi Senatuſconſulto, de quo diximus, conceſſa. Alii etiam a patribus ipſi ſuis ſupplicio affecti ſunt [a]. Catilina interim cum ſuis in eventum rerum urbanarum intentus legionum duarum exercitum confecerat; ſed, parum juſtis armis inſtructum: ita ut adveniente cum exercitu Antonio omni ratione pugnam declinaret, ſperans, ſi Romæ ſocii incepta patraviſſent, propediem ſe magnas copias habiturum. Sed cum, conjurationem patefactam, & de conjuratis ſupplicium ſumptum intellectum eſſet, plerique dilapſi ſunt: & ipſe Catilina in Galliam Tranſalpinam profugere conatus eſt [b]. Verum, cum ſeſe undique clauſum, neque fugæ, neque præſidii ſpem ullam ſupereſſe videret, ad fortitudinem ſuos hortatus aciem contra *M. Petrejum* Antonii legatum ( Antonius prælio non affuit, vel pedibus æger, vel morbum ſimulans, ne, ſi Catilina eum præſentem vidiſſet, conſilia ſua priora patefierent ) peritiſſime quidem inſtruit: & cum omnibus ſuis tanta fortitudine pugnavit, ut neque in prælio, neque in fuga quiſquam ingenuus captus ſit: atque ipſe longe a ſuis inter hoſtium cadavera paululum etiam ſpirans, ferociamque, quam habuerat vivus, in vultu retinens repertus fuerit. In toto autem conjurationis negotio uſus fuit Cicero conſilio [c] *P. Nigidii* ſummi philoſophi, & Romanorum poſt Varronem

a *Dio l. d.* b *Salluſt. c. 57.* c *Plut. an ſeni ger. ſit reſp. f.*

tionem doctiſſimi: & opera præter alios *P. Sextii*, quem poſtea reum de vi defendit Cicero [a]. Maximi autem honores Ciceroni pro patria e tanto periculo liberata ſunt habiti. Et merito, cum *ſuis conſiliis, ſuis laboribus, ſui capitis periculis, ſine tumultu, ſine armis, ſine exercitu, quinque hominibus comprehenſis, atque confeſſis, incenſione Urbem, interemptione cives, vaſtitate Italiam, interitu Rempublicam liberaſſet*, ut alibi ſe effert Cicero [b], non omnino veritati litans. Et ſane a Q. Catulo Principe Senatus *Pater Patriæ* appellatus eſt, ut ipſe teſtatur [c]: quod multi alii ſecuti ſunt [d], & in illis Cato [e], quem primum id feciſſe dicit Appianus [f] affinitate forte nominum *Catuli* & *Catonis* deceptus. Refert etiam Cicero [g], L. Gellium, *civicam coronam Ciceroni deberi a Republica*, dixiſſe [h]: & Pompejus ſæpius in Senatu affirmaverat, *ſalutem Orbis & Imperii Ciceroni deberi* [i]. Denique L. Cotta ſupplicationem Ciceroni decrevit [k]; quod nulli hactenus togato civi factum fuerat [l]. Populus eadem nocte, (Nonæ fuerant Decembris, quæ videntur eo tempore in medium circiter Septembrem Julianum incurriſſe) qua cæſi erant in carcere con-

a *Vid. or. pro eo c.* 4. 5. *&c.* b *pro Sulla c.* 11. *pro Flacco c.* 40. c *in Piſ. c.* 3. d *pro Sext. c.* 57. e *Plut. Cic. p.* 872. f *Civ. L. II. n.* 431. *Vid. & Juven. VIII. v.* 244. *Plin. H. N. VII.* 30. g *in Pis. l. d.* h *Vid. A. Gell. V c.* 6. i *ad Att. I.* 18. *II.* 1. k *Cic. Phil. II. c.* 6. l *in Catil. III. c.* 6. *IV. c.* 3. *ad Famil. XV. n.* 4.

conjurati, Ciceronem, cum ſe per forum domum reciperet, ſumma frequentia, acclamationibus & plauſu, *ſervatorem & conditorem patriæ* appellans deduxit, collucentibus undique viis, & matronis avidiſſime ex ædium tectis liberatorem ſuum intuentibus [a].

§. 6. *Ulterior laus & invidia Ciceronem ſecuta.*

§. VI. Verum ex his omnibus ingens invidia Ciceroni erat conflata: præſertim cum ipſe [b] ad faſtidium uſque Nonas illas Decembres & liberatam a ſe Rempublicam jactaret: & petiit etiam a *Luccejo* qui belli Italici & Marſici hiſtoriam ſcripſerat, ut quoque res a ſe in Conſulatu ſuo geſtas ſeparato volumine memoriæ mandaret; & quidem *impudenter*, ut ipſe loquitur, poſtulans, *ut in eo ornando leges hiſtoriæ negligat, & amore Ciceronis pluſculum etiam, quam concederet veritas, largiatur* [c]. Luccejum id operis ſuſcepiſſe ex *epiſtolis ad Atticum* patet [d]: ſed perfeciſſe vix credo, cum ipſe Cicero tribus libris *Hiſtoriam Conſulatus* ſui carmine hexametro conſcripſerit: ex quibus locum verſuum ſeptuaginta octo ipſe citat [e]. Et, cum nequaquam bonus adeo poeta eſſet, quam orator, riſerunt verſus ejus inimici [f]: quod ipſe tamen improbitati & invidiæ tribuit [g]. Imo Græce quoque eandem Hiſto-

a *Plut. Cic. p.* 871. b *ad Fam. I. n.* 9. *Att. I. n.* 18. *pro Flacc. c.* 40. *pro Sext. c.* 60. *ſqq. Plut p.* 872. *omnino*. c *ad Fam. V. n.* 12. d *L. IV. n.* 6. e *de Div. I. c.* 11. f *Vid. Quinctil. L. XI. c.* 1. *Juven. X. v.* 122. *Martial. II. n.* 89. g *Offic. I. c.* 22.

Hiſtoriam ſcripſiſſe quidam volunt; quod Plutarchus ejus libri mentionem faciat [a]: ſed infirmo argumento, cum certum ſit, Plutarchum etiam Latinos Ciceronis libros pervolviſſe. Merito tamen Principes civitatis de Cicerone ſumma cum laude loquebantur: ita, ut alios mittam, Craſſus dicebat [b], *ſe, quod eſſet Senator, quod civis, quod liber, quod viveret, Ciceroni acceptum referre*. Et Pompejus, *fruſtra ſe tertium triumphum deportaturum fuiſſe*, affirmabat [c], *niſi Ciceronis in Rempublicam beneficio, ubi triumpharet eſſet habiturus*. Cum autem jam conſulatum depoſiturus eſſet Cicero, & pro more concionem habere vellet, & jurare, *ſe leges ſervaſſe*, [d] *Q. Metello Nepote* Tribuno jurandi modo poteſtas illi facta eſt, concionis habendæ facultas adempta [e]. Itaque magna voce juravit, *ſua unius opera Rempublicam, atque Vrbem eſſe ſalvam* [e]: &, vere cum juraſſe Populus univerſus juravit [f].

§. VII. Quod autem diximus, ingentes fuiſſe ſuſpiciones de Cæſare, tanquam qui hujus conjurationis fuerit conſcius, eas ſuſpiciones etiam magis confirmaverunt illa, quæ paullo poſt ab eo tentata ſunt. Eodem hoc anno Pontifex Maximus fuerat factus potentiſſimis duobus competitoribus Q. Lutatio Catulo, & *§. 7. Alia quædam turba.*



a *vita Caſaris p.m.* 711. b *Attic. l. n.* 13. c *Cic. de Off. d. l. pro Sex. c.* 61. d *Id. Famil. V.* 2. e *Attic. l.* 18. *in Pis. c.* 2. f *Famil. d. l. Plut. p.* 872. *Vid. Or. poſt red. in Sen. c.* 2.

P. Servilio Iſaurico, multum & ætate & dignitate antecedentibus, ea petitione dejectis [a]. Sed hoc ipſum ſuſpicionem de Cæſare augere potuit, cum profuſiſſima largitione in petitione hujus ſacerdotii fuerit uſus; ita ut ingentem vim æris alieni inde contraxerit. Sordidam etiam prorſus & viro generoſo indignam adulationem apud viliſſimum quemque adhibuit, omnia, etiam turpiſſima ferre paratus, dum ſuam potentiam augeret [b]. Et populo eo gratior erat, tum, quod lenius cum conjuratis agendum eſſe cenſuiſſet: tum, quod T. Labieno Tribuno plebis auctor fuerat, ut C. Rabirio perduellionis diem diceret ob cæſum ante annos triginta octo L. Appulejum Saturninum Tribunum plebis; de qua re ſuo loco diximus [c]: eaque occaſione etiam judicium Cæſaris in hac cauſſa narravimus. Sed non hoc ſolum agebant Tribuni plebis & Cæſar, ut condemnaretur Rabirius: verum id ſibi eo judicio propoſitum habebant, ut Senatus omnes actiones convellerent, imperium Conſulum convocandi ad arma contra ſeditioſos cives tollerent, & poteſtati omnia pro lubitu agendi ſibi viam ſternerent: cum ita omnia Senatus decreta etiam ante plurimos annos facta in diſquiſitionem revocari poſſent; & nihil in Republica ſtabile, aut firmum eſſet futurum. Neque in hoc tantum judicio Labienus & Cæſar mutuam

a *Suet. Jul. c.* 14. b *Dio L.* 37. *p. m.* 27. *f.*
c *L. VII. c.* 8.

ſuam ſibi operam præſtiterant: ſed Labienus præterea, ut Cæſari petendi Pontificatum Maximum occaſionem præberet, legem Domitiam *de Sacerdotibus a Populo creandis* reduxit, abrogata lege Cornelia; qua ea poteſtas ad collegium erat translata: Hoc ita obſervat Dio Caſſius a: ſed dubito, an ſatis bene; cum hic de Pontifice Maximo agatur: qui etiam poſt legem Corneliam a Populo creari debuiſſe videtur: niſi dicamus, Labienum legem Domitiam reduxiſſe, ut Cæſar in collegium Pontificum adſciſci poſſet; eumque deinde alteris comitiis Pontificem Maximum fuiſſe factum. Ut vero libertas etiam magis opprimeretur, Anno Urbis ſexcenteſimo nonageſimo primo cum Metello Tribuno plebis conſilia Cæſar pertinaciſſime ſociavit b: nec videtur ipſe Pompejus ſincero erga Rempublicam animo fuiſſe. Nam vix, puto, eo ignaro Metellus tuliſſet rogationem c, *Uti Cn. Pompejus cum exercitu Romam revocaretur ad ſedandas ſeditiones Ciceronis temeritate & inſolentia concitatas, conſtituendamque Rempublicam*. Qua lege libertas plane Pompejo prodebatur: & Reſpublica ipſi quaſi vincta tradebatur d. Igitur Cato in Senatu primum Metellum monuit, ut a pernicioſis conatibus deſiſteret: ſed cum ab eo contemneretur, ſe vivo Pompejum armatum in Urbem non eſſe venturum aſſeruit:



a *L. 37. ſ. m. 27.* b *Suet. l. l.* c *Plut. Cic. p. 872. Id. Cat. min. p. 771.*

ruit : oſtenditque Senatui , & Metelli & Pompeji conſilia Reipublicæ perniciosa eſſe . Metellus legem perlaturus a mane forum armatis , peregrinis , ſervis , gladiatoribus occupaverat. Cato vero, dum amici ejus cauſſa timent [a], mulieres plorant , ipſe ſecurus ab uno collegarum *Q. Minucio Thermo* vix e ſomno excitatus fuit . Ita pauciſſimis comitantibus in forum progreſſus , ut omnem illum apparatum , & Metellum cum Cæſare edito loco in gradibus ad Caſtoris conſidentem vidit , *O hominem* , inquit , *timidum! qui adverſus unum & inermem tantum delectum habuit* : & ſimul Minucium manu ſecum trahens ægre per gradus ad ſummum eluctatus eſt ; mediumque ſe inter Cæſarem & Metellum compoſuit . Fortitudinem Catonis admirati ſunt plures , viri boni in turba ſtantes , eumque , ut bono animo eſſet , neque libertatem proderet, hortati ſunt. Metellus ſcribam legem recitare juſſit : prohibuit Cato. Ergo ipſe Metellus arrepto codice eam legere cœpit. Sed & huic Cato libellum e manibus extorſit : & memoriter eam exponere aggredienti Metello Thermus manu os occluſit . Cum tamen Metellus armatos domo evocaſſet , diſperſis omnibus ſolus reſtitit Cato : licet lapidibus & lignis undique peteretur : donec a Murena , quem quondam reum fecerat, obtenſa toga tectus , & in Caſtoris templum abductus

a *Cic. pro Sext. c. 29.*

ctus eſt. Ita Metellus, adverſariis fugatis, modeſte porro legem perferre inſtitit: ſed cum illi ſe rurſus collegiſſent, cum tota ſua cohorte foro & roſtris cedere coactus eſt, Senatu tum etiam egregie ſuis decretis Catonem protegente. Metellus poſtea, Catonis tyrannidem & contra Pompejum conſpirationem ſe fugere teſtatus, in Aſiam ad ipſum Pompejum profectus eſt [a], ſumma quidem cum laude Catonis, quod civem turbulentum Republica expuliſſet. Idem Cato mox Pompejo petenti, ut Senatus comitia conſularia produceret, ut præſens, Piſonis petitioni adeſſe poſſet, fortiſſime reſtitit: & ipſum Pompejum his factis adeo in ſui admirationem rapuit, ut fratris & ſororis Catonis filias, majorem ſibi, minorem filio ſuo uxores peteret; ſperans certe, ſe ea affinitate, quæ non niſi ſummo plane honori genti Porciæ eſſe poterat, Catonem permoturum, ne ſibi reſiſteret ſaltem, ſiquidem aperte favere nollet. Verum, licet & uxor & ſorores Catonis ſummo opere has nuptias cuperent, Catonem tamen permovere nequiverunt: qui timebat, ne his nuptiis Pompejo libertatem ſuam venderet. Sed alieno plane tempore hoc fecit, cum ita Pompeji animum a ſe & a Rep. alienaverit [a].

§. VIII. Sunt adhuc alia quædam a Cicerone in Conſulatu geſta, quæ ſilentio præ- *§. 8. Reliqua a Cicerone Coſ. geſta.*

V 3

a *Plut. Cic. p. 773.* b *Cic. Att. I. n. 17.*

præterire non poſſumus. Et primo quidem ipſis Kalendis Januariis, quibus Conſulatum iniit, Senatum & bonos omnes agrariæ legis maximarumque largitionum metu liberavit [a], oratione in Senatu contra *Rullum* Tribunum plebis habita. Hic legem promulgaverat [b], „ qua agrorum „ publicorum magnam partem vendi, „ alios colonis dividi jubebat. “. Tum, „ ut quodcunque ad quemque eorum, „ qui exercitum habuiſſent, & bella „ geſſiſſent, ex præda, manubiis, auro „ coronario perveniſſet, perventurumve eſſet, neque in ærarium illatum eſſet, id ad Decemviros huic rei creandos referretur: „ iiſque Decemviris ſummam plane poteſtatem tribuebat [c]. Cn. Pompejus tamen ea lege excipiebatur [d]. Hanc legem primo in Senatu, ut dixi, Cicero diſſuaſit: & ſequente Senatu in concionem ad Populum progreſſus perſuaſit, „ non eſſe e Republica „ legem, quæ largitionem verbis oſtentaret, revera exhauriret ærarium: atque ita omnia belli ſubſidia, & ornamenta pacis Imperio Romano adimeret. “ Et miranda ſane vis orationis in Cicerone eſſe debuit, cum eo dicente hanc legem, hoc eſt, alimenta ſua tribus abdicaverint [e]; & auctores ejus legis ita perterriti fuerint, ut nihil contra dixe-

a *Or. in Pis. c.2.* b *Vid. Cic. orationes agrarias.*
b *Plut. Cic. p.* 866.
c *Or. Agrar. II. c.* 9.
d *Plin. H. N. VII c.* 30.

dixerint [a]. Alterum etiam dedit ſpecimen eloquentiæ Cicero, qua omnes, quotquot hactenus ſcimus, homines ſuperavit. Tulerat legem ante quatuor annos *L. Roſcius Otho* Tribunus plebis, ut equitibus in theatro quatuordecim gradus orcheſtræ proximi ſpectandi gratia aſſignarentur [b]. Hanc legem plebs ad contumeliam ſuam pertinere rata ſibilis primum in theatro cum ipſo ejus auctore excepit; equites contra ei in ſignum grati animi plauſerunt. Sed cum hæc res ad ſeditionem ſpectaret, Cicero Populum in ædem Bellonæ evocatum oratione ſatis acri habita ita mutavit, ut non tantum ignoverit [c] Roſcio, ſed etiam ei plauſerit [d]. Tum adhuc in Conſulatu ſuo Cicero orationem habuit *de proſcriptorum filiis* [e]: iniquam ſane cauſſam, ſed eo tempore, ut videtur, Reipublicæ utilem defendens. Vidimus *libri præc. c.* 4., ſtatim poſt mortem Sullæ id egiſſe Lepidum, ut acta Sullæ reſcinderentur: & innuimus, id quidem æquiſſimum futurum fuiſſe, ſi abſque periculo ſummæ Reipublicæ contingere potuiſſet. Idem fere hic dicendum eſt: nam quid æquius eſſe potuit [f], quam ut liberi eorum, quos Sulla proſcripſerat non aliam ob cauſſam, quam quod ejus inimici eſſent; & quos aditu in Senatum & petendorum honorum jure lege lata

 pri-

a *Plut. l. d. Vid. etiam Or. pro Sulla c.* 23. b *Hor. Epod. IV. Epiſt. I.* 1. *v.*62. *Juven. III. v.*159. c *Cic. Att. II.* 1. *Plin. d. l.* d *Plut. Cic. p.*867. e *Ibid. p.* 866. f *Vell. Pat. L. II. c.* 28.

privaverat [a], in integrum reſtituerentur? Reſtitit tamen ipſis hoc petentibus Conſul Cicero [b], quod ea conditione fortunæ uſi eſſent, ut ſi eſſent magiſtratus adepti Reipublicæ ſtatum convulſuri viderentur [c]. Poſtea tamen Dictator Cæſar eos ad jus dignitatis revocavit [d]. Denique, ut ea, quæ in Conſulatu geſſit Cicero abſolvamus, legem etiam tulit *de ambitu* [e], ut ad pœnam iſti crimini conſtitutam *decem annorum exilium* adderetur: &, ne quis biennio, quo petiturus erat, gladiatores dare vellet [f].

§. 9. *Clodius ſacra violat.* *A. U.* 691.

§. IX. Sed anno, qui Conſulatum Ciceronis ſecutus eſt, caſus ſingularis & nobis etiam memorandus evenit. P. ille Clodius, cujus jam antea mentionem fecimus, captus amore *Pompejæ* uxoris Cæſaris ornatu pſaltriæ ſe furtim in domum ejus penetravit, cum ibi ſacrum *pro Populo* fieret [g]. Celebrabatur hoc ſacrum in ædibus Cæſaris, quod Prætor eſſet, non quod Pontificatum maximum gereret, ut quidam male illud huic cauſſæ tribuunt: diſertis enim verbis dicit Cicero [h], *id factum fuiſſe in ea domo, quæ eſſet in Imperio*: ita ut Conſulibus forte abſentibus in Cæſaris ædibus factum fuerit: nam in præcedentibus apud Plu-

a *Plut. Sulla p. m.* 472. b *Plin. H. N. VII. c.* 30. c *Cic. Pis. c.* 2. *Quinctil. L. XI. c.* 1. d *Vell. L. II. c* 43. *Suet. Jul. c.* 41. e *Cic. Vatin. c.* 15. *Dio L.* 37. *p.* 25. f *Cic. Ib. pro Sext. c.* 64. *pro Mur.* 32. 34. 35. *&c.* g *Cic. Att. I. n.* 11. 12. *Plut. Cic. p.* 874. h *de Har. reſp. c.* 17.

Plutarchum in Ciceronis Conſulis domo idem ſacrum factum legimus [a]. Ab hoc autem ſacro viri ſumma diligentia arcebantur [b]; ita ut picturæ viriles, ſi forte adeſſent; velarentur [c]: imo ne nomen quidem ejus Deæ viros ſcire fas erat [d]. Clodius vero Pompejam perdite amans, neque, ut ajunt, invitam ab ancilla conſcia eo introductus fuit. Sed dum per amoris impatientiam latebris ſuis ſe continere neſcit, & per laxas ædes locorum ignarus vagatur [e], ab ancilla agnoſcitur. Ita profanatis ſacris ingens terror civitatem inceſſit. Cæſar, licet teſtis citatus, ſe nihil comperiſſe affirmaret turpiſſime quidem gratiam nefarii hominis aucupans, nam etiam mox eum Tribunum plebis fieri curavit [f], uxorem tamen ſuam repudiavit, *domum ſuam etiam a ſuſpicione liberam eſſe debere*, aſſerens: idque cum mater ejus *Aurelia* & ſoror *Julia* apud judices omnia ex fide retuliſſent [g]. Nam Senatus quæſtionem *de pollutis acris* extra ordinem habendam eſſe decreverat [h], cum primum rex eodem Senatusconſulto *ad Virgines*, (quas voces in epiſtola ad Atticum mox citandæ male omiſit Cl. Grævius) & Pontifices relata, idque ab iis *nefas eſſe*, decretum fuiſ-

a *Cic. p.* 870. *Vid. eund. Caſ. p.* 721. b *Cic. d. l. c.* 5. & 17. c *Tibull. I.* 7. 22. *Juven. VI.* 340. d *Cic. d. c.* 17. e *Plut. Caſ. p. m.* 712. & *Cic. p.* 874. f *Ibid. p.* 714. g *Suet. Jul. c.* 74. h *Cic. pro Mil. c.* 27.

ſuiſſet [a]. Additumque eſt Senatusconſulto, „ ut ex decreto Pontificum illud ſa„ crificium Bonæ Deæ inſtauraretur. [b] " Ex eodem Senatusconſulto Piſo Conſul, quem perditis plane moribus fuiſſe, tum oratione in eum habita, tum alibi ſæpe teſtatur Cicero [c], ad Populum ferebat, „ ut judicium *de pollutis ſacris* conſtitueretur [d]: " ſed ipſe eodem tempore operam dabat, ut ea rogatio antiquaretur. Sed operas jam comparabat Clodius adjutore Curione, quibus illud judicium diſturbaret; iiſque pontes, quibus ad ferenda ſuffragia tranſibatur, occupat. Tum tabellæ miniſtratæ ſunt, ( ſi fides Ciceroni, nam mira ſane hæc fuerit corruptio ) ita ut nulla daretur, UTI ROGAS: ſed concurſu Hortenſii; Catonis, *Favonii*, aliorumque optimatum facto comitia dimiſſa ſunt. Et decrevit Senatus, ne quid aliud ageretur, antequam rogatio lata eſſet. Tamen Hortenſius, cum vereretur, ne legi, quæ ex Senatusconſulto ferenda erat, *Fuſius Calenus* Tribunus plebis, acerrimus Ciceronis inimicus [e], intercederet, auctor fuit Senatui, ut idem ille Fuſius legem de religione ferret, „ ut non Populus, ſed Prætor cum conſilio de pollutis ſacris co„ gnoſceret [f]. " Et, licet etiam Cicero ſummo hominum favore ſubnixus in Clodium,

a *Cic. Att. I. n.* 12. b *Dio L.* 37. *p. m.* 30. c *Vid. ex. gr. Or. in Piſ. c.* 22. *ſqq. de prov. conſ. c.* 5. *&c.* d *Cic. Att. L. I. n.* 12. 13. e *Vid. Dion. L.* 45. *f. &* 46. *init.* f *Cic. Att. L. I. n.* 15.

dium, & juratus quidem, teſtimonium dixiſſet, ex judicibus uno & quinquaginta unus & triginta Clodium abſolverunt: cum non tantum pecunia palam diſtributa fuiſſet; ſed etiam voluptatum maxime infamium uſura promiſſa. Optimam Clodio operam hic dedit Craſſus: nam ille eſt, quem *Calvum, ex Nannejanis illum, laudatorem ſuum* vocat Cicero a. Cum tamen judices a Senatu præſidium petiiſſent, quaſi a favore Clodii ſibi metuerent, facete Catulus, poſtquam abſoluto reo unum ex judicibus vidiſſet, *Quid vos*, inquit, *præſidium a nobis poſtulabatis, an, ne nummi vobis eriperentur* b? Merito igitur eo uno judicio ſtatum Reipublicæ, qui in Conſulatu Ciceronis fundatus videbatur, convulſum eſſe, idem conjiciebat. Cui rei non minimum contulit, quod paullo poſt obiit Catulus, magno ſane Reipublicæ damno c: nam acris quidem optimatum fautor, reliquis tamen & moderatior & juſtior fuiſſe videtur; & cum Cicerone & Catone maxime conſilia ſociaſſe d. Pompeji enim animus ſincerus erga Rempublicam non erat, qui A. U. 693. Afranio, homini ignaviſſimo e, Conſulatum coemit pecuniam palam dividens f. Non multum tamen id Pompejo profuit; cum Afranius ſaltationibus, quam rebus gerendis aptior eſſet: & Me-

a *Att. L. I. n.* 15. b *Senec. epiſt.* 97. c *Att. L. I. n.* 19. d *Plut. Craſſo p.* 551. e *Cic. Att. L. I. n.* 17. f *Ibid. n.* 15. *Plut. Pomp. p.* 642. *& Cat. p.* 774.

Metellus Pompejo iratus, quod ſorori ejus nuncium remiſiſſet, omnibus ejus actionibus obſiſteret [a]. Sed probitas ipſa Catonis hoc tempore Reipublicæ nocuiſſe videtur, quod quidem perditiſſimorum plane morum indicium eſt; quod injurias, quibus provinciales ab Equitibus Romanis, qui publicum conduxerant, affligebantur, non ſuo tempore prohibere voluerit: atque ita illam ordinum conjunctionem a Cicerone curatam disjecerit. Idque ad Atticum ſcribens culpat Cicero [b], cum etiam ipſe Atticus turpiſſima fœneratione ſocios vexaret, ſocietate cum publicanis inita [c].

*§. 10. De conſulatu Cæſ. & exilio Cic. A. U. 694.*

§. X. Tulerat in cauſſa Clodii etiam teſtimonium Cicero. Cum enim Clodius, ſe illa nocte, qua ſacra Deæ celebranda eſſent, Interamnæ fuiſſe diceret, Cicero probavit, eum ad ſe domi veniſſe, & de quibuſdam rebus ſecum egiſſe [d]: & præterea in Senatu graviſſime in eum fuerat invectus [e]. Ergo jam anno Urbis 693. Clodius a Patribus ad plebem tranſire conatus eſt, ut ita Tribunus plebis factus Ciceronem ulciſci poſſet: ſed inhibitus eſt a fratre ſuo patruele Metello Conſule [f], qui incipientem furere, atque conantem, ſua ſe manu interfecturum, audiente Senatu dixerat [g]: licet *C. Herennius* Tribunus

a *Dio L. 37. p. 31.* b *L. I. n. 17.* c *Ibid. n. 18. & ibi Boſius. Vid. Ibid. II. n. 1. ſ.* d *Val. Max. VIII. c. 5. n. 5. Plut. Cic. p. 875.* e *ad Att. I. n. 15.* f *Ibid. II. n. 1.* g *Id. pro Cæl. c. 24.*

bunus plebis, humili loco, de eo ad plebem traducendo legem ferret [a]. Et Pompejus æque ac Cæſar non ſatis Ciceronis cauſſam defendebant; licet ille verbis hactenus merita Ciceronis extolleret [b]. Neque ipſe ille equitatus, qui animoſe adeo & fortiter Ciceronem Conſulem & Rempublicam defenderat, cauſſæ optimatum diu adfuit [c]. Et alii etiam optimates delicias potius & luxum [d], quam Rempublicam curabant. Solus fere Cato cum ſuo Favonio conſtanter bonam cauſſam tuebatur [e]: quanquam Cicero, optimo quidem animo, & ſumma fide eum hoc facere amico ſuo Attico narrans, eum interdum, ut jam diximus, Reipublicæ nocere aſſerit, cum, tanquam in Platonis politia, non, tanquam in Romuli fece, ſententiam diceret [f]. Accedebant etiam aliæ turbæ, cum *L. Flavius* Tribunus plebis faciente Pompejo [g] leges *de agris plebi & militibus Pompeji* [h] *dividendis* ferret; & Metellum Conſules acrius reſiſtentem (& ſimul reſiſtebat omnis Senatus) in carcerem duceret: qui etiam ſella ſua ad januam carceris poſita neminem ingredi eſt paſſus; Senatumque, ſi vellet, per murum introire juſſit. Pompejus vero, cum nec minis, nec terroribus lex obtineri poſſet, pudore victus Tribunum diſcedere,

a *ad Att. I. n.* 17. 18. b *Ib. II. n.* 1. c *Ibid. I. n.* 17. d *Ibid. I. n.* 18. 19. *II. n.* 1. e *Dio L.* 37. *f. Cic. Att. IV. n* 15. *VII.* 15. f *Att. II. n.* 1. g *Id. I. n.* 18. h *Dio L.* 37. *p.* 31.

dere, & rogatione ſuperſedere juſſit. Et eodem jam tempore ſocietatem cum Cæſare & Craſſo, quem antea Pompejo reconciliaverat Cæſar, coiverat [a], *ne quid ageretur in Republica, quod diſplicuiſſet uni ex tribus*. Maxime hanc conſpirationem urſerat Cæſar [b], qui docebat, ſi ipſi concordi conſilio Rempublicam arripuiſſent, Catulos, Cicerones, Catones nullo numero futuros. Hoc fœdus [c], quod poſtea renovatum videbimus, & conjunctio potius Cæſaris & Pompeji, quam diſſenſio, Rempublicam plane perdidit. Pompejus facile in id conſenſerat, quod poteſtatem ſuam imminutam ſenſerat; & Patribus offenſus eſſet, quia Mithridate Rege victo cunctantius acta ſua confirmabant [d]: eique rei etiam obſtabat, & meritiſſime quidem [e], Lucullus: quod ſuum potius honorem victi Mithridatis diceret; quem jam debilitatum Pompejo tradiderat [f]. Itaque volebat Lucullus, ut de ſingulis ſuis factis ſeorſim referret Pompejus, neque peteret, ut omnia ſimul approbarentur [g]. Craſſus ſe inferiorem ſentiens ſperabat fore, ut illi quidem colliderentur, ipſe interea ex eorum gratia potentiam ſuam augeret [h]. Pompeji acta Cæſar mox rata haberi fecit [i]: & Lucullo li-

a *Suet. Jul cap.* 19 b *Plut. Craſſo c.* 551. c *Id. Pomp. p.* 6. 44. *Cæſ. p.* 713. d *Suet. Jul. cap.* 19. e *Plut. Cat. min. p.* 774. f *App. Alex. Civ. L. II. n.* 432. g *Dio l. prox. d.* h *Dio L.* 37. *p.* 34. *init.* i *Appian. Ibid. n.*435. *Plut. Pomp. p.* 644.

lo liberius reſiſtenti tantum calumniarum metum injecit, ut ad genua ei ultro accideret [a], qui tamen adhuc aliquo tempore Pompejo reſtitit; ſed tandem plane victus tædio ceſſit adminiſtratione Reipublicæ, & totum ſe luxui tradidit [b]. Ab hoc fœdere quidam [c] initium ducunt belli civilis: ejuſque hiſtoriam conſcripſit Varro *Tricipitinæ* nomine indito [d]. Et Cæſar quidem prudenter egit, cum etiamnum aliorum indigeret auxilio, ut primum in civitate locum obtinere poſſet: ſed incautus fuit Pompejus, dum Cæſarem extollendo æmulum ſibi metuendum comparat [e]. Anno ſequente Cæſar, qui triumphum ex Hiſpania dimiſerat, ne Conſulatu excluderetur [f], (cum prohibuiſſet Cato, ne abſentis haberetur ratio [g]) Conſul factus eſt cum Bibulo, licet ipſe Luccejum collegam habere maluiſſet [h]: &, cum ipſe favore, Luccejus pecunia polleret, convenit, ut Luccejus communi nomine pecuniam per tribus pronunciaret. Et optimates, qui nihil non auſurum in ſummo magiſtratu Cæſarem metuebant, ſi concordem habuiſſet collegam, auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi. Imo ne Cato quidem abnuit, eam largitionem e Republica fieri [i]. Ut tamen aliquo modo inhiberetur ambitio

a *Suet. Jul. c.* 20. b *Plut. Luc. p.* 520. c *Horat. Od. II.* 1. d *Appian. Civ. L. II. n.* 433. e *Attic. L. II n.* 19. *Plut. Pomp. p.* 643. f *Suet. Jul. c.* 18. *App. n.* 432. g *Plut. Cat. min. p.* 774. *Dio L.* 37. *p.* 33. h *Attic. L. I. n.* 16. *f.* i *Suet. Lal. c.* 19.

bitio Cæſaris, Senatus futuris Conſulibus provincias minimi negotii decrevit. At conſulatu potius Cæſar legem agrariam tulit, cum plebem largitionis ſpe ineſcatam, & ſicis ſub veſtibus armatam ad ſuffragium vocaſſet, fruſtra Catone Populum, quam pernicioſa hæc foret largitio, admonente [a]. Et, cum iniquis Cæſaris actis Senatus adverſaretur, eam occaſionem ipſe arripuit vociferatus, ſe injuriis coactum ad Populum tranſire: atque eo perduxit Pompejum & Craſſum, ut in concionem a Cæſare producti, leges ſe Cæſaris probare dicerent [b]: quin, ut Pompejus auxilium adverſus omnes, qui illi legi adverſari vellent, polliceretur [c]. „ Legem autem tulit de „ campo *Stellate* a majoribus conſecra- „ to [d], & agro Campano, qui ad ſub- „ ſidia Reipublicæ vectigalis erat, vigin- „ ti millibus civium, quibus terni plu- „ reſve liberi eſſent, dividendo; crean- „ diſque, qui illi negotio præficerentur, „ viginti viris [e]. " Imo legi exſecratio fuit addita, qua candidati magiſtratuum ſe ipſos exſecrarentur, ſi in magiſtratu, quem peterent, mentionem feciſſent de agro Campano aliter poſſidendo, quam lege Julia præſcriberetur [f]. Quin a Patribus quoque & Populo jusjurandum exegit [g], capitali pœna in negantes conſtitu-

a *Plut. l. prox. d.* b *Id. Cæſ. p.* 713. & *Pomp. p.* 644. c *Dio L.* 38. *p. m.* 37. d *Suet. Jul. c.* 20. e *Cic. Att. II.* 16. f *Attic. L. II. n.* 18. g *Plut. Cat. min. p.* 775.

ſtituta [a]. Cato ipſe, ut juraret, ab amicis expugnatus eſt [b]. Quod niſi certum eſſet ambitionem hic magis, quam bonum publicum], latorem ſpectaviſſe, lex utilis ſatis videri poterat: cum & cives ita a ſeditionibus ad agros colendos converterentur; & Italiæ loca vacua colerentur; & veteranis præmia abſque magno ærarii detrimento ſuppeterent [c]. Plutarchus autem duas leges agrarias latas refert, in quarum priorem juraverit Cato: ſed qui in alteram jurare noluerit: verum, quomodo eas diſtinxerit, non ſatis perſpicio. Idem addit, cum propterea juſſu Cæſaris in carcerem Cato duceretur, Senatum, & optimum quemque e Populo ſecutum eſſe; ita ut tandem verecundia motus Cæſar unum ex Tribunis miſerit, qui inde Catonem eximeret: quod ipſum etiam a Dione traditur. Equites quoque Romanos ſibi conciliavit, dum publicanos tertia mercedum parte relevat [d]. Sed ita nervi ærarii plane ſuccidebantur: præſertim cum etiam anno præcedente Metellus legem tuliſſet „ de portoriis in Urbe & Italia abo„ lendis [e]. " Et ſtatim ex tribus illis conjuratis in Rempublicam ſuperior evaſiſſe videtur Cæſar, quod ex Ciceronis loco citato [f] colligo: eique omnium maxime Republica turbata opus erat ob ingens æs alienum: nam etiam in Hiſpaniam a-



a *App. Al. Civ. L. II. n.* 434. b *Dio L.* 38. *p. m.* 38. c *Ibid. init. libri*. d *Dio l. prox. d. App. Civ. L. II. n.* 435. e *Cic. Att. II. n.* 16. *Dio L.* 37. *p. m.* 32. f *Att. II. n.* 13.

beuntem creditores retinuerant [a]. Bibulum porro collegam minis ſummopere terruit: imo cùm amicis ſuis per Vatinium Tribunum plebis fractis ejus faſcibus foro expulit [b], Catone ultimo diſcedente, reſpectante, & in civium capita deteſtante [c]. Mox Cæſar per viatorem Bibulum rurſus domo extraxit [d]; qui deinde per octo totos menſes domi latitans [e] per edicta tantum obnunciavit: & ſupplicationes decernendo dies comitiales Cæſari exemit [f]. Ea re Bibulus plebis quidem gratiam indignante Cicerone [g], ſibi conciliavit: ſed gratiam, ut plebis eſſe ſolet, fragilem; licet ejus commodis adverſaretur [h]: ita ut eadem mox legibus agrariis delinita Triumvirorum actionibus faverit [i] quę modo Pompejum in theatris & amphiteatris ſibilis & dicteriis exceperat [k]. Et merito: quippe qui publice ſimul cum Craſſo in concionem productus auxilium Cæſari promiſerit, ut paullo ante narravimus. Leges tamen quaſdam, præter eas quas diximus, in ſuo Conſulatu Cæſar tulit, *de provinciarum adminiſtratione* [l], *de pecuniis repetundis* [m]; & ſi quæ aliæ fuerint, quæ nobis hic recenſendæ non ſunt. Sed tamen Cicero, qua erat ſagacitate, jam tum colli-

a *Suet. c.* 18. *App. Al. L. II. n.* 432. b *Suet. Jul. c.* 20. c *Plut. Cat. p.* 77. *f.* d *Cic. Vatin. c.* 9. e *Plut. Pomp.* 644. *Suet. d. l. Vid. Attic. II. n.* 20. f *Dio L.* 38. *p.* 37. g *Att. II. n.* 20. h *Ibid. n.* 19. 20. 21. i *Plut. l. d.* k *Att. II. n.* 1. 19. l *Ibid. V. n.* 16. *VI. n.* 7. *Fam. II. n.* 17. *V. n.* 20. m *id. pro Sext. c.* 64.

colligebat ex amicitia & affinitate inter Pompejum & Cæſarem contracta, (Cæſar filiam ſuam Cæpioni pactam [a] Pompejo nuptum dederat, licet Pompejus ipſo Cæſare ſex vel ſeptem annis major eſſet; eodemque tempore Cæſar *Calpurniam Piſonis* filiam in conſulatu ſibi ſucceſſuri uxorem duxit [b]; ita ut palam teſtaretur, Cato, indignum eſſe, nuptiarum lenociniis imperia, provincias, exercitus addici) colligebat, inquam, ex illis rebus Cicero, eos ad alias res peſtiferas aditus ſibi comparare: & animum Pompeji jam tum a ſe alienatum ſuſpicabatur [c]: nec, ut videtur, immerito. Tum, quæ ipſe de concordia ordinum in ſuo conſulatu conſtituerat, inania jam eſſe experiebatur. Ipſe vero Cicero etiam non bene, licet ad amicum conjunctiſſimum ſcribens, in epiſtolis ad Atticum variis cognominibus probroſis Pompejum deſignat, *Sampſiceranum* [d], *Arabarchen* [e], Agamemnonem [f], *Epicratem* [g], *Megabocchum* [h], *Hieroſolymarum* [i] vocans: quorum pleraque nimiam Pompeji potentiam notabant. Cæſar tamen Ciceronem in locum *Coſconii* Vigintiviri, qui obierat, adſciſcere voluit [k]: atque is, dum magno animo id recuſat, in odium Cæſaris etiam magis incurriſſe creditur [l]. Et Pompejus, quanquam

X 2 quam

a *Plut. Pomp. p.* 644. *Id. Cæſ. p.* 714. b *Suet. Jul. c.* 21. c *Att. II. n.* 17. *f.* d *II. n.* 14. 16. 23. e *Ibid. n.* 17. f *Vid. S. L. VIII. c.* 8. *ſ.* 2. g *Att. II. n.* 3 h *Ib. II. n.* 17. i *Vid. & ib. n.* 13. k *Att. II. n.* 19. l *Vell. Pat. l. II. c.* 45.

quam jam Ciceroni periculum minaretur Clodius, adjurabat ſe non eſſe paſſurum, ut violaretur [a]. Verum Cicero promiſſis Pompeji ſummis diffiſus [b] ad reſiſtendum ſe parabat, cauſſæ etiam ſuæ nimium fidens [c]: etſi cito quidem hæc virtus ejus fracta jacuit. Et porro ſe præcipitibus Cæſaris conſiliis immiſcuit Pompejus urbem armatis implens [d], cum Cæſar, quæ cuique libuiſſent, nullo contradicente dilargiretur [e]. Clodii etiam traductionem ad plebem Cæſar, nec ſine Pompeji conſenſu, promovit: imo Pompejus Cæſari legem de Clodii arrogatione ferenti in auſpicio adfuit [f]: quod factum eſt ejuſdem diei veſpera, quo Cicero in judicio C. Antonium collegam olim ſuum defendens [g] temporum ſtatum deploraverat. Nam Clodius hoc anno perfecit, quod anno præcedente fruſtra tentaverat: & primum quidem ex Tribunis quoſdam ſubornaverat [h], qui legem ferrent, ut patriciis quoque tribunatus capiundi poteſtas eſſet. Sed, cum id non ſuccederet *P. Fontejo* ſe, homini plebejo [i], adoptandum dedit; licet ille Clodio natu minor foret [k]. Pompejus vero id agendo ſe bonis exoſum, improbis non amicum reddebat: & ex magna illa dignitate, qua apud Populum fuerat, præ-

ceps

a *Att. II. n.* 20. 21. 24. b *Ib. n.* 22. c *Ib. n.* 18. 21. *f.* 22. d *Plut. Pomp. p.* 644. e *Suet. c.* 20. f *Attic. II. n.* 12. g *Pro domo c.* 16. h *Dio l.* 37. *p. m.* 32. i *Cic. Att. II. n.* 7. 12. k *Id. pro domo c.* 13. *Suet. Tib. c.* 2.

ceps lapſus eſſe videbatur. Itaque non diu poſtea ipſum eorum conſiliorum pœnituit [a]: licet metu adhuc iisdem uti cogeretur [b]. Cæſarem vero edictis Bibuli acerbiſſimis nimis irritari dolebat Cicero [c]. Et Cæſar, qui Ciceroni legationem obtulerat [d], quam etiam Cicero ad occaſionem tenebat, ſeditioſiſſimis quidem concionibus Populum conabatur incendere, (ut nempe ipſe, Conſules ſibi addictos in annum ſequentem habere poſſet) ut ad Bibulum iret [e] vi ab eo extorſurus, ne amplius ſuis interceſſionibus comitiorum indictionem prohiberet. Et ope Pompeji Conſules fecit Cæſar in annum ſequentem Piſonem ſocerum ſuum [f], & A. Gabinium fœdiſſimum Pompeji adulatorem [g]. Interea Cæſar, ut in quosdam diverſæ factionis cives ſævire poſſet [h], Vettium illum ſubornavit [i], quem §. 3. etiam inter indices conjurationis Catilinariæ fuiſſe vidimus, qui diceret ſe a viris quibusdam præcipuis ſollicitatum cum Curione de interficiendo Pompejo conſilia iniviſſe: & adoleſcentium conſilium fuiſſe principe *Paullo*, (ſed quem conſtabat eo tempore Quæſtorem Macedoniam obtinuiſſe [k]) ut in foro cum gladiatoribus Gabinii Pompejum adorirentur. Igitur Vettius in vincula conjicitur: & inde a Cæſare, vel



a *Att.II.n.22.23.* b *Ib. n.19.* c *Ib.n.21.* d *Ib.n.18. Id de prov. conſ.c.17.* e *Att.II.n.21.* f *Plut. Pomp. p.m.644.* g *Cic. poſt red. in Sen.c.5.* h *Suet.c.20.* *Attic.II.n.24.* k *In Vatin.c.10.*

Cæſaris impulſu a Vatinio Tribuno plebis in roſtra productus, unde Catulum principem civitatis paullo ante Prætor Cæſar verba facere prohibuerat, primores populi quaſi conſilii ſui conſcios nominavit [a]: (inter quos etiam fuit M. ille Brutus conjuratorum poſtea in Cæſarem princeps: ſed quem *Q. Cæpionem Brutum* vocat Cicero [b], quod ab avunculo ſuo *Q. Servilio Cæpione* adoptatus eſſet) Ciceronem tamen, occulte tantum, quaſi illi cauſſæ faveret indicans. Sed Bruti nomen poſtridie de oratione Vettii ſublatum eſt: quod a Cæſare datum eſſe crediderunt homines precibus matris ejus *Serviliæ* [c], cum qua Cæſari commercium ſtupri intercedere credebatur [d]. Vettius ſequente nocte in carcere necatus eſt: cujus cædis invidia in conſcios ejus rejecta Cæſar obtinuit, ut vi ab injuriis defendere ſe liceret [e].

Tandem ex his omnibus turbis collecta tempeſtas in caput Ciceronis erupit, cum Clodius ope Cæſaris [f] Tribunus pl. factus eſſet: cui ſe etiam junxerunt & Pompejus [g]. Hic quidem, quod videret, plures eſſe in Senatu, qui ob ſuperbiam, qua Lucullum exceperat & ob alias cauſſas, nimium nempe erga omnes faſtum & nimiam potentiam, ipſi contrarii erant. Tum

a *Vid. & Catull. carm.* 99. *vel in ed. Lond. Voſſii p.* 327. b *Att. II. n.* 24. c *Cic. Ibid.* d *Suet. Jul. c.* 50. e *App. Al. Civ. L. II. n.* 434. f *Plut. Cæſ. p.* 714. *Att. II. n.* 15. g *Or. pro Sext. c.* 17. 18.

Tum Gabinius & Piſo, qui Cæſare annitente, ut vidimus, Conſulatum obtinuerant, infenſiſſimi Ciceroni erant [a]. Maxime autem Ciceroni ſuccenſebat Cæſar, quod inter Vigintiviros agro Campano dividundo legi noluiſſet [b]. Clodius vero, quod inter eos lectus non eſſet Pompejo & Ceſari Craſſoque iratus erat: & tamen, omnia ſe Pompejo adjutore, Craſſo auctore facere clamabat [c]. Catonem autem, ut paullo poſt videbimus, in Cyprum ablegaverat Clodius: nam hujus conſtantia & virtus hominibus improbis formidini erat. Inde, ut deſtinata contra Ciceronem perficeret, primum plebis gratiam ſibi conciliandam ſtatuit [d]: & varias in eum finem leges tulit, quarum prima frumentum, quod ex lege Sempronia [e] ſemis æris ac trientibus erat, gratis dividebat [f]: eique negotio præfecerat *Sex. Clodium* gentilem ſuum, quem *helluonem egentiſſimum* appellat Cicero: unde primum enata ſumma illa annonæ caritas quæ mox ſecuta eſt. Altera lege collegia [g], quæ juſſu Senatus ſublata erant [h], non tantum reſtituebat: ſed nova etiam ex fæce vulgi, imo ex ſervitiis conſtituebat. Tum, ut Conſules demereretur [i], legem tulit, qua Piſoni Conſuli Macedoniam, Gabinio Syriam dabat cum infinito imperio [k]: ita ut

X 4 Piſo-

a *Vid. poſt red. in Sen. c.* 13. *de har. reſ. c.* 2. b *Vellej. L. II. c.* 45. c *De Har. reſp. c.* 22. d *Dio L.* 38. *p.m.* 48. e *Vid. Supr. L.* VII. *c.* 3. §. 2. f *Aſcon. ad Or. in Piſ. c.* 4. g *Cic. Ib.* h *Dio l. prox. d.* i *Cic. in Piſ. c.* 24. k *Ib. c.* 40. *pro domo c.* 21.

Piſoni præter Macedoniam etiam Achaja, Theſſalia, Græcia, Bœotia, (ita Cicero amplificandi cauſſa ex una provincia plures facit [a]) collegæ ejus Syriæ, *Babylonia*, Perſæ concederentur. Quarta lege vetabat Clodius [b], ne quis per eos dies, quibus cum Populo agere licebat, de cœlo ſervare vellet. Quinta denique prohibuit [c], ne Cenſores Senatorem notare poſſent, niſi qui apud eos accuſatus, & utriuſque Cenſoris ſententia damnatus eſſet [d]. Alias etiam pernicioſiores animo agitaſſe videtur: qualis fuit illa, quam per collegam *Cn. Manlium* promulgavit, ut libertinis ſuffragium in omnibus tribubus eſſet: ſed cujus legis lationem fortitudine ſua *L. Domitius* Prætor diſcuſſit [e]. Ita plebis & Conſulum voluntate ſibi adjuncta rogationem promulgavit contra eos, qui civem Romanum ſine judicio Populi necaviſſent. Nec mirum adeo eſt, has leges multis ſatis gratas fuiſſe; cum Cicero jactatione ſua & dicacitate, (de dicacitate quidem ipſe ſatis agnoſcit, imo gloriatur [f]) quibus vitiis, tanquam morbo quodam inſanabili, laborabat [g], plurimos ſibi inimicos feciſſet: neque enim ſine malignitatis ſuſpicione ea dicacitas erat. Jactabat [h] enim identidem Catilinam, & Lentulum; & ſua unius ope liberatam Rempublicam,

a *Vid. pro domo c. 9. 23. 47. in Piſ. c. 16. &c.* b *Ib. c. 4. Dio l. 38. p. m. 4.* c *Cic. Ib. & ibi Aſc. pro domo c. 51. &c.* d *Id. pro Mil. c. 32.* e *Ib. c. 8.* f *Pro Planc. c. 14. Fam. VII. 32.* g *Vid. Plut. Cic. p. m. 863. 886. Dio l. 38. p. 40. omn. Macr. Sat. II. c. 3.* h *Plut. Ib. p. 872.*

cam, quæ licet vera, tamen odioſa erant. Cum ergo Cicero, quanquam nomen ſuum rogationi additum non eſſet, tamen facile videret, ſe ſolum peti [a], (& hinc legem, qua ipſi exilium indictum eſt, ſæpe *privilegium* vocat [b]) rei habitum ſumpſit [c], licet ejus rei eum poſtea pœnituerit, & ſordidatus Populo ſupplicavit: & cum eo ad viginti millia hominum veſtem mutarunt [d]. Sed Clodius hominibus contumelioſis & temerariis ſtipatus Ciceroni omnibus vicis occurrebat, lutoque & lapidibus in eum conjectis ſupplicationes impedire conabatur [e]. Equites vero Romani in Capitolio congregati deprecatores ad Conſules & Senatum miſerunt viros ſpectatiſſimos: ſed eos Conſul Gabinius ad Senatum accedere non ſivit: quin Clodius eos per certos homines etiam verberibus conſcidit. *Piſo* quoque Ciceronis gener, Piſonis Conſulis propinquus, cum uxore ſe ad pedes ejus, dum pro ſocero deprecatur, projiciens rejectus eſt [f]. Paullo poſt tamen Senatus, cum frequens conveniſſet, referente *L. Mummio* Tribuno plebis. (*L. Ninnium Quadratum* vocat Dio, & *L. Ninnius* dicitur in Cicerone Grævii in *orat. pro Sext. c.* 31. *oratione poſt red. in Sen. c.* 2. ſed in *eadem oratione c.* 12. & *pro domo ſua c.* 48. habet *L. Mummium*, & hoc rectius) illo igitur referente Senatus veſtem, ut in publico luctu, mutandam cen-

a *Vell. Pat. L. II. c.* 45. b *Pro domo. c.* 10. 17. 42. *&c.* c *Plut. Cic. p.* 876. d *Ad Quir. poſt. red. c.* 3. e *Plut. d. l.* f *Or. pro Sext. c.* 14.

cenſuit [a]. Hoc vero cum Conſules vetarent [b], & Clodius cum armis adeſſet, Senatores multi veſtibus diſciſſis & clamore ſublato ſe proripuerunt [c]. Nihilominus, cum non tantum a Cæſare & Craſſo [d], qui ſe, ut jam dictum eſt [e], occaſione conjurationis Catilinariæ a Cicerone læſum crediderat [f], deſtitutum videret, verum etiam ab ipſo Pompejo, cui jam dudum ipſe minus fidebat [g], & qui dedita opera Urbe exiverat, ne Ciceronem opem ejus implorantem audire, & jam antea promiſſa præſtare cogeretur [h], Urbe ceſſit, ne ſua cauſſa cædes civium fieret. Alibi tamen [i] queritur, ſe hoc feciſſe conſilio quorundam invidorum permotum; in quibus Cæſar & Piſo Conſul numerari poſſunt [k]. Et dixit aliquando [l], eosdem fuiſſe, qui Bibulum exire domo prohibuiſſent; & qui ſe coegiſſent. Pompejus quidem conſilium manendi Ciceroni dederat auxilium pollicitus; quod tamen non præſtitit. Et Cæſar, adeo damnationi Ciceronis favebat, ut non ante ad exercitum profectus ſit, quam Clodius Ciceronem Italia expuliſſet [m]. Curaverantque Pompejus & Cæſar, ut anni ſequentis Conſules quam maxime rationibus ſuis addictos haberent: & *Q. Arrium*

a *Or. pro Plancio c.* 35. b *Ib. & in Piſ c.* 8. c *Plut. d. l.* d *Dio l.* 38. *p. m.* 42. e *Famil. I. n.* 9. *& V. n.* 8. f *Vid. et. Plut. Craſſo p. m.* 551. g *Famil. V. n.* 7. *ad Quint. fr. I. n.* 2. *f.* h *Ad Att. II. n.* 21. i *Ib. III. n.* 7. 9. *Famil. XIV.* 1. *&c.* k *Dio d. l. p.* 41. *ſq.* l *Famil. I. n.* 9. m *Plut. Cæſ. p. m.* 714.

*rium* ſenem Prætorium, & *L. Lentulum* Flaminem Martialem a petitione repelli fecerant; cum hunc etiam inter conjuratos a L. Vettio nominari feciſſent [a]. Priusquam diſcederet Cicero, ut memoria rerum in conſulatu ſuo geſtarum conſervaretur, in Capitolium adſcendens ſimulacrum ibi, quod habebat, Minervæ domeſticum, quam *Urbanam*, ſive *Cuſtodem* Urbis vocabat, conſecravit [b]. Poſtquam diſceſſiſſe Ciceronem compertum eſt, legem tulit Clodius, *ut illi aqua & igni interdiceretur; neve intra quingenta millia paſſuum ab Italia tecto reciperetur* [c]: de quo ſpatio tamen poſtea aliquid remiſſum eſt [d]. Additum etiam legi, ut qui Ciceronem recepiſſet, impune poſſet interfici [f]; quod tamen non prohibuit, quin comiter ubique receptus fuerit [e]: niſi quod Prætor Siciliæ [g] *C. Virgilius*, qui familiariſſime Cicerone uſus fuerat, ei ſcripſerit, ut Sicilia abſtineret. Contulit autem ſe in Græciam [h], & inde in Macedoniam, ubi humaniſſime exceptus & toto anno liberaliter habitus eſt a *L. Appuleji* Prætoris Quæſtore *Cn. Plancio* [i], quem poſtea etiam defendit, cum *de ſodalitiis*, quod inter crimina ambitus graviſſimum erat,

a *Or. in Vat. c.* 10. *ad Att. II. n.* 24. b *Id. Fam. XII. n.* 25. *de LL. II. c.* 17. *pro domo c.* 57. c *Plut. Cic. p.* 876. d *Ad Att. III. n.* 4. e *Dio L.* 38. *p. m.* 43. f *Or. pro domo c.* 20. g *Pro Planc. c.* 40. h *Pro domo c.* 20. i *Or. pro Plancio c.* 10. *&c. ut c.* 41. *& alibi.*

erat, accuſaretur: & licet civitates Græciæ officiis erga Ciceronem certarent, hic tamen abjectiſſimo animo, & prorſus ſapientiæ ſtudiis, quæ profitebatur, indigno ſuum infortunium tulit [a]. Statim ac profectus erat Cicero, Clodius ejus villas inflammavit, domum ejus in Palatio incendit: & in ejus area templum Libertati exſtruxit [b]. Uxor ejus & liberi omni crudelitatis genere vexati ſunt [c]. Supellex ejus direpta, ejusque bona pars ad Conſules delata eſt: nam licet haſtæ Ciceronis bona ſubjicerentur, emptores tamen nullos inveniebat [d]. Et tamen non adeo diu poſt reditum cum altero Conſule Gabinio Cicero in gratiam rediit [e] non tantum; ſed eum etiam in repetundarum judicio defendit [f], non ſine aliqua levitatis nota; licet ſe Pompeji auctoritate cum eo in gratiam rediiſſe dicat. Verum diuturnum Ciceroni exilium non fuit: nam Kalendis Januariis referente Mummio a frequenti Senatu revocatus eſt [g], uno tantum ex Tribunorum collegio *Sex. Ælio Ligure* intercedente [h]. Et Pompejus quoque, cum a Clodio acta ejus vellicarentur [i], qui etiam eo invito Tigranem Armeniæ Regis filium obſidem Romanis datum muneribus corruptus liberaverat e poteſtate

*L. Fla-*

a *Ad Att. III. n. 2. ſqq. Famil. L. XIV. Plut. Cic. p.* 877. *App. Al. Civ. L. II. n.* 436. b *Pro domo c.* 51. c *Ibid. c.* 23. d *Plut. l. d.* e *Pro Rab. Poſt. c.* 8. f *Val. Max. L. IV. c.* 11. *ex.* 4. g *Poſt. red. in Sen. c.* 2 *pro Sext. c.* 31. h *Vid. pro domo c.* 19 *de Har. reſp. c.* 3. i *Pl. Pomp. p.* 645.

*L. Flavii* Prætoris ſubtractum [a], & intolerandа eſſet hujus hominis inſolentia; imo tanta, ut ab eo ſibi metuendum eſſe Pompejus crederet, ( nam omnia Pompeji acta reſcindere volebat [b] ) culpam ſuam in prodendo Cicerone commiſſam faſſus [c] ejus reditum promovere cœpit [d], adjutus etiam ab aliis [e], ut a *L. Domitio* Prætore Urbano, qui ſemper nimiæ potentiæ inimicus erat [f]. Itaque, licet reſiſteret Clodius, placuit Senatui, *nihil in Republica agi, niſi Cicero revocatus foret* [g]. Verum artibus inimicorum, qui etiam vitæ Pompeji a Cicerone inſidias domi poſitas fuiſſe dixerant [h] reditus ejus prohibitus eſt ad pridie Nonas Sextileis anni ſequentis. Nam primum de cæde Pompeji conſilium fuiſſe initum dicit Cicero [i]: & ſervum Clodii cum ſica, ut Pompejum Senatum ingredientem interficeret, collocatum deprehenſum fuiſſe ſæpius narrat [k]: ita ut Pompejus per aliquod tempus ſe domi præ metu continuerit [l]; ubi etiam a liberto Clodii *Damione* obſeſſus fuit [m], conſultans interim, quomodo Senatus & optimatium indignationem, quam ſibi attraxerat, molliret. Et nullum melius invenit

a *Dio l. 38. p. m. 47. f. Cic. pro domo c. 25. Aſcon. pro Mil. c. 14.* b *Cic. pro domo c. 25.* c *Ib. c. 10.* d *Plut. dd. l.* e *Vid. Or. in Piſ. c. 31.* f *Ad Att. III. n. 15.* g *Pro Sext. c. 31. in Piſ. c. 13. Att. III. n. 24.* h *Pro Sext. c. 18.* i *Ib. c. 32. pro domo c. 5. & 50. Aſcon. pro Mil. c. 14.* k *In Piſ c. 12. pro Mil. c. 7. &c.* l *De har. reſp. c. 23. pro Sext. c. 32.* m *Aſcon. ad Milon. c. 14.*

nit conſilium, quam ut Ciceronis Senatui gratiſſimi revocationem quam maxime poterat properaret: ita ut ſupplicem ejus fratrem Quintum ipſe in forum deduceret; quem ſæpe ex ferro & manibus Conſulum elapſum dicit Cicero [a]: *Piſo* etiam Ciceronis gener cum uxore ſua [b] quotidianis lacrymis ſordibuſque reditum ſoceri a Populo deprecabatur [c], parvum ſimul oſtendens ipſius Ciceronis filium; cujus ipſius vitæ etiam inſidias ſtruxiſſe Conſules conqueritur pater [d]. Ergo rurſus IV. Kal. Nov. octo Tribuni plebis de reditu Ciceronis legem promulgarunt [e]: & iiſdem referentibus *Lentulus* Conſul deſignatus de Cicerone præſtantiſſimam ſententiam dixit [f]. Atque idem Kal. Januariis, ſimulac de religione retulerat, nihil humanarum rerum ſibi prius quam de Cicerone agendum judicavit [g]: & princeps rogatus ſententiam L. Cotta, legem nullam de reditu Ciceronis ferendam cenſuit [h], cum nihil moribus, nihil legibus, nihil jure in ea re factum eſſet [i]. Quin ipſe Metellus Conſul, licet Ciceronis inimicus, de ejus reditu ad Senatum retulit [k]. Cum tamen res variis adhuc rationibus impediretur, voluntate Senatus perſpecta, (nam, ut in publico luctu, publico conſilio Senatus ob Ciceronis exſilium veſtem muta-

ve-

a *Pro domo c.* 23. b *Ib.* c *Poſt. red. ad Quir. c.* 3. *& in Sen. c.* 7. d *ll. cc. & pro Sext. c.* 24. e *Ib. c.* 32. *Attic. III. n.* 23. f *Poſt red. in Sen. c.* 3. 4. *pro domo c.* 27. g *Poſt red. ad Q. c.* 5. h *Pro domo c.* 26. *Att. III. n.* 15. i *Ib. c.* 62.

verat [a]) cauſſa ad Populum VIII. Kal. Febr. delata fuit : quo die in foro Clodiani maximam civium cædem fecerunt; quaſi flumine ſanguinis Ciceronis reditum intercludere vellent [b]: acceperatque Clodius a fratre *Appio* gladiatores, quos ille in funere propinqui cujuſdam ſui daturus fuerat [c]. Tum etiam Tribuni plebis vulnerati ſunt ; & Q. Cicero inter cadavera tanquam occiſus jacuit [d] : in quibus omnibus *T. Annium Milonem* Tribunum plebis egregium ſalutis ſuæ defenſorem expertus eſt Cicero [e]. Unde nova inimicitiarum Milonis & Clodii origo exſtitit : nam Milo Clodium de vi tum poſtulavit. Sed alter Conſul Metellus Nepos, qui frater patruelis erat Clodii [f], & privatas etiam cum Cicerone gerebat inimicitias, prætexens judicum ſortitionem nondum factam eſſe, quod nondum creati eſſent Quæſtores, edixit Prætori, ne quod judicium fieri pateretur [g]. Et, lubenter paruiſſe Prætorem credi poteſt, quod Appius eſſet Claudius ipſius Clodii frater germanus: qui tamen paullo poſt privatis ſimultatibus cauſſam publicam prætuliſſe viſus eſt: quemadmodum etiam Metellus cum abſente Cicerone in gratiam rediit, ſe, inimicitias Patribus Conſcriptis, & tempori-

a *Poſt red. ad Q. c. 3. pro Planc. c. 35.* b *Poſt red. ad Q. c. 5. in Sen. c. 3.* c *Dio L. 39. p. m. 59.* d *Pro Sext. c. 35.* e *Famil. II. n. 6. de Har. reſp. c. 4. pro Mil. c. 32. de Off. L. II. c. 17.* f *Poſt. red. in Sen. c. 10.* g *Dio l. 39. p. m. 95.*

poribus, & Reipublicæ permiſſurum; affirmans [a]; & bonæ Metelli indolis, ut videtur, fiducia jam antea Cicero, dum adhuc exſularet, opem ejus imploraverat [b]. Ergo Milo [c], jure nihil agi poſſe videns, etiam ipſe gladiatores emit [d]: ſed hactenus nihil iis opus fuit: nam Cicero, poſtquam Pompejus (cui ergo omnia ſe debere fatetur) [e] verbis honorificentiſſimis de eo locutus fuiſſet [f], ab exſilio revocatus eſt; & frequentiſſimis quidem ſententiis [g], ac ſummo favore, ita ut Senatus, auctore Pompejo, decreverit, ut, ſi quis impediviſſet reditum ejus, in numero hoſtium putaretur [h]. Atque illud Senatusconſultum eo ipſo die in maxima theatri frequentia incredibili clamore & plauſu comprobatum fuit. Inde lex de eodem negotio ab omnibus Magiſtratibus, Claudio Prætore tantum, & duobus Tribunis plebis *N. Quinctio* [i] & *Sex. Atilio* [k] (quos *de lapide emptos*, id eſt, *tanquam mancipia Clodio addictos* vocat Cicero [l]) lata atque pridie Nonas Sextileis comitiis centuriatis a Lentulo Conſule perlata eſt, ſolo Clodio eam oratione habita diſſuadente [m]: ita ut Populus nullam unquam rem tanto conſenſu ſciverit: & omnis Italia, tan-

a *Poſt red. in Sen. c.* 10. *pro Sext. c.* 33. b *Epiſt. Fam.* V. *n.* 4. c *Pro Sext. c.* 41. *poſt red. in Sen. c.* 8. d *Ad Quint. fr.* II. *n.* 5. e *Famil.* I. *n.* 9. III. *n.* 10. f *Ad Quir. poſt red. c.* 7. *pro Sext. c.* 60. g *Pro domo c.* 6. *de Divin.* L. *I. c.* 28. h *In Piſ. c.* 15. i *Pro Sext. c.* 33. k *Pro Mil. c.* 15. l *In Piſ. c.* 15. m *Pro Sext. c.* 50.

tanquam ſigno dato, ad ea comitia convenerat [a]. Eo ipſo die, quo hæc Romæ fiebant, Cicero Dyrrhachio profectus fuerat, & poſtridie Brundiſii ſumma gratulatione exceptus fuit. Hinc lento itinere concurrentibus undique hominibus ex oppidis & civitatibus ad Urbem profectus etiam illic lætiſſimos omnes de ſuo adventu reperit [b]: ita ut ad portam vix integer dies recipiendis gratulatorum officiis ſuffecerit [c]; unde poſtea, & juſto quidem titulo jactavit, *ſe humeris Italiæ reportatum eſſe* [d]. Gratias ſtatim egit Senatui & Populo orationibus, quæ hodie leguntur [e]. Atque ita ſexto & decimo, poſtquam in exſilium pulſus erat, menſe reſtitutus fuit. Tum Senatus decrevit, ut civitatibus, quæ in Ciceronem officioſæ fuerant, publice grates agerentur; utque domus & villæ, quas dejecerat Clodius, publico ſumptu reponerentur [f]: licet queratur Cicero, valde illiberaliter ea omnia fuiſſe æſtimata [g]. Paullo poſt contentione de domo Ciceronis orta, quam Clodius *Libertati* conſecraverat, Populus, reverſo Cicerone, eodem jure quo fuiſſet, eſſe juſſerat, de ea re ex Senatusconſulto ad Pontificum collegium relatum eſt: ubi tum Cicero orationem dixit, quæ exſtat. Ut vero jam ea, quæ proxime narratis arctius adhærent, abſolvamus,



a *In Piſ. c.* 15. b *Pro domo c.* 28. *Pro Sext. c.* 63. *in Piſ. c.* 22. *Vellej. L.* II. *c.* 45. c *Appian. Civ. L.* II. *n.* 437. d *Pſeudo Salluſt. in Cic. c.* 4. e *Fam.* I. *n.* 9. f *In Piſ. c.* 22. g *Att. IV. n.* 2.

A. U. 692., cum prodigia multa facta eſſe, nunciaretur, & haruſpices, *Deos iratos eſſe*, reſpondiſſent, *quod loca ſacra & religioſa profana haberentur* a, Clodius, qui jam Ædilis factus erat, (unde obiter obſervari poteſt, eum adhuc multum gratia apud Populum valuiſſe) eam occaſionem avide arripuit, &, *Ciceronis domum inter ea loca eſſe*, dixit. Cicero oratione, quam habemus, *de haruſpicum reſponſis*, ſe in Senatu defendit, & docuit: ſi quid calamitatis Reipublicæ impendeat, Clodii id ſceleribus & furori eſſe tribuendum. Inde Milone, & quibuſdam aliis Tribunis plebis adhibitis, Capitolium ingreſſus tabulas, quas ibi de exilio ejus fixerat Clodius, dejecit: eaſque a Clodio repoſitas poſtea, obſervata Clodii abſentia, ſecum domum abſportavit. Hoc tamen Cato, licet & ipſe odiſſet Clodium, violentum eſſe affirmabat b, quod ita tot decreta & res geſtæ Senatusconſulto tollerentur: nam in iis etiam erant, quæ ipſe Cato in Cypro & alibi geſſerat: imo Clodio in contentionibus, quibus cum Cicerone decertabat, ex eadem cauſſa adfuit c: de qua ergo expeditione Catonis jam nobis videndum eſt.

a *Cic. de har. reſp. c.* 5. 10. *&c.* b *Plut. Cic. p.* 878.
c *Dio L.* 39. *p.* 63.

# CAPUT QUARTUM.

## *Geſta in Cypro & in Ægypto.*

§. I. SI unquam a Romanis negotium aliquod injuſte ſuſceptum fuit hæc certe expeditio, qua Cyprum inſulam ditiſſimam in ſuam poteſtatem redegerunt, omnino injuſtiſſima fuit. Tenebat eam a *Ptolemæus Alexander*, qui Ptolemæi Euergetis II. ſive Phyſconis erat filius: nec ad ſcopum noſtrum refert narrare, qua ratione hoc regnum acceperit: ſufficiet oſtendere, quomodo eo a Romanis fuerit exutus. De hoc Rege amico & ſocio, & bene de Romanis merito b legem tulit P. Clodius Tribunus plebis, *ut regnum ejus in Provinciæ formam redigeretur; ejuſque bona publicarentur, utique Byzantium exſules reducerentur;* c *eaque provincia M. Catoni nomine Quæſtoris, ſed jure prætorio, mandaretur* d. Cauſas autem hujus rogationis Clodius habebat, quod, cum aliquando a piratis fuiſſet captus a Ptolemæo redemptus non eſſet e: quod tamen, quo jure ab illo Rege efflagitandum fuerit, non video. Sed verior, ut jam antea vidimus, ipſi cauſſa erat, ut, Catone ex Urbe amandato, ipſe, quæ libuiſſet, agere poſ-

Occaſio rei.



a *Juſtin L. 39. c. 4 & ejuſd. libri periochæ.* b *Cic. pro domo. c. 8. 20. pro Sext. c. 26. ſq.* c *Plut. Cat. min. p. 776.* d *Vell. Pat. L. II. c. 45.* e *Strabo L. XIV. Dio L. 38. p. m. 48.*

poſſet [a]. Nam ita ablegato Catone, pulſo Cicerone, Lucullo in prædia digreſſo, Craſſo privata curante negotia, & Cæſare Gallias, inter Pompejum quaſi & Clodium civitatis adminiſtratio erat diviſa. Verum ſatis mirari nequeo, Catonem, illum rigidum virtutis, ut certe præ ſe ferebat, cultorem, paſſum fuiſſe, ut talis ſibi provincia imponeretur: nulla enim, quod ſciam, lege ad eam ſuſcipiendam cogi poterat, licet id innuere videatur Cicero [b]: & palam eſt, cum, ut *in fine capitis præcedentis* diximus, hæc acta ſua Cato poſtea reſcindi noluerit. Imo paullo poſt Clodio cum Cicerone contendenti adfuit [c]. Conatur quidem eum defendere Cicero [d]: ſed tamen ipſe eodem loco *rogationem Cypriam* vocat *ſceleſtiſſimam*. Ita ut etiam huic Catoni ex parte aptari poſſint, quæ de virtute proavi ejus Catonis priſci minus ſincera diximus [e]. Et etiam turpiter in leges Clodii juraverat: quanquam hoc quoque factum excuſare conatur Cicero. At quanto fortius Metellus, qui in leges Saturnini jurare recuſans lubentius exſilium ſubiit? Præmiſit in Cyprum Cato amicum ſuum *Canidium*, qui perſuaderet Ptolemæo, ut ſine certamine cederet, oſtenſa ipſi ſpe honeſti & opulenti otii, ſacerdotii nempe *Paphiæ Veneris* [f].

§. II.

a *Cic. pro domo c.* 25. *Plut. Cæſ. p.* 718. b *L. cit. Vid. & Plut. & Dion. ll. cc.* c *Dio l.* 36. *p. m.* 63. d *Sext. c.* 28. e *Supr. L. V. c.* 4. §. 10. f *Plut. Cat. min. p.* 776.

§. II. Sed Ptolemæus, antequam adveniret Cato, venenum ſumpſit: cum antea, ſi Valerio Maximo credimus [a], omni pecunia impoſita navibus in altum proceſſiſſet, ut claſſe perforata ſuo arbitrio periret, & hoſtes præda carerent [b]. Igitur Cato Brutum ſororis filium miſit, qui ingentes Regis divitias undique comportaret; quod non ſatis fideret Canidio. Et cum Byzantium profectus concordiam eo & exſules reduxiſſet, in Cyprum regreſſus exactiſſima diligentia bona regia conquiſivit, vendidit, & pecuniam, ſeptem fere M. talentorum † [c] argenti, ſecum Romam avexit. Sed rationum libellos, quos non ad ſuam probandam fidem confecerat; verum ut aliis ſedulitatis exemplum præberet, alterum naufragio, alterum nautarum culpa amiſit. Exceptus eſt Romæ ſummo omnium ordinum concurſu, magiſtratibus omnibus & ſacerdotibus, Senatu univerſo & frequenti populo obviam ei prodeuntibus. Cato tamen inſolenter ſatis non ante egreſſus eſt navi, quam ad eum locum pervenit, ubi erat exponenda pecunia [d]. Præmium Catoni navatæ operæ (& fidem ſane exactiſſimam ei negotio adhibuerat) Prætura extra ordinem, & jus ſpectandi ludos in toga præ-

*Exitus belli.*



a *L.* IX. *c.* 4. b *Appian. Civ. L. II. n.* 441. *qui ordinem temporum non bene ſervaſſe videtur.* † *Philipp.* 4200000. c *Plut. d. l. p.* 777. *Lucan. L. III. V.* 164. d *Vellej. L.* II. *c.* 45. *Plut. p.* 778.

texta decretum eſt : Sed ea Cato repudiavit [a]. Ex quibus omnibus tamen patet, & Catonem, & Senatum, & univerſum Populum Romanum, ſi pauciſſimos forte excipias, ſe ipſos ſceleſtis Clodii conſiliis implicaſſe. Nam quod Cicero in id facinus acerbe ſæpius invehitur [b], odio magis Clodii, quam amore juſtitiæ factum fuiſſe videtur, & ex aliis Ciceronis actionibus facile deprehendi poteſt : qui ita ſimul odio, quo Catonem proſequebatur, ut ex variis locis colligi poteſt [c], occulte ſatisfaciebat. Nec defendere poteſt Romanos, ut maxime verum fuerit, quod maximis vitiis addictus hic Rex foret [d] : ita ut vere dicat Ammianus Marcellinus *L. XIV. c. 7. avide magis Populum Romanum hanc inſulam invaſiſſe, quam juſte*. Catonem reverſum Clodius, quamquam ex ejus lege hæc expeditio ſuſcepta fuiſſet, rationes rerum geſtarum popoſcit; cum ſciret, naufragio omnes fere ejus commentarios periiſſe : & Cæſar, injuriæ matrimonio ſuo illatæ oblitus, accuſationes ei ex provincia contra Catonem per literas mittebat. Verum tranſeamus ad res Ægypti, quarum origo paullo altius repetenda eſt.

*Res Ægypti.* §. III. *Ptolemæus Alexander III. Philadelphus* nothus *Ptolemæi Alexandri II.* filius, ( ita ut Cypri Rex, de quo diximus,

a *Dio l. prox. d.* b *Pro domo c. 8. 20. pro Sext. c. 26. & alibi.* c *Pro Mur. c. 29. ſqq. Att. I, n. 17. VII. n. 2. Fam. I. n. 5.* d *Vellej. d. l.*

mus, hujus patruus fuerit) *Alexandri, I.*, qui Ptolemæi Lathuri frater natu minor fuerat, nepos fuit. Hic a civibus ſuis *Alexandrinis* ob tyrannidem pulſus Romanorum auxilium imploravit: quam occaſionem arripiens C. Julius Cæſar Ædilis per partem Tribunorum tentavit, ut ſibi Ægyptus provincia plebiſcito daretur [a]. Sed Tyri interea in exilio mortuus Alexander Ægypti regnum Populo Romano teſtamento reliquerat; vel reliquiſſe dicebatur [c]: nam multi hoc confictum fuiſſe crediderunt. Senatus certe legatos Tyrum miſerat, qui a Rege depoſitam illic pecuniam Romanis recuperarent. Verum interea Ægypti Regem ſibi conſtituerunt *Ptolemæum* Ptolemæi II. Soteris filium nothum; qui *Dionyſi*, (Latinis *Bacchi*, vel potius *Liberi*) & *Dionyſi Novi* cognomine dictus eſt [d]. *Auletes* præterea, & vulgatius quidem, appellatur a ſummo *tibia canendi ſtudio* [e]. (αὐλὸς Græcis *tibia* dicitur.) Hic, ut ſibi regnum firmaret, quod minus ſtabile erat, non tantum, quod Romani ſe pro hærede defuncti Regis geſturos eſſe, credi poſſet; ſed etiam per contemptum, quem in animis ſubditorum ſuorum vitia ejus, & occupationes Rege indignæ produxerant [f], gratiam quorundam clariſſimorum Romæ virorum,

 & quo-

a *Suet. Jul. c.* 11. b *Cic. Agrar. I. c.* 1. b *Ib. Ii. c.* 16. d *Vid. Vaillant. Hiſt. Ptol. p.* 134. e *Strabo L. XVII. n.* 796. *Porphyr. ap. Euſeb.*
f *Strabo d. l.*

& quorum maxima tunc in Republica erat auctoritas, ſibi conciliandam ſtatuit. Et incidit commodum in Conſulatum Julii Cæſaris, qui ære alieno obrutus venalem & fidem ſimul & probitatem habebat [a]. Et ſane ſocietatem Romanam Regi vendidit ſex millia talentorum [b] pactus ſibi Pompejoque, cujus auctoritate indigebat, ut legem, quam de ſocietate cum Ptolemæo ineunda promulgaturus erat, perferre poſſet. At cum tantam pecuniæ ſummam Rex *ſubito*, (nam reditus quidem ejus erant longe majores [c]) niſi graviſſimo tributorum onere extra ordinem ſubditis impoſito, conficere non potuiſſet, in odium illorum incurrit; præſertim cum etiam Cyprum inſulam, quod petierant ſubditi, a Romanis repetere, aut neglexiſſet, aut auſus non fuiſſet [d]. Nec poterat eos in officio continere conductitio milite deſtitutus; ita ut Romam aufugere conſultius duxerit. Interim Ægyptii, eum periiſſe arbitrati, filiam ejus *Berenicen* Reginam conſtituunt; quod filii ejus infirma nimis ætate eſſent: cui poſtea *Philippum Euergetem Antiochi Grypi & Tryphænæ* ſororis Ptolemæi Lathuri filium Alexandrini jungere voluerunt, feciſſentque, niſi Gabinius, tum Syriæ præſes, cohibuiſſet [e]. Rex vero Rhodi Catonem

a *Vid. Suet. Jul. c. 18. 54. Plut. Cæſ. p. 712.*
b 360000. *Phil.* c *Strabo L. XVII. p. 798.*
d *Dio L. 39. p. m. 61.* e *Vid. Vaillant. p. 149.*

nem adiit [a]: a quo ſummo quidem & indigno faſtu eſt exceptus: ſed monitus ſimul eſt ſaluberrimo conſilio, ut domum reverſus cum civibus ſuis in gratiam rediret, neque ſe intolerando faſtui & avaritiæ procerum Romanorum exponeret, ſuum etiam officium ad eam rem offerens. Pœnituitque maxime Regem ſpreti tam ſalutaris conſilii, poſtquam Romæ ſuperbiam Magiſtratuum expertus eſſet. Obtinuit tamen a Senatu, allaborante Pompejo, ( cujus amicitiam olim coluerat [b], & cujus hoſpitio jam Romæ utebatur [c] ) & referente Conſule *Cn. Lentulo Marcellino*, ut is, cui Cilicia provincia ſorte obtigiſſet, Regem reduceret [d]. Ea obtigerat *P. Lentulo Spthineri* anni præcedentis Conſuli: & Pompejus, videns, ſe gratia Populi excidiſſe [e], ( præſertim, quod cura frumentaria, de qua ſtatim dicemus, minus quam optandum fuerat ei ſucceſſiſſet ) reductione Regis Lentulo ceſſit: eidemque ſua ſententia eam decrevit Cicero; de qua re ejus oratio exſtitit [f]: & factum fuit in eam ſententiam Senatusconſultum [g]. Verum interea Ægyptii, audito Regem ſuum vivere & Romæ adeſſe, legationem miſerunt centum am-

*A. U. 697.*

a *Plut. Cat. min. p.* 776. b *Plin. H. N. XXXIII. c.* 10. c *Dio. L.* 39. *p. m.* 61. d *Cic. pro Rab. Poſt. c.* 3. e *Vid. eund. ad Fam. L. I. n.* 5. *ad Quint. fr. L. II. n.* 3. 4. *Plut. Pomp. p.* 645. f *Vid. fragm. or. Cic. ed. Grav. p.* 999. g *Ad fam. L. I. n. &* 7.

amplius virorum primariæ dignitatis: quæ coram Senatu cauſſam ſuam ageret, inter quos erat præcipuus *Dio* Philoſophus *Academicus* [a]. At Rex pleroſque eorum, & ipſum Dionem, qua ferro, qua veneno ſuſtulit [b]: & reliquis tantum metum injecit, ut mandata referre, imo ne hiſcere quidem auderent: præſertim cum Rex Pompeji amicitia tutus eſſet. Hoc autem, cum cito palam factum eſſet, omnium odio, ut antea contemptui, Rex fuit expoſitus. Cumque etiam largitiones ejus & corruptelæ eſſent notiſſimæ, adventus ejus Romam ſemper inter ſummas Reipublicæ calamitates fuit habitus; quod ultimam quaſi manum morum apud Romanos corruptioni addidiſſet [c]. Et fruſtra M. Favonius aliique boni in ſceleris auctores inquirere ſunt conati [d]; cum Pompejus & Lentulus, & alii, qui pecunia regia erant corrupti, aperte Regis cauſſam agerent: ad quem finem Rex etiam Romæ pecuniam mutuam ſumpſerat [e]. Imo, ut dixi, Dio legationis princeps, ex quo Senatus totius rei veritatem expiſcari voluerat, primum minis territus, inde etiam Regis juſſu occiſus fuit: & Rex paullo poſt Roma Epheſum profectus eſt [f] Dianæ aſylo uſurus, donec rerum ſuarum eventu certior

a *Cic. pro Cœl. c. 8. de haruſp. reſp. c. 16.* b *Strabo L. XVII. n. 796.* c *Vid. Cic. pro Cæl. c. 8.* d *Vid. eund. ad Quint. fr. L. II. n. 3.* e *Id. Fam. L. I. n. 1. pro Rab. Poſt. c. 2. 3.*
f *Dio l. prox. d.*

tior foret. Sed erat inter Tribunos anni ſequentis *C. Cato*, a ingenii inquieti juvenis b, qui ſe ſtatim cauſſæ Ptolemæi, & reductioni ejus per P. Lentulum Ciliciæ Proconſulem c faciendæ oppoſuit: & cum ex alia forte cauſſa libri Sibyllini eſſent conſulti, ac in iis ſcriptum inveniretur d, vel inventum eſſe diceretur, unde *religionis calumniam* hoc vocat Cicero e, *ne Rex Ægypti reduceretur*; Cato veritus, ne hoc per factionem Regi faventium ſupprimeretur, Quindecimviros ad Populum produxit; & quod legiſſent in libris proferre coegit. Ac referente Lentulo Marcellino Conſule Pompeji inimico decretum eſt, *Regem Ægyptium vi armata reſtitui periculoſum Reipublicæ videri* f. Igitur miſſis literis Rex rogavit g, ut Pompejus duobus tantum lictoribus comitantibus eum reduceret: & creditores Regis aperte contra Lentulum pecunias ſuppeditabant, Caninius vero Tribunus plebis legem de ea re promulgavit h; adjuvante etiam collega ejus *Rutilio Lupo* i. Pompejus, ut erat honorum inſatiabilis, conſilio mutato, ſummo quidem ardore, hanc novam etiam provinciam ſibi mandari deſideravit: licet ipſe id deſiderium ſtre-

a *Cic. Fam. L. I. n.* 2, 4. 5. b *Feneſtella ap Non. V. Rumor. p. m.* 413. c *Abbas S. Realis in opuſc. miſcell. p. m.* 34. *ſqq. videtur confundere hunc cum Cn. Lentulo Coſ. A.* 697. d *Dio l. prox. d.* e *Fam. I. n.* 1. *Vid. ib. n.* 4. f *Ad Quint. fr. L. II. n.* 2. g *Plut. loc. prox. d.* h *Famil. I. n.* 4. i *Ib. n.* 132.

ſtrenue diſſimularet [a]. Legibus tamen hoc erat contrarium, quæ vetabant [b], eundem hominem duabus provinciis, vel magiſtratibus majoribus ſimul ornari. Ergo etiam hoc argumento & dolo uſi ſunt, qui Pompejo reductionem Regis eripere volebant. Nam ſplendidiſſima jam Pompejo provincia fuerat data; *Cura* nempe *annonæ*, cum imperio extraordinario [c]. Idque ut fieret curaſſe Lentulum quidam dixerunt, ut ita prohiberet quominus reductio Regis Pompejo mandari poſſet [d]. De qua re antequam pergamus, hic aliquid eſt dicendum.

*Curatio Pompeji frumentaria.*

§. IV. Summa hoc tempore difficultate annonæ tam Romæ, quam in Italia laborabatur, quod deliciis potius & amœnitatibus villarum, quam agros fructus cauſſa colendo delectarentur Romani proceres [e]. Hinc, ut diximus, Clodius frumentum gratis dividi juſſerat: ſed hoc etiam anguſtias rei frumentariæ intenderat, ita ut frequentes ſeditiones inde excitarentur. Ergo anno Urbis 696. ex ſententia Ciceronis ab exilio reverſi [f], qui ita gratum animum Pompejo præſtare volebat, & decreto Senatus [g], accedente etiam lege Populi, eadem curatio Pompejo mandata eſt [h] cum imperio in Italia & poteſtate proconſulari per omnes

a *Id. Attic. L. IV. n.* 14. b *Liv. L. VII. c.* 42. c *Dio L.* 39. *p. m.* 62. d *Plut. Pomp. p.* 645. e *Sall. Catill. c.* 12. *Hor. Od. II.* 15. f *Ad Att. L. IV. n.* 1. g *Pro domo c.* 5 *ſqq.* h *Dio L.* 39. *p.* 63. *Appian. Liv. L. II. n.* 438.

omnes Imperii provincias: idque in quinquennium. Rejecta autem fuit lex, quam *Meſſius* Tribunus plebis tulerat [a], ut omnis etiam pecuniæ poteſtatem haberet Pompejus, & claſſem, & exercitum, & majus imperium, quam eſſet illorum, qui eas provincias obtinebant: Pompejus igitur ſumma diligentia, ſummo periculorum contemptu, legatis quoquoverſum dimiſſis, (nam quindecim ſibi legatos adſciverat) & ipſe in Siciliam, Sardiniam, Africam, quæ ante Ægyptum in provinciam redactam horrea fere Romanorum erant, profectus ingentem vim frumenti congeſſit; ingentem ſibi apud omnes laudem & auctoritatem peperit.

§. V. Sed videamus jam porro quomodo Ptolemæus in regnum ſuum reductus ſit. Nam, ſive verum fuerit, aliquod monitum de non reducendo Rege in libris, quos *fatales* vocabant Romani [b], repertum eſſe, ſive id fuerit falſum, non prohibuit certe, quin commoda interpretatione oraculum illud eludi potuerit [c]: ita nempe, ut, ſive Lentulus, ſive quis alius, Rege propinquo aliquo loco collocato, Alexandriam præſidiis firmaret; atque mox digreſſo Romanorum Duce ita demum ad ſua Ptolemæus reverteretur: quo facto, *a Romanis reductum fuiſſe Regem*, proprie dici non poterat: idque conſilium etiam a Cicerone Lentulo da-

*Reductio regis.*

a *Cic. d. l.* b *Liv. V. c. 14. &c.* b *Cic. Fam. I. n. 7.*

datum fuiſſe ex loco ad marginem ſcripto videmus. Sed cum Lentulus, ſatis virium ſe habere, non crederet, ut id conſilium exſequeretur, Gabinius, qui Syriæ præerat, avide eam occaſionem arripuit, mandante illud præſertim Pompejo [a]. Hic Gabinius omnibus probris inquinatiſſimus Syriam primo provinciam ſuam miſeris modis afflixerat plus damni ipſi inferens, quam unquam prædones, qui tum temporis ibi potentiſſimi erant, feciſſent. Inde opportunitate turbarum, quæ in Parthorum erant imperio, erectus eos aggredi cogitabat, cum adveniens cum literis Pompeji Ptolemæus, & omnia ſumma pollicitus hominem facile permovit, ut Parthis omiſſis in Ægyptum contenderet. Nam Ptolemæus decem millia talentorum [b], ſive Imperatori, ſive ducibus exercituive ſe daturum promiſerat [c] M. illi Antonio, qui poſtea Triumvir fuit, & tunc Præfectura Equitum apud Gabinium fungebatur [d], Ergo ſpretis legibus, quæ & provincia omnino excedere Præſidem vetabant [e], & nominatim Ptolemæi reductionem prohibebant, in Ægyptum profectus eſt; cum antea etiam Ariſtobulum Judeæ quondam Regem, & jam Roma profugum comprehenſum ad Pompejum miſiſſet [f]. *Berenice*, quæ Ægyptum obtinebat, ut haberet, quem Romanis opponeret, *Seleu-*

a *Dio L. 39. p. 73.* b 6000000. *Phil.* c *Vid. Cic. pro C. Rab. Poſt. c. 8.* d *Plut. Ant. p. m. 916.* e *Cic. in Piſ. c. 21.* f *Dio Ib. p. 74.*

*leucum* arceſſivit Syriacorum Regum ſtirpe oriundum, quem ob ſordidam avaritiam *Cybioſacten* Ægyptii dixerunt. Ea vox *ſalſamentarium*, aut ſimilium *mercium inſtitorem* ſignificare videtur [a]. Sed hunc, quod nulli rei aptum videret, Regina interfecit; licet eum jam regni & tori conſortem feciſſet. Inde iisdem conditionibus ad ſe pertraxit *Archelaum* Archelai, qui bello Mithridatico adverſus Romanos militaverat, filium. Hic vero a Gabinio captus eſt. Sed Gabinius veritus, ne ita a Ptolemæo, quaſi nulla re magni momenti, geſta, minus pecuniæ, quam convenerat, acciperet; imo pluſquam pactus eſſet ſe accepturum ſperans, ſi Archelaum Ptolemæus pertimuiſſet, hominem aufugere ſivit, cum etiam ab eo magnam vim nummorum expreſſiſſet: isque Archelaus ita Reginam Ægyptiam uxorem duxit. Inde a Gabinio præmiſſus Antonius *Peluſium* cepit [b] opera potiſſimum Antipatri, qui Herodis Magni pater fuit; & qui perſuaſit Judæis, quorum ingens multitudo ibi degebat, ut urbem Antonio traderent [c]. Mox etiam victis Alexandrinis [d], cæſoque inter alios Archelao, Ægypto omni e veſtigio potitus eam Ptolemæo reddidit: qui filiam ſtatim & mox locupletiſſimum quemque interemit [e], ut pecuniam Romanis promiſ-

a *Vid. Caſaub. ad Strab l. XVII. n.* 296. b *Joſeph. de Bell. Jud. L. I. c.* 6. *Plut. Anton. p. m.* 917.
c *Joſ. Ant. Jud. L. XIV. c.* 11. d *Cic. in Piſ. c.* 21.
e *Dio l. d.*

miſſam conficeret. Gabinius tamen, qui Romam hæc omnia nequidem nunciaverat, ne ſui ipſius accuſator foret, eo nomine accuſatus fuit: & accedebant aliæ accuſandi cauſſæ, a, provincia prædonibus prodita, publicani prohibiti, quo minus vectigalia exigere poſſent, & ſi quæ aliæ cauſſæ fuerunt. Et videtur etiam a Cicerone, qui quondam eum defenderat,
A. U. 698. fuiſſe accuſatus [b], populo ad eum condemnandum paratiſſimo. Sed ſtudebant ei Conſules Pompejus Craſſusque, qui prædæ Gabinianæ participes fuerant. Verum,
A. U. 699. cum anni ſequentis Conſules L. Domitius Ahenobarbus & App. Claudius Pulcher, qui etiam cum Pompejo hoc tempore inimicitias gerebant [c], ipſi eſſent adverſi, Senatus acerbiſſimi in Gabinium ſupplicii ſtatuendi Populo auctor fuit. Et plurimum etiam invidiam Gabinii auxerat, quod legatum a Craſſo ſucceſſore ſuo miſſum non receperat: ſed poteſtatem, quaſi perpetuam eam accepiſſet, retinuerat. Licet autem immenſa largitione uteretur, & Pompejus efficeret, ut ipſe etiam Cicero iterum ejus cauſſam ageret, *de majeſtate* quidem abſolutus, *de repetundis* condemnatus fuit, & exſilium ſubiit: unde tamen poſtea a Cæſare, qui nequiſſimorum hominum opera, ut deſtinata perficeret, indigebat, reductus eſt [d]. Et hujus Regis Ægyptii cauſſa etiam *C. Rabirius*

a *Cic. de prov. conſ. c. 5.* b *Sed vid. Sigon. & Patric. ad fragm. Or. pro Gabinio.* c *Dio L. 9 p. m. 75.* d *Dio L. 39. f.*

*birius* accuſatus fuit, qui potens imprimis inter publicanos Regi pecuniam mutuam dederat, qua Senatores corrupiſſe dicebatur. Inde Regem ſecutus, ut pecuniam reciperet, ab eo pecuniæ regiæ curandæ præfectus fuerat [a]. Tum pecuniam a Rege ad abſolvendum Gabinium imperatam coegerat; ejusque partem ipſe pro ſoluto acceperat; ita ut hæc cauſſa quaſi appendix quædam cauſſæ Gabinianæ fuerit habita.

## CAPUT QUINTUM.

### *De cæde Clodii & tertio Pompeji Conſulatu.*

Antequam iterum ad bella externa convertamur, alias adhuc turbas domeſticas narrabimus, quanquam paullo ſerius evenerint, ut ſeries rerum aptior ſit.

§. I. Ingentes inimicitiæ, quæ inter Clodium Ciceronis inimicum, & T. Annium Milonem ejuſdem defenſorem intercedebant, Clodio demum exitiales, nec Miloni lætæ fuerunt. Petierat Milo conſulatum in A. U. 701. effuſiſſima quidem largitione, ita ut inde æris alieni vim incredibilem contraxerit: (ſeptingenties HS. [b] illud fuiſſe dicit Plinius [c]) imo tria patrimonia in eas largitiones effuderit [d]. Quin & Milo, &, qui cum eo

*De cæde Clodii. A. U. 701.*



a *Cic. pro C. Rab. Poſt. c.* 8. b *Phil.* 1750000. c *H. N. XXXVI. c.* 15. d *Or. pro Mil. c.* 35. *Aſcon. in ejus arg.*

petebant, *P. Plautius Hypſæus*, *Quintus*que *Metellus Scipio* Pompeji Socer [a] factionibus armatorum erant ſuccincti. Clodius vero, cui Milo audacia non cedebat, eodem anno petebat præturam: quam debilem futuram Conſule Milone intelligebat [b]. Cum autem comitia conſularia in longum extraherentur, neque ob perditas candidatorum contentiones perfici poſſent; atque ita Kalendis Januariis (quæ circa finem Novembris Juliani hoc anno fuerunt) nulli neque Conſules, neque Prætores eſſent, Pompejus tamen cum *T. Munatio Planco* Tribuno plebis non permittebat, ut patricii convocarentur, qui Interregem *proderent*. Sed interea evenit, ut Miloni Lanuvium, ex quo erat municipio, proficiſcenti in via Appia obviam veniret Clodius: atque ibi rixa coorta inter ſervos Clodii, quos pro more Romanorum procerum plures circa ſe habebat, & Milonis ſervos (nam etiam hic maximum eorum agmen intermixtis quibuſdam gladiatoribus ducebat) Clodius vulneratus fuit. Et mox ex taberna, in quam confugerat, juſſu Milonis extractus & occiſus eſt. Fortuitam hanc rixam & cædem fuiſſe, & Milo, & patronus ejus Cicero videri voluerunt, a parte nempe Milonis: nam Clodium ei inſidias poſuiſſe dicit Cicero [c]. Præſciviſſe tamen hanc cædem Clodii Ciceronem ex loco quodam epiſtolarum ad Atticum colligi poteſt [d]: qui

a *Aſcon. Ib.* b *Or. pro Mil. c.* 9. c *Pro Mil. c.* 10.
d *Vid. L. IV. n.* 3.

qui tamen alibi negat a, hoc unquam ſibi fuiſſe objectum: quanquam ipſe in *oratione pro Milone* b aſſerat, dixiſſe quoſdam, *manu Milonis cædem eſſe factam; conſilio vero majoris alicujus;* ſe ipſum nimirum innuens. Admodum certe; nec immerito, cæde Clodii gaviſum fuiſſe Ciceronem, vel inde patet, quod epiſtolam quandam ad Atticum c ex Cilicia provincia ſua ſcribens addat, *ſcriptam fuiſſe die ſeptingenteſimo ſexageſimo quinto poſt illam cædem;* quam ibi *Leuctricam pugnam* vocat; cujus appellationis rationem indagent alii. Facta fuerat Clodii cædes ad Kalendarium Romanum III. vel XIII. Kal. Februarias d.

§. II. Corpore Clodii Romam perlato ingentes motus ſunt facti. Et uxor ejus *Fulvia* e, ut facti invidiam augeret, vulnera ejus cum effuſa lamentatione oſtendebat. Itaque poſtridie infimæ plebis & ſervitiorum tantus concurſus factus eſt, ut complures noti homines, & inter eos *C. Vibienus* Senator, eliderentur f. Inde in forum delatum eſt corpus Clodii, & populus illud in curiam intulit, cremavitque incenſis ſubſelliis, & aliis rebus forte oblatis g: quo igne ipſa quoque curia conflagravit; aliaque gravia, quæ ſeditio ſuggerit, facinora patrata ſunt. Milo vero nihilo deterius conſulatum petere aper- *Motus ex hac cæde.*

Z 2 ta et-

a *Phil. II. cap. 9.* b *Phil. II. cap. 18.* c *L. VI. n. 1.*
d *Vid. Malaſpinam & Man. ad d. Cic. l.*
e *Aſcon. procem. pro Mil.* f *Pro Mil. c. 14.*
g *Vid. ib. c. 13.*

ta etiam largitione eſt auſus [a]. Ita ut octingenta talenta [b] inter cives dividenda apud ſequeſtres depoſuerit [c]. Et connivebat ad omnia Pompejus, ut Reſpublica Dictatorem requireret. Itaque, cum propter has turbas comitia haberi non poſſent, aliique ex aliis interreges fierent, factum eſt tandem illud extremæ neceſſitudinis Senatusconſultum [d], *Viderent Interrex, & Tribuni plebis, & Pompejus*, (qui Proconſule ad Urbem erat) *ne quid Reſpublica detrimenti caperet; delectus Pompejus tota Italia haberet.*

*Tertius Pomp. conſulatus.* §. III. Cum vero ſermonibus paſſim jactaretur, *Dictatorem eſſe creandum Pompejum* [e], idque Tribuni quidam plebis pararent, tutius viſum eſt optimatibus ex ſententia Bibuli & Catonis [f], Conſulem eum *ſine collega* creari; cum alii Tribunos militum Conſulari poteſtate, ut in antiqua Rep. creandos eſſe cenſerent, quo per plures Reſpublica adminiſtraretur [g]. Ita Pompejus v. Kal. Mart. primus ſine collega Conſulatum inivit, & ſtatim leges tulit [h], *de vi* unam, alteram *de ambitu*. Et mox L. Domitio Ahenobarbo ſuffragiis Populi Quæſtore creato Milo *de vi*, *de ambitu*, *de ſodalitiis* accuſatus fuit [i]. Cicero eum defenſurus ( centeſimo poſt cla-

a *Dio L. 40. p. m. 92.* b *Phil.* 480000. c *Appian. Civ. L. II. 438. nam ibi Milonem notat.*
d *Aſcon. ad procem. Mil. ipſa Or. c. 26.* e *Attic. L. IV. n. 15.* f *ad Quint. fr. L. III. n. 8. 9.*
g *Plut. Pomp. p. 648. Caeſ. p. 721. & Cat. p. 782.*
h *Dio L. 40. p. m. 90.* i *Cic. pro Mil. c. 8.*

cladem Clodii die hæc defenſio facta eſt [a]) ingenti Clodianorum acclamatione exceptus fuit, ita ut non ea, qua ſolitus erat, conſtantia dixerit [b]: præſertim cum etiam præſidiis armatorum forum undique cinctum eſſet [c]. Nec eam dixit orationem Cicero, quam hodie habemus: ſed poſtquam Milo voluntate Pompeji damnatus, (licet Cato eum palam ſententia lata abſolveret [d]) & in exſilium Maſſiliam profectus eſſet, eam, quæ exſtat orationem conſcripſit: quam Milo, cum a Cicerone miſſam accepiſſet, præclare ſibi eveniſſe dixit, quod illam Cicero in judicio non pronunciaſſet: nunquam enim futurum fuiſſe, ſi hoc modo pro ſe dictum fuiſſet, tantos ut mullos Maſſiliæ ederet [e]. Et in priore illa de jure egerat Cicero; cum factum defendere debuiſſet [f]. Tum multa etiam, quæ cædem a Milone conſulto factam; & plura, quæ ſimul per vim patrata fuerant, ſilentio prætermiſit. Bona ejus propter æris alieni magnitudinem ſemuncia venerunt; ſive ſeſtertio nummo ſunt addicta [g]. Ipſe, cum bello civili Pompejano, Pompeji partibus, ut videtur, addictus *Coſam* in agro Thurino oppugnaret, lapide ictus ex muro periit [h]. Pompejus porro etiam

 alia

a *Ib. c.* 35. b *Aſcon. in arg. Mil. j.* c *Pro Mil. c.* 1. *Lucan. L. I. v.* 323. d *V. ll. L. II. c.* 47.
e *Dio L.* 40. *p. m.* 93.
f *Vid. Voſſ. Inſtit. Or. L. I. c. VI.* §. 1. *L. IV. c. X.* §. 6. g *Aſcon. pro Mil. c.* 35. h *Cæſar B. C. L. III c.* 21. *ſq.*

alia judicia ſevere exerceri fecit a, in Gabinium *majeſtatis*; in Hypſæum, Sextium, *Memmium* & *Scaurum ambitus*: & in hujus judicio obſtrepentem plebem per milites disjecit; ita ut plures confoderentur. Sed Memmius, cum ipſius Pompeji lege de ambitu lata impunitas concederetur ei [b], qui alterum ejuſdem criminis accuſaſſet, ipſum Pompeji ſocerum *Q. Metellum* Scipionem accuſavit. At Pompejo cum multis aliis veſtem ejus cauſſa mutante, Memmius de ſtatu Reipublicæ queſtus accuſationem omiſit. Plancus etiam & Rufus Tribuni plebis, cum magiſtratu abiiſſent, aliique præterea propter incendium curiæ damnati ſunt. Cum ita Pompejus per aliquod tempus ſolus conſulatum geſſiſſet, ut invidiam vitaret, in quinque menſes, qui ad finem anni ſupererant, collegam ſibi adjunxit, quem modo diximus, ſocerum ſuum Metellum [c]: licet tamen etiam poſt hoc tempus Rempublicam ſolus fere adminiſtraret.

## CAPUT SEXTUM.

### *De bello Parthico.*

*Occaſio belli. A. U. 698.*

§. I. ANno Urbis ſexcenteſimo nonageſimo octavo Conſulatum per vim invitis bonis adepti fuerant Cn. Pompejus Magnus & M. Licinius Craſſus, uterque iterum eum magiſtratum gerentes. Et

a *App. Civ. L. II. n.* 442. b *Ib. & Dio L.* 40. *p.m.* 93. c *App. Al. L. II. n.* 442.

Et ex conjuratione anno præcedente Lucæ facta Cæſari quidem lege *Trebonia* Galliæ in aliud quinquennium ſunt datæ; Pompejo Hiſpaniæ per legatos adminiſtrandæ, (qui tamen, tum, quod Populo id gratius eſſe ſciret; tum, quod ipſe eſſet vir uxorius, in Urbe, vel ad eam, plurimum erat manſurus) Craſſo vero Syria [a]. Hic, ut erat ditiſſimus ſimul & avariſſimus, Parthico inhians auro Syriam non tantum & *Parthiam*; verum *Indos* jam & *Bactrianos* ſpe devoraverat: idque cum in lege, qua provinciam acceperat, nihil *de bello Parthico* fuiſſet adſcriptum. Unde patet, quo jure *ſanctiſſimum* eum vocet Vellejus [b]; *qui neque in pecunia, neque in gloria concupiſcenda aut modum noſceret, aut caperet terminum*, ut ibidem ipſe adjicit? *Atejus* quidem *Capito* Tribunus plebis iter ejus impedire conatus eſt: ſed cum per collegas id facere non poſſet, ad portam accurrens ſingulari quodam exſecrationis genere Craſſum exeuntem diris devovit [c]. Et merito a bello Parthico abhorrebant, ſi qui Romanorum æquitatis eſſent ſtudioſi, cum Parthi potius a Romanis, quam hi ab illis læſi eſſent. Nullam enim aliam belli cauſſam habebat Craſſus, quam quod ingentes eſſe Parthorum divitias audiviſ-



a *Plut. Craſſo p. m. 552. Appian. Parth. init. qui Plut. fideliſſime ſequitur & totidem verbis ſæpe, quæ ille habet, in ſuam hiſtoriam transfert.* b *L. II. c.* 46. c *Vid. & Cic. Of. I. c.* 8. d *Vid. Cic. Divin. I. c.* 16. *II. c.* 40.

ſet. Nam turbæ quidem domeſticæ Parthorum nihil ad Romanos attinebant.

*Ipſum bellum.*

§. II. Craſſus tempeſtatibus jactatus, multiſque navibus amiſſis in Syriam, provinciam ſuam, pervenit. [a]. Sed ibi rebus quibuſdam ſatis quidem proſpere, at que magni momenti non eſſent, gerendis [b] tempus parandi bellum Parthis conceſſit. In ipſa etiam provincia exactoris potius pecuniarum, quam Imperatoris partes egiſſe dicitur: ex templo quoque Hieroſolymitano duo millia talentorum [c], quibus abſtinuerat Pompejus, auferens [d]: imo omne reliquum aurum, cujus ſumma ad octo millia talentorum [e] accedebat, tollens, ut alio loco [f] (ſi nullus in numeris error eſt) Hiſtoricus Judæorum tradit. Mox arroganter legatis Parthorum monentibus, *ut fœderum cum Sulla Pompejoque percuſſorum meminiſſe vellet* [g], reſpondit, *ſe* Seleuciæ (una ex regiis hæc erat Parthorum urbibus) *reſponſum ipſis eſſe daturum*. Neque magis audivit amicos, & Quæſtorem ſuum *C. Caſſium* hortantes, *ut amplius deliberaret*; nec vates, *litari non potuiſſe*, indicantes: Nihilo magis auſcultavit iis, qui ex oppidis *Meſopotamiæ*, ubi Romanorum erant præſidia, magno cum periculo evaſerant; & qui magno cum terrore militum nihil tale exſpectantium de numero, de forti-

a *App. Parthic. n.* 136. b *Dio L.* 39. *p.* 73. *L.* 40. *p.* 80. c *Phil.* 1200000. d *Joſeph. B. I. L. I. c.* 6. e *Phil* 4800000. f *Ant. Jud.* XIV. *c.* 12. g *Flor.* I. *III. c.* 11.

fortitudine, de egregia pugnandi ratione hoſtium nunciabant. Sed regulo Armeniorum *Artabazi* ad bellum hortanti, & auxilia quædam adducenti, plura pollicenti magis obtemperans in hoſticum ulterius proceſſit, magnam Meſopotamiæ partem populando peragrans, quod ejus tranſitus inexſpectatus Parthis accidiſſet: & multas urbes, quas olim ibi condiderant Græci, in fidem recipiens. Sed deſiderio amoenitatum Syriæ intempeſtive decedens, cum facile in hoſtico hybernare potuiſſet, Parthis ad bellum imparatiſſimis, hoſtibus relictos in Meſopotamia milites opprimendi occaſionem præbuit [a]. Acceſſit quoque ad Craſſum *Agbarus* Arabum phylarchus, qui Parthos jam dudum paratos eſſe, ut in Scythiam, aut *Hyrcaniam* abreptis ſecum rebus quibuſque pretioſiſſimis aufugerent, mentiebatur: atque idem poſtea, ſe neceſſaria quædam curaturum eſſe fingens, diſceſſit. Et adeo pravis hiſce conſiliis delectabatur Craſſus, ut Artabazi (Tigranis hic erat filius) auxilia quidem non mittenti, quod ipſe jam gravi a Parthis bello diſtineretur, ſed prudenter ſuadenti, ut vel ad ſe deflecteret, vel certe campos equitatui aptos vitaret, reſponderit *jam quidem ſibi tantum non eſſe otii, ut Armeniam curet; ſed in reditu Artabazen proditionis pœnas eſſe daturum*. Atque inde Euphratem ad *Zeugma* tranſit [b] mœſtiſſimis militi-

a *Diod. l. A. U.* 700. b *App. n.* 141.

militibus ob varia triſtia omina, quæ ipſis eveniſſe dicuntur [a]: & imprudenter longius inde receſſit, cum hoc flumine commeatus ipſi advehi potuiſſent. Verum cum Parthi præter exſpectationem ipſi obviam eſſent facti, obſtupuit; & reliquis etiam attonitis omnia apud Romanos confuſius agebantur, dum major pars ducum præfectorumve cenſeret, diem craſtinum eſſe exſpectandum, ut certius de hoſtium multitudine & ordine cognoſci poſſet. Sed filius Craſſi *Publius*, acris animi juvenis, qui cum ſatis magnis copiis ex Gallia, ubi fortiter ſub Cæſare militaverat, patri auxilio erat miſſus, prælium urſit: & ipſe quidem fortiſſime pugnans, fugiendi opportunitatem aſpernatus, cecidit [c] manu armigeri ſui, ut petierat, confoſſus. Atque ita, cum Agbarus quoque ſe jam hoſtibus junxiſſet [d] plerique ex præcipuis Craſſi amicis periiſſe dicuntur: quin tot ſunt cæſi, ut quingenti ſolum vivi in hoſtium poteſtatem venirent.

*Belli exitus.* §. III. Craſſus, cum hoſtes a cæde filii (nam hic juſſu patris aliquantulum ante reliquum agmen proceſſerat) venientes, & caput ejus conto præfixum præferentes vidit, majore quam antea animo ſuos hortatus eſt, ne propterea animum deſponderent: &, *ſuam, non patriæ, eam cladem eſſe*, dicens ad fortitudinem eos, ſed

a *Dio L. XL. p.* 82. *Val. Max. L. I. c.* 6. *n.* 11.
b *Dio L.* 39. *p. m.* 71. *Cæſ. B. G. L. I. c.* 52. *III. c.* 11. *&c.* c *App. n.* 146. d *Dio l.* 40. *p. m.* 83.

ſed parvo ſucceſſu incendere conabatur. Parthi tamen, prælio ad noctem protracto, diſceſſerunt [a]. Romani, qui noctem illam triſtiſſime exegerant, ante lucem taciti diſcedere cœperunt ducibus Caſſio Quæſtore & Legato *Octavio*: nam Craſſus iterum plane obtorpuerat. Sed quatuor millia ſauciorum in caſtris reliquerunt, qui a Parthis poſtridie jugulati ſunt: ut etiam alii multi, qui ab agmine aberraverant. Reliqui pervenerunt *Carras*: cujus urbis præfectus *Coponius* Craſſum cum ſuis copiis recepit. At his *Surenas* (ita dicebatur apud Parthos [b], qui Regi dignitate erat proximus [c]: & eo fere loco videtur fuiſſe, quo apud Romanos Imperatores erant *Præfecti Prætorio*, aut hodie apud *Turcas Magni Vizirii*) poſtridie pacem obtulit: ſed ſubdole, ut eos ab ulteriore fuga prohiberet. Craſſus tamen cum Caſſio (qui poſtea cum *Brutis* princeps conjurationis in Cæſarem fuit) fugam agitavit. Verum prodita ſunt ejus conſilia a quodam *Andromacho*, cui ſe, ut viæ duci crediderat [d]: & idem præterea Romanos in loca iniqua deduxit; Caſſio tantum, qui ei non fidebat, cum quingentis equitibus in Syriam elapſo: eamque provinciam fortiter & fideliter, ut mox videbimus, in poteſtate Romanorum retinuit [e]. At eum etiam ſic Romani fortiſſi-

a *App.n.*148. b *Vid.Plut.Craſſo p.m.*566. *App.n.* 140. c *Vid. B. Briſſon. de regno Pers.L.I.p.m.* 7. & 134. d *App.d.l.n.*150. e *Vell.Pat.L.II.c.*46.

rtiſſime pugnarent, Surena iterum per captivos quoſdam e cuſtodia dimiſſos rumorem ſparſit, ac ſi Parthorum Rex Orodes a pace facienda non abhorreret: & etiam ipſe dextra protenſa Craſſum ad pactionem faciendam invitavit. Craſſus vero nullam mutationis repentinæ cauſſam videns omnia habebat ſuſpecta: ſed a militibus coactus ad colloquendum cum Surena deſcendit: & antequam in ejus conſpectum veniret interfectus eſt [a]. Caput ejus & dextra ad Orodem miſſa ludibrio barbaris fuere: imo aurum liquefactum ipſi in os infudiſſe dicuntur [b], ut ita avaritiam ipſi exprobrarent. Ex militibus Craſſi plures ſe Parthis dediderunt [c]: pauci fuga evadere conati ab Arabibus interiecti ſunt. Pœnas tamen perjurii & crudelitatis horum criminum auctores dederunt. Et ipſe Surena non adeo poſt multum tempus a Rege præ invidia gloriæ, quam devictis Romanis retulerat, occiſus eſt.

*Res a Caſſio geſtæ.* §. IV. Victo Craſſo Parthi eo quidem tempore contenti fuerunt; neque tranſierunt Euphratem. Sed mox, cum neque Imperatorem, neque exercitum Romanum in Syria eſſe putarent, eam non magno exercitu invaſerunt; & a Caſſio facile repulſi ſunt [d]. Verum majore numero reverſi Antiochiam uſque progreſſi ſunt: cum neque juſtis copiis Romani eam pro-

a *Appian. n.* 153. b *Dio L.* 40. *p. m.* 85. c *Horat. Od III. V. v.* 5. d *Joſeph. de bell. Jud. L. I. c.* 6.

provinciam tenerent ; & Syri Romanorum tædio ad Parthos inclinarent. At iterum eos Caſſius fortiter propulſavit ; inſidiisque locatis ducem eorum *Oſacem* interfecit. Atque ita Pacorus Orodis filius Syria excedere coactus fuit. Reliqua cum Parthis geſta libro ſequente referemus. *A. U. 702.* Nam Bibulus quietam fere Syriam habuit, Parthos ad diſcordias domeſticas occultis artibus incitans a.

## CAPUT SEPTIMUM.

### *Bellum Gallicum Cæſaris & Britannicum.*

§. I. GAlli per longum ſatis tempus quieti fuiſſe videntur b, donec inſana Cæſaris ambitio & avaritia eum his gentibus bellum inferre coegit. *Bellum cum Helvetiis.* Facile enim intelligimus, eum propterea ex omni provinciarum copia Gallias potiſſimum elegiſſe, quod eas ditiſſimas eſſe probe ſciret: atque iis direptis, tum immane æs alienum, quod contraxerat, diſſolvere: tum novam ſibi parare pecuniam poſſet, qua ad tyrannidem occupandam ſibi viam ſterneret. Et præterea idoneam materiam triumphorum hæc regio erat præbitura c. Cumque etiam Pompejus pro Cæſare niteretur, facile, quod appetebat, obtinuit d. Et initio quidem *A. U. 694.* ſolam accepit *lege Vatinia* Ciſalpinam Gal-

a *Dio L. prox. d.* b *Vid. Supr. L. VIII. c. 7.* c *Suet. Jul. c. 22.* d *Plut. Cæſ. p. m. 714.*

Galliam Illyrico adjecto. Quam legem licet Populus ſciviſſet contra *legem Semproniam*, qua ſancitum erat, „ Ut quotannis Senatus de provinciis conſularibus „ pro arbitrio conſtitueret, tamen Senatus *Comatam* quoque, ſive *Tranſalpinam* Galliam adjecit; ne, ſi ipſe negaſſet, Populus & hanc daret [a]. Sic voto potitus Cæſar in provinciam abiit. Et quæ ibi bella geſſit, ex ipſius fere Cæſaris commentariis nobis referenda ſunt. Quod ſi aut Germani, aut Galli eorum hiſtoriam nobis reliquiſſent, non dubito, quin cauſſas juſtiſſimas bellandi Gallis ac Germanis fuiſſe inde appariturum fuerit. Nam vel ex ipſis *Cæſaris commentariis* ſatis liquebit, parum integra veritate eos fuiſſe compoſitos; ut jam olim de iis dixit, qui ipſum Cæſarem novit, *Aſinius Pollio* [b]. Et ex ipſis Romanarum rerum ſcriptoribus hæc patent: qui paſſim teſtantur, nummos & gloriam quæſiviſſe Cæſarem: &, qui id quærit, de juſtitia cauſſæ multum ſollicitus non eſt. Bellum autem in Gallia jam excitatum fuerat, quod per novem annos a Cæſare geſtum fuit [c], cum A. U. 695. *Helvetiorum* ingens multitudo relictis ſedibus ſuis, (quod jam ante triennium agitaverant [d]) & oppidis ſuis duodecim, vicis quadrin-gentis

a *Suet. l. d.* b *Suet. Ib. c. 56. V. I. G. Voſſ. Art. Hiſt. c. 12. de Hiſt. Lat. I. c. 13. Cluver. G. A. I. n. m. 33. Sigon. de ant. jur. Prov. I. 6. Dio L. XXXVIII. p. m. 48.* c *Suet. Jul. c. 25.* d *Caſ. de B. G. l. 2.*

gentis incenſis [a], partem Galliarum occupatura a Julio Cæſare tranſitu Provinciæ prohibita fuerat [b]: Et pars eorum Tigurini, quæ alio itinere in *Santones* [c] proficiſcebatur, a Cæſare dum *Ararim* [d] tranſit, cæſa fuerat [e]: qui ſuperſtites ſedes ſuas repetere coegit, ne vacuas illas Germani occuparent. Alii repentino Cæſaris adventu commoti pacem, ſed fruſtra, poſtulant: & mox parte equitatus Cæſaris fuſa iter facere pergunt, *Dumnorigis* cujuſdam Æduorum Principis præcipue amicitia fiſi; cujus tamen conſilia mature a Cæſare intellecta & diſpulſa ſunt. Sed Helvetii [f], qui jam equitatum Cæſaris vicerant, cum Cæſar rei frumentariæ proſpecturus ab iis iter avertiſſet, eum fugere rati [g] itinere converſo inſequi cœperunt. Verum difficili & multiplici prælio victi in deditionem venerunt: ſaltem pars eorum, qui regreſſi urbes ſuas reſtitutas incoluerunt.

§. II. Inde Æduorum legati queſti ſunt, a principibus quibuſdam Arvernorum Sequanorumque [h], qui ſecum de potentatu contenderant, accitum eſſe *Arioviſtum* (*Erenbeſt*, aut *Erneſt* forte dictus fuit, quod *honoratum* vertere poſſis [i]) Germanorum Regem; partem eum Sequanorum occupaſſe; reliquis atque adeo omni Galliæ minitari, niſi quid in Cæſare Romaniſque auxilii ſit. Sed non addiderant, ſe

*Res cum Germanis geſta.*
*A. U.* 695.

a *Plut. Cæſ. p. m.* 716. *Flor. L. III. c.* 10. b *Cæſ d. l. c.* 8. c *Xaintonge* d *La Saone.* e *Ib. c.* 12. f *Ibid. c.* 20. g *Dio L.* 38. *p. m* 49. h *Cæſ. L. I. c.* 31. i *Vid. H Junii Bataviam p. m.* 404.

ſe priores partem aliquam regionis ademiſſe Germanis. Et videntur tantum rem gratam Cæſari facere voluiſſe, cujus cupiditatem videbant [a]. His permotus Cæſar legatos ad Arioviſtum mittit poſtulantes, ut loco utriuſque colloquio delecto de ſumma Republica cum eo agere poſſet. Reſpondit Arioviſtus, & fortiter, ut liberum hominem & gentis ſuæ principem decebat, *Si quid ipſi a Cæſare opus eſſet, ſeſe ad eum venturum fuiſſe: ſi quid ille a ſe velit, illum ad ſe venire oportere: mirumque ſibi videri, quid in ſua Gallia, quam bello viciſſet, aut Cæſari, aut omnino populo R. negotii eſſet* [c]. Inde etiam alii nuncii ſimile fere mandatum & reſponſum ferentes ultro citroque commearunt. Petiitque porro ab Arioviſto Cæſar, „ ut ſociorum obſides redderet; neve in eorum „ regionem ingrederetur; neve ex patria „ auxilia arceſſeret: eaque omnia irritandi tantum Arioviſtum cauſſa, quo juſtiorem belli rationem habere videretur [d]. Nam plane injuſtum cum Arioviſto fuiſſe bellum ratio æqui & boni ſatis docet. Et cum Treviri nunciaſſent etiam *Suevos* tranſitum Rheni moliri, Cæſar magnis itineribus ad Arioviſtum contendit. Maxima hæc fuit Germanicarum gentium; neque eas tum terras, vel non ſolas incolens, quæ hodie *Sueviæ* nomine dicuntur: ſed quicquid inter *Salam*, *Albim*, *Viſtulam*, Danubiumque, & mare Septentrionale

a *Dio l. prox. d.* b *Cæſ. Ib. c. 35.* c *Flor. III. 10.*
d *Dio d. l. p. 50.*

trionale interjacet [a]. At ex rumore fortitudinis Germanorum ingens pavor Romanos invaſerat: ita ut plurimi trepidarent, præſertim qui ex Urbe amicitiæ cauſſa Cæſarem ſecuti non magnum in re militari uſum habebant [b]. Sed Cæſaris oratione metus ille magna parte ſublatus fuit [c], cum ſe vel ſola decima legione bellum geſturum eſſe ſignificaſſet; quam ſibi quaſi Prætoriam delegerat [d]. Venerunt tamen, Arioviſto id poſtulante, ad colloquium [e]: ubi beneficia quædam a S. P. Q. R. in Arioviſtum collata Cæſar memoravit; quæ tamen viro magnanimo parvi ſane pretii eſſe debebant; *quod*, ſcilicet, *Rex a Senatu & amicus appellatus eſſet*, *& muneribus quibuſdam ornatus*. Arioviſtus, *illam amicitiam ornamento ſibi*, *non detrimento eſſe debere*, contendebat; *nihiloque minus ſibi juris eſſe in Galliam*, *quam Romanis*. Itaque, *ſe Cæſarem*, *niſi exercitum deducat*, *pro hoſte habiturum*; ingens præmium & auxilium, quæcunque bella geri vellet, pollicitus, ſi ſibi poſſeſſionem Galliæ tradidiſſet. Dum vero colloquuntur Cæſari, ſi vere, (nam ipſe ſolus hoc tradit) ſive ille ita juſſerat, nunciatur, *milites Arioviſti hoſtili modo Romanos invadere*. Ita colloquium diremptum eſt [f]. Poſt biduum illud repetenti Arioviſto negavit



a *Vid. Tac. Germ. c.* 38. *Cluver. Germ. Ant. L. III. c.* 24. b *Plut. p.* 716. *f. qui id habet ex Cæſ. Dio l. d.* c *Cæſ. L. I. c.* 41. d *Dio d. l. p.* 55. e *Cæſ. Ib. c.* 43. f *Ib. c.* 46.

Cæſar: & poſt paucos dies, cum jam duæ clades ab Arioviſto Romanis eſſent illatæ [a], eum prælio magno fuſum Germaniam repetere coegit [b]: quo prælio incredibilis quidem ardor Romanorum militum fuiſſe dicitur [c]; quippe qui ſuper ipſa ſcuta, quibus ſupra caput elatis teſtudinem barbari fecerant, ſaliiſſe, & in jugulos gladiis deſcendiſſe dicuntur.

*Bellum cum Belgis.*

§. III. Sed dum inde Cæſar hyberno tempore ad conventus agendos, & magis ut rebus urbanis ex propinquo intentus eſſet, pecunias ab hoſtibus captas largiendo benevolentiam civium conſectans, non ſatis ad id attendente Pompejo [d], in Galliam Ciſalpinam proficiſcitur, *Belgæ* omnes contra Romanos conjurant [e], exceptis *Rhemis* [f], Germanis etiam, qui cis Rhenum incolebant, (& inde plerique Belgarum erant orti [g]) ſibi junctis: quorum omnium ob fortitudinem magna auctoritas, magnæ copiæ, maximi erant ſpiritus. Et omnino Belgæ reliquis Gallis erant fortiores [h], & acerrimi defenſores libertatis [i]. Sed cum ſæpius vires tentaſſent, atque eos res frumentaria deficere inciperet [k], domum reverti ſtatuerunt: præſertim, cum etiam Æduos in eorum ditionem irrupiſſe nunciaretur [l]. At miſſa a Cæſare manus magnam multitudinem ho-

a *Dio L. 38. p. 56.* b *Plut. Cæſ. p. 717.* c *Flor. L. III. c. 10.* d *Plut. Ib.* e *Cæſ. B. G. II. c. 1. Dio L. 39. init.* f *ceux de Rheims.* g *Cæſ. Ib. c. 4.* h *Id. L. I. c. 1.* i *Flor. d. l.* k *Cæſ. II. c. 10.*

hoſtium abeuntium & ſugientium concidit: & ipſe incredibili celeritate victoriam urgens [a] *Noviodunum* [b] capit; & præterea *Sueſſones* [c]; *Bellovacos* [d]; *Ambianoſque* [e] in deditionem accipit: Inde exercitum in *Nervios* [f], Belgarum fortiſſimos; duxit: qui ultro eum nil tale exſpectantem adorti ejus equitatum profligaverunt; centuriones duarum legionum omnes occiderunt: Imo anceps adeo prælium fuit; ut caſtra utrimque caperentur; [g] & ipſe Cæſar cum ſatellitibus ſuis in tumulo quodam obſeſſus fuerit: [h] Cæſaris tamen caſtra capta ſunt, dum ipſe fugientes inſequitur: qui mox ab inſequendis fugientibus reverſus hoſtium prædæ intentorum magnam ſtragem edidit; [i] atque in illo prælio ſua præſertim, & *T. Labieni* legati ſui fortitudine ſuperior fuit [k]. Qui ex graviſſima gentis clade ſuperſtites fuerant pauciſſimi [l]; ſe Cæſari tradiderunt: Cladis ejus terror; & præcipue quod turres bellicas (quæ machinæ barbaris plane erant ignotæ) moenibus ſuis admoveri vidiſſent; *Atuaticos* etiam ad deditionem compulit [m]: Sed cum hi tamen poſtea ex oppido erumpere tentaſſent; occiſis eorum quatuor millibus reliqui in oppidum rejecti ſunt. Et poſtridie ſectionem

Aa 2 oppi-

a *Plut. Ibid.* b *Noyon.* c *ceux de Soiſſons* d *de Beauvais* e *d' Amiens.* f *Pais d' Hainaut, Namur. &c.* g *Cæſ. II. c.* 34. h *Appian. Celtic.* i *Dio l. d.* k *Plut. Cæſ. p.* 728. l *Liv. epit.* 104. m *Cæſ. l.* II. *c.* 31.

oppidi univerſi Cæſar vendidit [a]. Eodem tempore a P. Craſſo certior factus eſt, complures maritimas civitates *Venetorum*, aliorumque [b] in ditionem Populi Rom. eſſe redactas: & *Ser. Galba* legatus ejus quaſdam inter Alpes & Rhodanum ſitas gentes ſecundis aliquot præliis ſubegit [c]. Quieta tamen ibi hyberna habere non potuit; ſed ea ad Allobroges tranſtulit. [d] Ob eas res geſtas dies quindecim ſupplicatio ei decreta eſt, quod ante id tempus acciderat nulli. [e] Sed interim gentes illæ, de quibus modo dixi, maritimæ eos, quos Craſſus frumenti comportandi cauſſa miſerat, retinuerunt, ut ita obſides ſuos reciperent [f]. At Cæſar hoc tempore in Illyricum profectus fuit, vel potius in Galliam Ciſalpinam, ubi Lucæ cum Pompejo & Craſſo eam conſpirationem iniit, de qua vidimus: eoque magiſtratuum & ſenatorum quotquot Rempublicam non curarent, ad eum convenerunt [g]; quæ omnia in commentariis ſuis Cæſar diſſimulat. Atque ex hac conjuratione, Catone nequicquam reſiſtente, Gallia & Germania iterum in quinquennium Cæſari data eſt [h]: qui ejus legis quinquennalis fiducia, privato ſumptu, legiones conſcripſit; [i] & celeriter in provinciam regreſſus complura Gallorum oppida expugnat [k]: cumque etiam

a *Ib.c.33.* b *Liv.d.l.* c *Cæſ.L.III.c.1.* d *Dio L.39. p.m.19.* e *Ipſe L.II ſ. Plut.l.prox.d.* f *Cæſ. L.III.7. ſqq.* g *Plut.l.d.* h *Liv.epit.108.* i *Guer. Jul.c. 24.* k *Cæſ.B.G.L.III.c.24.*

etiam Brutus claſſis præfectus navali prælio eos ſuperaſſet, totius oræ maritimæ bellum confectum eſt. Venetorum plerique in prælio ceciderunt. Reliqui omnes capti ſunt: & principes quidem necati, ceteri in ſervitutem venditi. [a] Vicinæ civitates, quæ defecerant, a *Q. Titurio* Cæſaris legato ad deditionem rurſus coacti ſunt [b]; cum tanta clade affecti eſſent, ut in poſterum aliquid conari auſi non fuerint. Nec minus proſpere apud gentes Aquitanicas a P. Craſſo bellum geſtum fuit: qui etiam ſimulato metu barbaros ſecuros reddiderat [c]. Et *Morinorum* * *Menapiorumque* † agri ab ipſo Cæſare ſunt vaſtati: ſed nulla eorum pars ſubacta eſt [d]. Verum Menapii anno ſequente ab *Uſipetibus* || & *Tencteris* §, Germaniæ gentibus, qui metu Suevorum ſedes ſibi in Gallia quærebant, expulſi ſunt [e]. Cum Cæſare tamen de pace acturi inducias faciunt: ſed interea idoneam cladem Romanis inferunt [f]: quod tamen a junioribus Germanorum invitis ſenioribus factum Dio teſtatur [g]: & mala fide illud diſſimulat Cæſar; ſed, qui ex ſua ipſius narratione facile falſi convincitur. Nam quis credat, adeo communi

 ſenſu

a *Dio L.39. p.m.70.* b *Cæſ. d. l. c.19.* c *Ib. c.27.* d *Dio l. prox. d.* e *Cæſ. L. IV. c. 4.* f *Ibid. c. 12.* g *Ib. p. 71.*

* *Pars Flandriæ maritima.* † *Pars Brabantiæ & Leodienſis diœc.* || *Clivia tranrrhenana, & vicina. Aliis comitatus Zutphanienſis.* §. *Drenthia. Vid. Picart. Annal. Drent.*

ſenſu caruiſſe Germanos, ut (hoc enim narrat Cæſar [a]) omnes eorum principes & majores natu ad eum in caſtra venerint ſui purgandi, & inducias impetrandi cauſſa, ſi tanti ſceleris ſibi fuiſſent conſcii [b]. Idque ex Plutarcho [c] planiſſime patet, qui narrat, Catonem, cum de ſupplicatione Cæſari decernenda in ſenatu ageretur, cenſuiſſe, ut barbaris dederetur ad expiandam a jure gentium violato civitatem, & ad piaculum in auctorem vertendum: quod idem narrans Suetonius [c] addit eum, ne injuſto quidem & periculoſo bello abſtinuiſſe. Cæſar tamen a Germanis eos, qui ſibi Galliæque bellum intuliſſent, ſibi dedi poſtulavit: non quod impetraturum ſperaret: ſed quod occaſionem captaret Rhenum tranſeundi. Nihilominus Cæſar eos retineri juſſit; & fuſis ſtatim gravi prælio Germanis, qui, dum legati ſui apud Cæſarem eſſent, nihil hoſtile metuebant, ita demum iis libertatem conceſſit. Atque ita id bellum confectum eſt. Numerum tamen cæſorum Plutarchus immenſum auxiſſe videtur. At Cæſar, ut Germaniam domaret, ab Ubiis Sicambrorum vicinis & hoſtibus advocatus, celerrime ponte ſuper *Rhenum* ſtructo, in Germaniam tranſiit [d]; & obſides a compluribus civitatibus accepit: ſed octodecim tantum, vel viginti dies in Germania moratus [e] ponte reſciſſo in Gal-

a *L. IV. c.* 23. b *Vid. Brantium ad Cæſ. L. IV. c.* 15.
c *Cæſ. p.* 718. d *Jul. c.* 24. e *Cæſ. d. l. c.* 18.
f *Plut. p.* 719. *Dio d. l. p.* 72.

Galliam rediit. Ex quibus omnibus abunde patet, eum, ut dixerat Cato, nulla belli occaſione, ne injuſta quidem ac periculoſa abſtinuiſſe, tam fœderatis quam infeſtis gentibus ultro laceſſitis. Et non impune eum Germanos perculiſſe, ex Tacito conſtat [b].

§. 4. Inde exigua parte æſtatis reliqua in *Britanniam* trajicit; quod inde hoſtibus auxilia ſubminiſtrari diceret [c], exploratum præmiſſo *C. Voluſeno*; ad quem ſtatim legati complurium civitatum venerunt, obſides & obedientiam Populo Romano præſtandam pollicentes. Sed ipſe cum adveniſſet, Britannos primo ſtatim prælio ſuperat [d]; & obſides imperat. Verum, cum claſſis Cæſaris magnam partem tempeſtate eſſet afflicta, quod ab imperitia potiſſimum Romanorum æſtus maritimos luna plena majores ignorantium erat exortum, Britanni, qui & paucitatem militum Cæſaris noſſent, & pleraque neceſſaria iis deeſſe intelligerent, rebellionem fecerunt; quod his intercluſis neminem poſtea belli inferendi cauſſa in Britanniam tranſiturum confidebant. Et, ni mature Cæſar auxilio adveniſſet, ſeptimam legionem inter frumentandum oppreſſerant. Ergo Cæſar, licet ſe etiam poſtea hoſtes viciſſe jactet [e], inſulam reliquit, cum duplum numerum obſidum legatis, quos miſerant hoſtes, imperaſ-

*Expeditio in Britanniam.*



a *Germ. c.* 37. b *B. G. L. IV. c.* 20. c *Ib. c.* 26. *Dio d. l.* d *Ib. c.* 35.

ſet. Sed eos duæ omnino civitates miſerunt, reliquæ neglexerunt. Anno ſequente iterum in Britanniam Cæſar venit cum magno exercitu [b]: &, licet mox magnam partem navium amiſiſſet, tamen aliis refectis, aliis a Labieno novis confectis eam cito reparavit: ſubductis etiam, quas reliquas habuerat, navibus; & cum caſtris una munitione conjunctis. Sed magnum a Britannis ductu *Caſſivellauni* damnum ipſi illatum fuit [b]: qui tamen poſtea etiam ipſe magnis detrimentis acceptis legatos de deditione ad Cæſarem mittit. Cæſar, tributo [c] obſidibuſque imperatis acceptisque, duobus commeatibus exercitum in continentem terram reduxit: crebris præliis fatigatis magis hoſtibus, quam ſuis commodo auctis [d]. Neque amplius in Britanniam trajecit: quæ ſub *Claudio* demum Imperatore in poteſtatem Romanorum conceſſit. Eodem anno de Gallis Allobrogibus triumphavit *C. Pontinius*, qui Prætor Conſule Cicerone fuerat [e], (alii *Pomtinium*, vel *Pomptinium* vocant, minus recte [f]) & ex Prætura Galliam Narbonenſem ſortitus *Catugnatum* Allobrogum Regem jam A. U. 694. vicerat [g]. Sed hoc demum tempore triumphum impetravit ope Ser. Galbæ, qui ſub eo Prætore in ea expeditione militaverat [h].

§. 5. In

a *Id. L. V. c.* 8. b *Ib. c.* 11.-15. c *Dio L.* 40. *init.* d *Plut. Cæſ. p.* 719. e *Sall. Catil. c* 45. f *Græv. ad Cic. de prov. conſ. c.* 13. g *Liv. epit.* 103. *Dio l.* 37. *p. m.* 30. h *Dio l.* 39 *f.*

§. 5. In Gallia novæ defectionis initium ortum eſt ab *Ambiorige* [a] & *Cativulco Eburonum* * regulis, qui ab *Indutiomaro* Treviro impulſi caſtra Romanorum oppugnavere. At cum repulſi eſſent fraude & inſidiis agere cœperunt: monuitque Romanos Ambiorix, (cum legatos de communi re ſecum acturos ad ſe mitti poſtulaſſet) „ commune eſſe Galliæ conſi„ lium, uno die omnia hyberna Cæſaris „ oppugnare, tum etiam magnam Ger„ manorum manum conductam Rhenum „ tranſiiſſe; conſultent, utrum tutius ſit „ manere an ex iſtis locis abire; tutum „ utique iter per fines ſuos eſſe datu„ rum. " Romani, cum diu in conſilio fuiſſet diſceptatum, noctu diſcedunt: Sed in inſidias deveniunt magna convalli poſitas [b]. Ibi Titurius, dum de conditionibus, quibus ipſe cum militibus ſuis dimitti poſſet, agit (alter legatus *Cotta* colloquium cum hoſte diſſuaſerat) interficitur: quin etiam ipſe Cotta, ſed pugnans. Maxima pars militum, ſive eo ipſo loco, ſive in caſtris interficitur: reliqui noctu ad unum omnes deſperata [c] ſalute ſibi manus inferunt. Ambiorix occaſione ſua uſus etiam *Attuaticos*, Nervios, aliaſque vicinas civitates ad ultionem de Romanis ſumendam incitat; & copiis ex iis gentibus

*Iterum de rebus Gallis.*

a *Cæſ. B. G. L. V. c.* 24. 26. *Liv. ep.* 106. * *Diœceſis Leodienſis* b *Cæſ. Ib. c.* 32. c *Ib. c.* 37. *Plut. Cæſ. p.* 719. *Dio l.* 40. *p. m.* 78. *Brabantiæ*, *Hannoniæ*, *Namurcenſis ditionis pars.*

tibus collectis hyberna Q. Ciceronis maximo impetu, ingenti exercitu, & per plures dies oppugnat: neque ſegnius Cicero, licet tenuiſſima eſſet valetudine, caſtra defendit [a]: idemque, poſtquam cum principibus Nerviorum eorum rogatu collocutus eſt, monuit, *ab armis diſcederent veniamque Cæſaris impetrare conarentur*. At Nervii, cùm Ciceroni fruſtra, ut incolumi diſceſſu contentus abiret, perſuadere conati fuiſſent, caſtra ejus omni conatu & per plures iterum dies oppugnare aggreſſi ſunt. Sed poſtquam Cæſarem, quem nuncio clam miſſo Cicero arceſſiverat, ut ſuos obſidione liberaret, adventare intellexiſſent, omnis multitudo Gallorum ad eum convertitur [b]. Vix autem ſeptem hominum millia adduxerat Cæſar. Ergo magnum ſimulat metum, ut ab hoſtibus contemneretur, vallo altius ſolito educto, portis obſtructis, militibus omni pugna prohibitis: & quod quærebat aſſecutus [c] celeriter hoſtes dat in fugam: atque ita Ciceronem in extremis jam plane periculis verſantem liberavit. Hæc fama incredibili celeritate in Treviros perlata prohibuit quo minus caſtra etiam Labieni oppugnarentur. Cædes tamen Titurii & Cottæ adeo inflaverat hoſtium animos, ut per iſtam hyemem ab exercitu recedere Cæſar non auſus fuerit: eamque vel ſic ſatis ſollicitam habuit, cum præter Æduos & Rhe-

a *Cæſ. lb. c.* 40. b *Ibid. c.* 49. c *Plut. l. d.*

Rhemos nulla fere fuerit civitas non ſuſpecta Romanis [a]. Et Indutiomarus præcipue magno molimine bellum parabat, & Treviros paratiores habebat, quod atrocia ſupplicia a Cæſare in defectores ſtatui audiebant [b]. Germanorum tamen nulli civitati, ut Rhenum tranſiret, perſuadere potuit. Verum ipſe, dum incautius caſtra Labieni oppugnat, qui etiam timoris opinionem hoſtibus injecerat, interficitur; cum Labienus, ne quem hoſtem, niſi occiſo prius Indutiomaro, peterent, edixiſſet. Atque ita hoc bellum terminatum fuit.

§. VI. At Cæſar majus bellum providens copias ſuas plurimum adauxit; dum etiam Ambiorix & Indutiomari propinqui Germanos ſollicitare non deſiſtunt [c]. Cæſar vero Nerviis, Senonibus, ac *Carnutibus* * improviſo adventu ad deditionem coactis in Menapios, qui uni ex Gallia de pace ad Cæſarem legatos nunquam miſerant, proficiſcitur [d]: eoſque ad obſides dandos adigit. Labienus ſimulato metu e Treviris ſe diſceſſurum fingit: atque ita hoſtibus in locum impeditum & iniquum pertractis primo concurſu eos in fugam conjicit; & Trevirorum civitatem recipit. Cæſar autem bellum contra Germanos molitur; Ubiorum, quod bello impliciti fuiſſent, ſatisfactionem accipit; aditus viaſque in Suevos perquirit. Sed cum, eos ſe in ſylvas recepiſſe, intellexiſ-

*Sextus belli Gallici annus. A. U. 700.*

a *Cæſ. L. V. c.* 54. b *Dio L.* 40. *p. m.* 79. *f.*
* *Ceux du Quercy.* c *Cæſ B. G. L. VI. c.* 1. d *Ib. c.* 5.

xiſſet [a], conſtituit non progredi longius verum præſidium apud Ubios in ripa Rheni collocat; & metu Suevorum ſe trans Rhenum recipit [b]. Ita ut ſplendidum ſit Flori [c] mendacium, Cæſarem in *Hercyniis* ſylvis hoſtem quæſiviſſe. Inde per Eburones late vagatus minimum tamen operæ pretium habuit [d] dum interea *Sicambri* *; non ſine magna Romanorum clade ejus caſtra adorti fuiſſent: quos quinque millia equitum Cæſarianorum quingentis ſuis equitibus fugaſſe Appianus in *Celticis* tradit. Quod ſi Livii *liber centeſimus* & *ſeptimus* exſtaret, de Eburonibus & Ambiorige diſtinctius omnia ſciremus.

*Septimus belli annus. A. U. 701.* §. 7. Annno ſequente rurſus multæ Gallorum gentes de recuperanda libertate conſpirarunt, dum ſperant & credunt ob Rempublicam cæde P. Clodii turbatam Cæſarem ad exercitum venire non poſſe [e]: nam quod Plutarchus [f], id factum eſſe fiducia conſpirationis optimatium Romanorum contra Cæſarem, fallit eum ratio, quippe quæ ſerior fuit. Ergo Carnutes cives Romanos, qui negotiandi cauſſa *Genabi* † conſtiterant, interficiunt; & bona eorum diripiunt: eaque fama celerrime ad plures civitates perlata *Vercingetorigem* Arvernum ſibi ducem conſtituunt:

At

a *Ibid. c.* 29. b *Dio L.* 40. *p. m.* 86.
c *L. III. c.* 10.
d *Cæſ. B. G. L. VI. c.* 35. e *Id. L. VII. c.* 1.
f *Cæſ. p.* 720.
* *Habitabant a Rheno ad fontes fere Luppiæ*
† *Aurelianenſium urbs, Orleans.*

At Cæſar cum ſummis itineris difficultatibus conflictatus [a] prius in unum locum omnes legiones coegit, quam de ejus adventu Arvernis nunciari poſſet. Atque ita per mediam hyemem, per intactas vias & nives [b] tanto itinere confecto oſtendit Gallis, invictum ſe vere & inſuperabilem eſſe. Vercingetorix Cæſaris adventu cognito obviam ei proficiſcitur; Galliſque perſuadet, ut vicos ſuos atque ædificia incendant, *Avarico Biturigum urbe*, * excepta; quam defenſoribus probe muniunt. Eam Cæſar multis operibus oppugnatam cepit: ubi nec ætate confectis, nec mulieribus, nec infantibus parcitum eſt [d]. Inde *Gergoviam* † obſedit: ſed, licet trina hoſtium caſtra, quæ ad Gergoviam erant, occupaſſent Romani [e], tamen cum avidius, quam prudentius oppidum invaſiſſent, magna cum clade repelluntur. Igitur expugnatione deſperata Cæſar in Æduos iter intendit: nam etiam hi, quanquam vetuſtiſſimi Romanorum ſocii, defectionem agitabant [f]; eorumque exemplo omnes Galli, perpaucis exceptis rebellionem moliebantur. Invitis vero Æduis fuit, quod Vercingentorigi delata eſt rerum ſumma [g]; qui tamen a Cæſare prælio fuſus eſt. Et Ædui, qui falſo

nuncio

a *Cæſ. d. l. c.* 8. b *Flor. L. III. c.* 10. c *Cæſ. Ib. c.* 14. d *Ib. c.* 28. *Dio L.* 40. *p.* 87.
e *Cæſ. Ib. c.* 46.
* *Hodie Bourges.* † *Forte ubi hodie Clermont en Auvergne.*
f *Plut. l. d. Dio p.* 88. g *Cæſ. Ib. c.* 63.

nuncio ſævitiæ Cæſaris decepti fuerant; cum eo in gratiam redierunt. Sed qui apud Æduos defectionis auctores fuerant, ſupplicium veriti mox novos motus excitarunt, nec a Cæſare tum potuerunt puniri. Inde *Aleſiam* * Cæſar obſedit: Galloſque, qui auxiliis undique convocatis ſocios obſidione liberare conabantur, prorſus profligavit [a]; licet inter duas acies; alteram urbanorum, alteram eorum, qui urbanis auxilio advenerant, conſtitutus eſſet: quorum omnium tamen numerus a Plutarcho nimis augeri videtur. In hoc autem prælio egregio Germanorum auxilio uſus eſt Cæſar: verum optandum fuiſſet, neque hac, neque aliis occaſionibus nobiliſſimam gentem operam ſuam Romanis ad hos alioſque populos liberos ſubjugandos commodaſſe. Vercingetorix porro infantes & mulieres, & reliquam inutilem bello turbam expulit; quæ neque a Cæſare recepta, (nam neque is annona abundabat) neque ad ſuos regreſſum habens in medio urbis caſtrorumque miſerrima morte periit [b]. Cæſar inde Aleſiam, Vercingetorigem, Æduos & plures alios in deditionem recipit: Regem poſtea in triumphum ductum Cæſar necavit.

*Octavus belli annus. U. C. 701.* §. 8. Verum ne ſic quidem Galli, qui ea ætate libertatis erant retinentiſſimi, a reparando bello ceſſabant; compluresque civitates conjurationes facere nunciabantur [c]: Sed repente adveniens Cæſar vaſtatis

ſtatis

a *Cæſ. lb. c. 88.* b *Dio L. 40. p. 89.* c *Hirt. de B. G. ſive L. VIII. c. 1.* * *Aliſe vicus in ducatu Burg.*

ſtatis Biturigum agris eos finitimoſque ad fidem redire coegit; Carnuteſque tempore anni etiamnum difficili oppreſſit. Mox Bellovacos & plures alios aliquot præliis domat; aliorum fines civibus, ædificiis, pecore vaſtat [a]; dum per Labienum Treviros imperata nunquam, niſi coactos, facientes compeſcit. Sed novum interea a *Pictonibus* [b] bellum eſt ortum; cui ſe etiam Carnutes (qui ita male compreſſi fuiſſe videntur) & *Armorici* [c] junxerant: verum adventu *Fabii*, legati imperata ſine mora faciunt. Ab alia parte *C. Caninius* legatus *Lucterii* Cadurcorum & *Drapetis* Senonum regulorum copias opprimit [d]: & Cæſar, cum ſe Caninio junxiſſet, obſidione *Uxellodunum* [e] expugnat: utque exemplo ſupplicii plures a rebellando deterreret, omnibus, qui arma tulerant, infami certe crudelitate manus præcidit [f]. Atque ita, cum etiam Labienus interim Treviros domuiſſet, principibus eorum vivis in poteſtatem redactis, ſequente anno *pacata* univerſa Gallia ultro citroque commeans res ſingulas ordinavit: & ſtipendium in ſingulos annos *quadringenties ſeſtertium* [g] impoſuit [h]. Dicitur autem in Gallia decies centies mille homines cepiſſe; & totidem in præliis interfeciſſe [i]; ita ut, quod de *pacata* Gal- *A. U. 703.*

a *Ib. c.* 24. b *Le Poictou.* c *Ceux de Bretagne.* d *Ib. c.* 36. e *Le peuch d'Iſſoudun.* f *B. c.* 44. g *Suet. Jul. c.* 24. h 1000000. *Phil. Sed omnino cum Lipſ. admir.* II. 3. *lege quater millies, h. e.* 10000000. *Phil.* i *Appian. Celt. Plin. H. N.* VII. *c.* 25. *qui etiam numerum auget.*

*Gallia* dixi, more Romano explicandum ſit; qui, *ubi ſolitudinem fecerant, pacem appellare ſolebant*, ut merito iis objicit apud Tacitum [a] *Galgacus*. Divitiis præterea immenſis ex hoc bello quæſitis viam ſibi ad jugum tyrannidis patriæ ſuæ imponendum ſtravit.

## CAPUT OCTAVUM.

### *Bellum Civile Cæſaris, & Pompeji.*

*Corruptio Reip. hoc tempore.*

§. I. ATque ita hiſtoriam Populi terrarum orbis Principis perduximus ad ea tempora, quibus primo libertatem, & inde, quod neceſſarium erat, brevi tempore ſummam illam potentiam minui, ac paullo poſt ruere Imperium Romanum ſenſit. Ergo in tantas converſionis cauſſas diligentius paullo inquiſiviſſe erit operæ pretium. Et ſunt, qui Cæſarem excuſent [b], quod ſtatum Reipublicæ ſubverterit, ( quam nullam tum fuiſſe, neſcio quo jure, dicit Cicero [c] ) quia ſalva ſiſti non potuerit, niſi imperio ad unum delato [d]: quod idem fere eſt, ac ſi dicerent, non potuiſſe ſervari, niſi perderetur. Et rationem, cur ita ſtatuant, hanc habent, quod ſic paucorum potentia creverat, ut penes eos ſolos imperia, magiſtratus,

a *Agric. c.30.* b *Vid. Rupert. ad Pompon. de Or. jur. L.I. c.12.* c *Vid. Att. VII. n.11. ad Quint. fratr. L. I. n. 2. 4. &c.* d *Cic. de Nat. Deor. L. I. c. 4. Vid. & Tac. Ann. L. I. c. 9. & Hiſt. L. I. c. I. l. 2. §. II. ff. de Or. jur.*

ſtratus, provinciæ eſſent [a]: ita ut illos continuis factionibus inter ſe collidi, & miſeram plebem interim utriuſque partis pati injurias, neceſſe foret. Nec plures leges de ambitu circa hæc tempora latæ profuerunt; quas hic recenſere longum foret. Imo A. U. 699. omnes candidati Conſulares ambitus rei facti ſunt [b]: &, Conſules a candidatis præmia pactos fuiſſe creditum eſt [c]. Ac rurſus anno ſequente ſeptimo vix tandem menſe Conſules creari potuerunt [d]. Verum hæc nequaquam, nec alios, nec Cæſarem Pompejumve, qui Cæſare, hac quidem in parte, non multo melior fuit [e], juverint; cum ejuſmodi ingenii homines ipſi cauſſa fuerint, cur in eas miſerias Reſpublica dilaberetur. Neque enim magis Pompejus, quam Cæſar a nimiæ potentiæ cupiditate, ſceleribuſque, quæ eam cupiditatem comitari ſolent, immunis fuit: (nam ex utraque parte erant, qui pugnare cupiebant [f]) & hoc ſolum ejus cauſſam commendat, quod plures viri principes eam ſecuti ſunt. Quod ſane mirum non fuit; cum major profecto Pompeji, quam Cæſaris, eſſet dignitas ex triumphis, ex magiſtratibus, ex rebus geſtis, ex abſtinentia & continentia



a *Sall. Cat. c. 20. Sed in ipſius Catilinæ oratione. Ib. c. 39. Id. Jugurth. c. 31. 41.* b *Cic. Att. IV. n. 15.* c *Ibid. n. 14. ad Quint. fr L. III. n. 14. L. II. n. 15.* d *Dio L. XL. p. m. 90.* e *Vid. Cic. Fam. IV. 9. 14. & Att. VIII. 11. 25.* f *Vid. eund. Fam. L. IV. n. 1. XVI. n. 10.*

quæſita. Sed nimia certe his temporibus ejus fuit auctoritas & veneratio: imo tanta, ut cum A. U. 702. in Campania agens in morbum incidiſſet, tota Italia vota pro ejus ſalute conceperit [a]. Quod ſi omnes Catoni, Favonio, aliiſque paucis patriam amantibus fuiſſent ſimiles, nihil mutatione indiguiſſet Reſpublica. Nam, licet verum forte ſit, corrupto hoc rerum ſtatu meliorem quam prudentiorem civem fuiſſe Catonem [b], hoc nihil ad illud, quod hic ſtatuimus, refert [c]: ita ut merito dicat Seneca [d], *Solum Catonem feciſſe aliquas & Reipublicæ partes*. Iſque etiam in annum Urbis 702. Conſulatum petiiſſe videtur non ob aliam cauſſam, quam ut mortuo jam Craſſo nimiam Pompeji & Cæſaris potentiam opprimeret, antequam ad certamen devenirent [e]. Quicquid ſit de his omnibus, Deus certe peſſimorum hominum ambitione, illis quidem ignaris, uti voluit, tum ad crimina Romanorum punienda; tum rurſus ad eam, quam deſtinaverat, reparationem & ſalutem Populi Romani, ſtatuſque ejus civilis. Eaque reparatio tum ad alios forte fines nobis incognitos, tum ad Euangelii faciliorem propagationem conduxiſſe videtur, quæ commodius fieri potuit per tot Populos eidem dominationi ſubjectos, iiſdemque legibus uten-

a *Cic. Att. IX. n. 4. Vell. L. II. c. 48. Plut. Pomp. p. 649.*
b *Att. II. n. I.* c *Vid. Cic. Attic. L. I. n. 17. & Manut. ad epiſt. trac. ſive p. 47. ed Græv.* d *Dio. L. 40. p. m. 94.*

utentes, quam ſi in plures partes nullo vinculo junctas terrarum orbis diſtractus fuiſſet. Sed ſemina mutationis, quæ hoc tempore in Republica accidit, jam in præcedentibus temporibus quærenda ſunt. Et proxime quidem in oppreſſione factionis plebejæ ſub Sulla; cujus reſtituendæ prætextum an occaſionem captavit Cæſar [a]. Nam, licet ipſe ex optimatibus eſſet ortus, (nihil hic facit quod Marius amitam ejus uxorem habuerit [b]) plebejas tamen partes, ſed nequaquam propoſito plebem onere ſuo levandi, amplexus eſt: verum ideo tantum, ut altera parte oppreſſa ipſe ſolus ſecurius dominaretur. Et virum fuiſſe ambitionis inexplebilis tota ejus vita, & vox ab eo etiam tum Quæſtore miſſa oſtendit: nam viſa, cum Quæſtor eſſet in Hiſpania, Gadibus Alexandri Magni imagine ingemuit, quod nihilum a ſe memorabile actum eſſet in ætate, qua jam Alexander orbem terrarum ſubegiſſet [c]. Tum etiam Cæſari præcipue omnia mala, quæ hoc bellum peperit, imputanda ſunt, quia rerum initia in ejus voluntate fuerunt [d], leges nempe in Conſulatu contra auſpicia latæ, provincia a populo invito Senatu accepta, petitio Conſulatus dum abſens eſſet, & ſimilia: licet etiam multa poſtea, & forte invitus, ut ſolet [e], in gratiam amicorum ſuorum facere debuerit.



a *Vid. Suet. Jul. c.* 1. b *Plut. Cæſ. init.* c *Suet Jul. c.* 7. d *Cic. Fam. IX. n.* 6. e *Ibid. IV. n.* 9. & *XII. n.* 18.

*Occaſio belli.*

§. 2. Ut igitur finem animo deſtinatum aſſequeretur Cæſar, ſocietatem, quam vidimus, cum Pompejo & Craſſo iniit: & Gallias ſibi provinciam nactus eſt, ubi & milites ſuos reddidit exercitatiſſimos, & rebus geſtis ad gloriam Pompeji aliquando æquandam ſibi viam fecit. Cumque etiam immenſas inde opes rapuiſſet, prima ei cura fuit [a], ut omnes ſibi jungeret damnatos, vel damnatione dignos; omnes ignominia affectos; omnes qui ære alieno premerentur [b]; omnem fere juventutem; omnem urbanam ac perditam plebem [c]. Libertos quoque ſervuloſque, prout domino patronove gratus quis eſſet, (hæc ſcilicet eſt magnanimitas & generoſus animus ambitioſorum hominum) largitionibus ſibi adjungebat [d]. Et ſimilium hominum amicitiam jam olim ſibi conciliaverat, quando ſocios conjurationis Catilinariæ ſupplicio ultimo liberare conabatur: cum quibus conſilia ſociaſſe Cæſarem a multis creditum fuit; ut antea jam diximus. Itidem Reges atque provincias alliciebat, tum donis, tum contra S. P. Q. R. auctoritatem auxilia iis ſubmittens; urbeſque earum præcipuis operibus exornans. Pompejus vero, qui abſens per legatos *Petrejum*, Afranium & *Varronem* (& etiam hoc plane contra leges fuit) Hiſpaniam [e], &,

a *Cic. Att. VII. n.* 3. b *Cœl. Ep.* 4. & 14.
c *Cic. Phil. II. c.* 30. d *Suet. Jul. c.*27. *Dio L.* 40. *p. m.* 94.
e *Vell. Pat. L. II. c.* 48.

&, ut quidam tradunt [a], etiam Africam obtinebat, ſumma imprudentia totum hoc negotium egerat, quanquam eum monuiſſet Cato, potentiam Cæſaris ad tantum faſtigium provehens [b], cum ſuæ auctoritati confiſus, cum voluiſſet, eum deprimere ſe poſſe crederet [c]: & ſane id adeo vulgatum fuit, ut publice in ſcena jactaretur [d]. Itaque, licet uterque jam alterius ruinam agitaret, non tantum imperium ei prorogari curavit; utque ejus abſentis in Conſulatus petitione ratio haberetur, ſummopere pugnavit [e], contradicente Catone [f]: ſed *M. Marcello* Conſuli finienti provincias Gallias Kalendis Martiis, ſive cenſenti, ut ante Kalendas Martias Cæſar Galliis diſcederet, reſtitit [h]: quod etiam collega Marcelli *Sulpicius Rufus*, & Tribuni nonnulli faciebant [i]. Quanquam Cicero eam legem tuliſſe dicat [k] *M. Cælium Rufum* Tribunum plebis cum collegis ſuis omnibus Pompejo & Cicerone auctoribus; & Cicerone eum propterea maximis laudibus efferente. Atque ita per decem annos Reſpublica Cæſarem contra ſe ipſam aluit [l]. Atque ille Marcellus tunc

 qui-

a *Plut. Pomp. p. m.* 647. *& Cat. p.* 779. *Appian. Civ. L. II. num.* 437. b *Cic. Att. VII.* 3. 6. *VIII. Famil. XVI.* 10. c *Plut. Caſ. p.* 721.
d *Cic. Att.* I. *num.* 19. e *Cic. Ibid. VIII. num.* I. *&* 3. *Vid. & Suet. Jul. cap.* 28.
f *Liv. Epit.* 107. g *App. Al. Civ. L. II. num.* 433. h *Dio L.* 40. *p. m.* 94.
i *Vid. pro Mil. c.* 33. *& de clar. orat. cap.* 79.
k *Cic. Att. L. VII. n.* 5.

quidem graviſſima ignominia affecit Cæſarem, cum non contentus provincias ei eripere, etiam colonis, quos rogatione Vatinia *Novumcomum* [a] deduxerat Cæſar, civitatem adimeret; quod per ambitionem & ultra præſcriptum data eſſet [b]. Sed Pompejus ſimulate cum Cæſare egiſſe videri poteſt, anno ſequente utique, cum tempus adminiſtrandæ provinciæ finitum foret, privatum eum habiturus [c]. Quicquid hujus rei ſit, certe filiam etiam Cæſaris *Juliam*, etſi ipſo Cæſare natu major, uxorem duxit [d]; ut ita cum Craſſo præferret: ut adeo non abſurde Pompejo dixerit Cicero, quod ipſe refert [e], *Utinam, Pompei, cum Cæſare ſocietatem aut nunquam coiſſes, aut nunquam diremiſſes* [f]. Et hanc unionem veritus Cato etiam A. U. 702. Conſulatum petierat, ſed fruſtra, ut jam ante dictum eſt [g]. At gratia hominum, quorum alter parem, alter ſuperiorem ferre non poterat, diuturna eſſe non potuit [h]. Acceſſit mors Juliæ [i], quam unice amaverat Pompejus; quæque ita firmum amicitiæ vinculum inter eos videri poterat: ita ut eleganter de ejus morte dixerit Seneca [k], *eam publica ſecum fata duxiſſe*. Obiit autem

a *Hodie Como*. b *Suet. Jul. c.* 28. c *Dio l. prox. d.*
d *Suet. Jul. cap.* 21. e *Phil. II. cap.* 10.
f *Vid. Fam. L. V. num.* 6. g *Liv. epit.* 108. *Dio l. d.* h *Lucan.* I. 125. *Flor. IV.* 2. *& ibi Cl. Duberus & alii.*
i *Lucan.* I. v. 111. *ſqq.* k *Conſol, ad Marcian. c.* 14.

tem ex partu, & poſt paucos dies matrem quoque filiola ſecuta eſt [a].

§ 3. Quanquam autem ad tantam potentiam Cæſarem extuliſſet Pompejus, tamen nullo modo eum metuebat; neque ſe ad bellum parabat [b], licet etiam pacem nollet [c], imo eam periculoſam eſſe diceret. Quin amicis monentibus de potentia Cæſaris reſpondit [d], *ſe, ubi pede terram pulſaſſet, copias inde peditum equitumque eſſe educturum.* Sed major erat prudentia Cæſaris, qui pecunia Gallica eos, quos auro expugnabiles, & propoſito ſuo utiles noverat, ſibi adjungebat *L. Æmilium Paullum* Conſulem *mille quingentis talentis* [e], ſive Romano more loquendo, *ſeſtertium trecenties ſexagies* (nam alter Conſul *C. Marcellus* eadem, quæ frater ejus anno præcedente contra Cæſarem agitaverat, tentabat [f]) ex qua pecunia *baſilica Æmilia* eſt exſtructa [g], & *C. Scribonium Curionem* Tribunum plebis [h], virum audaciſſimum, & cujus libidinibus nullæ opes ſufficere poterant [i]. Hic antea inimicus Cæſaris [k] a Pompejo ad Tribunatum promotus erat: & merito

*Conſilia Pompeji & Caſ.*



a *Vid. Val. Max. IV. cap. 6. num. 4.* b *Cic. Fam. VI. num. 6.* c *Ib. 4. num. 1. Attic. VII. num. 8.*
d *Ib. Plut. p. 650. App. L. II. num. 45.*
e 900000. *Philip.* f *Suet. Jul. cap. 29.*
g *App. Al Civ. L. II. num. 443.*
h *Cic. Fam. VIII. num. 9.* i *Virg. Æn. VI. v. 621. nam ibi Virg. de hoc Curione intelligendum eſſe vult Serv.* k *Vid. Varron. ap. Non. V. Obſtringillare p. m. 175.*

rito *Fax belli civilis* appellatur [a]. Nam ſane conſcius ſibi erat Cæſar, ſe nequaquam rerum, quas ſive Conſul, ſive Proconſul geſſerat, poſſe rationem reddere abſque manifeſto damnationis periculo [b]. Igitur Æmilio quidem Conſuli quantum diximus, Curioni *ſexcenties ſeſtertium* [c] largitus eſt, quo ſe ingenti ære alieno, ex quo laborabat, liberaret [d]. Et plura etiam promittebat, quam dabat, ut multos ſpe & promiſſis teneret, gnarus ſe, cum votis potitus foret, pro lubitu promiſſis eſſe uſurum [e]. Ita ut eventus jam probaverit veritatem dicti Jugurthæ, quod antea retulimus [f]. Sed Curio amicitiam Pompejanorum ſe colere diu fingebat; ut omnia eorum ſecreta perdiſceret. Tamen etiam contra præcipuos Pompejanorum rogationes quaſdam iniquas ferebat, ut iis repudiatis ne contra Cæſarem quidem quicquam decerni poſſet; utque ipſe, cum vellet, ad Cæſarem tranſeundi haberet occaſionem. Et ex eadem cauſſa ſibi omnium viarum curam in quinquennium petebat, certus, nihil impetraturum eſſe [g]. Atque ita tandem, cum ſciret, Pompejum nequaquam exercitus dimiſſurum eſſe, licet hoc ille polliceretur, voluit, ut aut omnes, aut ne

Cæ-

a *Vell. Pat. L. II. cap.* 48. *Lucan. I. v.* 262. 269.
b *Sueton. Jul. cap.* 30. c *Phil.* 1500000.
d *Val. Max. IX.* I. *num.* 6. *Lucan. VI. f.*
e *Vid. Dion. L.* 40. *p. m.* 95.
f *Supr. L. VII. cap.* Ix. *§.* 2.
g *App. Al. Civ. L. II. n.* 444.

Cæſar quidem ab armis, diſcederent. Nam ſi alter debilitaretur, alterius potentiam nimis formidandam fore [a]. Itaque non contentam eſſe debere promiſſis Pompeji Rempublicam; niſi re ipſa præſtarentur. Et juſtiſſimus etiam quiſque & a Cæſare & a Pompejo exercitus dimitti volebat. Sed reſiſtebat Conſul *L. Lentulus* [b]. Neque enim optimi quique, Bibulus, Cato, Favonius, Domitius & pauci alii cauſſam Pompeji probabant: ſed minus malam eſſe putabant; quod ex variis locis epiſtolarum Ciceronis patet [c]. Et ideo etiam Cato, ut pacem qualemcunque conciliaret, quam ſe cupere ſimulabat Cæſar, omiſſa prætura Sicilienſi in Urbe reſtitit [d]. Judicabatque etiam Cicero, vel iniquiſſimam pacem bello juſtiſſimo eſſe præferendam [e]: Eodem tempore Appius Cenſor non ſponte ſua partes Cæſaris auxit: nam cum plures Senatores Equiteſque notaret, effecit, ut hi omnes Cæſaris partes ſequerentur. At Marcellus Conſul etiam Curionem damnari volebat: ſed cum id non obtinuiſſet, in ſuburbana ad Pompejum profectus ipſi, nullo facto decreto, per ſe cuſtodiam Urbis, cum duabus legionibus urbanis mandavit. Cumque hæc non diu rata fore videret, Conſules deſignatos, ut idem facerent, permovit. Sed nova quædam inju-

a *Plut. Pomp. p.* 650. *& Cæſ. p.* 722. b *Cæſ. B. C. L. I. cap.* 2. *Vell. II. cap.* 48. c *Fam. I. num.* 8. *VI. num.* 6. *&c.* d *Attic. VII. num.* 14. 15.
e *Fam. V. n.* 6.

injuria Cæſari facta eſt ; ( & vere quidem injuria , quia ipſi minus quam Pompejo a Senatu concedebatur ) quod Senatus decrevit , ut uterque & Cæſar & Pompejus ſingulas legiones ad Bibulum mitterent , quaſi ille iis adverſus Parthos indigeret : ibi tum Pompejus legionem a Cæſare , quam ipſi utendam conceſſerat, repetiit: cui , cum de ſuis alteram Cæſar junxiſſet , revera duabus legionibus minuebatur . Imo cum ad bellum illud nihil his legionibus opus eſſet , Marcellus Conſul eas iterum Pompejo tribuit . Lubenter tamen hanc injuriam tulit Cæſar , quod eo prætextu abſque invidia longe plures milites conſcribere poſſet . Interea hi , qui a Cæſare erant dimiſſi , & largis quidem muneribus affecti [a] , vana ſpe animum Pompeji inflarunt, quaſi copiæ Cæſaris , ſimulac Italiam forent ingreſſæ , ad eum defecturæ eſſent.

*Cæſar pacem tentat.* §. 4. Sed cum novi Conſules magiſtratum eſſent inituri, Cæſar Curionem cum literis ad Senatum miſit [b] , *exercitum ſe dimiſſurum eſſe*, promittens , ſi idem Pompejus feciſſet: confiſus, ut putant , facilius ſe milites veteranos revocaturum eſſe , quam novos conſcriberet Pompejus. Addiditque, ni hoc fieret , venturum ſe , ut injurias tam ſibi , quam patriæ illatas ulciſceretur . Eas literas, niſi frequenti Senatu , & præ-

a *Plut. d. l. Appian. Civ. L. II. num.* 44. 6.
b *Appian. Civ. L. IX, n.* 448. *Dio. l.* 4. *init.*
c *Suet. Jul. c.* 29.

& praeſentibus Tribunis plebis Curio tradere noluit, metu, ne ab adverſariis Caeſaris ſupprimerentur: ſed vix obtinuit, ut eas recitare poſſet. Nam in Senatu, cum neque Lentulus Conſul magis quam Marcellus Cæſari æquus eſſet, omnes, duobus modo Senatoribus, quorum alter erat Curio, & duobus Tribunis plebis exceptis, Cæſarem ab armis diſcedere juſſerunt, nihil addentes de Pompejo: idque ſpreta Tribunorum interceſſione, qui erant M. Antonius [a] Curioni addictiſſimus [b], & *Q. Caſſius Longinus*: juſſuſque eſt Cæſari ſuccedere L. Domitius. Utque ei facilius provinciæ auferri poſſent, conſularium provinciarum numerus imminutus eſt, Cilicia provincia facta prætoria [c]. At ſero hæc verbis agebantur, cum ex Cæſaris narratione ſatis deprehendi poſſit [d], majorem jam ejus fuiſſe potentiam, quam privatum hominem in libera civitate habere conveniat. Tribuni autem, quos diximus, ad Cæſarem abjerunt; quod a Conſulibus Senatu, ne forte violarentur, excedere eſſent juſſi; & quaſi ſe in Urbe ſecuros diutius eſſe non poſſe crederent. Et ita ingentem invidiam violatæ ſacroſanctæ poteſtatis inimicis ſuis fecerunt [e]. Nec prætermiſit Cæſar occaſionem injuriam illam apud ſuos egre-

a *Cic. Phil. II. c. 21.*
b *Plut. Pomp. p. m. 650.*
c *Cæſ. B. C. L. I. cap. 6. Vid. P. Manut. ad Cic. Fam. L. VIII. n° 8. p. 408. ed. Græv.*
d *Vid. ab init. de B. G.*
e *Suet. Jul. c. 31. 33. Plut. Cæſ. p. 723.*

egregie exaggerandi: & etiam hoc prætextu belli utendi, cum per leges Tribunum plebis extra Urbem pernoctare eſſet nefas. Cicero vero libere ad *Tironem* ſuum ſcribens [a], eos nequaquam vi expulſos dicit. Tum ſtatim factum eſt illud extremæ neceſſitatis SCtum [b], *Dent operam Conſules, Prætores, Tribuni plebis, quique Proconſulibus ſunt ad Urbem, ne quid Reſp. detrimenti capiat.* Pompejo permiſſum eſt a Conſulibus, qui ad eum in caſtra cucurrerant [c] ſua ſponte; nec juſſu Senatus, ut pecunia Reipublicæ uteretur, militeſque conſcriberet: licet pauci fuerint, qui ipſi nomina dederunt [d]. Statuerunt præterea Patres, referente Scipione Pompeji ſocero, „ ut Cæſar imperio ſucceſſori tradito exercitus ante certam diem dimitteret; ni id feciſſet, contra patriam egiſſe judicaretur [e]. Porro, verum quidem eſt, prudenter feciſſe Cæſarem, qui copias non dimiſerit: ſed hoc culpam ejus nequaquam minuit. Nam niſi horrenda crimina, tum in urbana, tum in provinciali adminiſtratione commiſiſſet, nihil erat, quod judicium metueret. Et audacia militum ejus tanta erat, ut unus ex centurionibus a Cæſare miſſis ad Senatum, cum audiret, prorogationem provinciarum negari, dixerit, capulum gladii manu percutiens [f], *Hic dabit,*

a *Famil.XVI.n.*10. b *Ib.Cæſ.B.C.L.*I.*c.*5. *Liv. epit.* 109. c *Cæſ. B.C.L.I.c.*6. *App.Civ. L.II. n.*447. d *Plut.Pomp.p.*651. e *Cæſ.B.C.L.I.c.*2. f *Plut. Pomp. p.*560.

*dabit, ſi vos negaveritis*: quod ipſum Cæſarem dixiſſe Appianus [a] refert. Sed neſcio, an non Plutarchus ad Cæſarem referat, quod de centurione ab Octavio miſſo alii tradunt. [b] Dicitur tamen adhuc conditiones tuliſſe Cæſar, „ ut ſibi Gallia „ Ciſalpina & Illyricum cum duabus le„ gionibus daretur, dum ſecundum con„ ſulatum peteret [c]. Imo, intercedente Cicerone, *ſe provinciis illis, & ſex millibus militum contentum fore*, dixit [d]. Et conceſſiſſet Pompejus, ſaltem provinciam, niſi Conſul reclamaſſet *Lentulus*. Et Cæſar contendebat, licere ſibi provinciam obtinere, quoad Conſul factus eſſet [e]; quod illud lege de provinciis lata contineretur. Sed tamen neque illa lex jure lata fuerat, invito nempe Senatu per vim & factiones [g]: & ipſius præterea non tam legis, quam libidinis Cæſaris, tempus præterierat: neque hæc omnia [h] ipſi licentiam funditus evertendi per ſcelus Rempublicam concedere poterant. Quicquid ſit, ſi ipſius Cæſaris literis fides adhibenda eſt [i], etiam hoc tempore reconciliationem cum Pompejo optavit: & ſi pace non potiretur, ſe Sullæ victoris crudelitatem nequaquam imitaturum eſſe profeſſus eſt k: idque etiam præſtitit,

a *App. Civ. L. II. n.*433 b *Suet. Aug. c.*26. c *Id. Jul. c.* 29. *Vid. & Cælii epiſt.* 7. d *Plut. Caſ. p.* 723. e *Liv. ep.* 108. f *Cælius ep.* 4. *Attic. L.VII. n.* 9. 11. g *Att. L.VII. n.* 9. 11. h *L. Att. L. VII. ep* 11. i *Attic. I V. n.* 8. k Ep. *quæ eſt inter Cic. ad Att. L. IX. n.* 8.

tit, licet ſe eorum omnium, in quos Sulla Pompejo ſocio crudelis fuiſſet, pœnas perſequi aperte teſtaretur [a]; neque bene de ejus manſuetudine ſentiret Cælius [b], licet ejus amicus. Et Cicero etiam, non voluntate, aut natura non eſſe crudelem Cæſarem putabat; ſed quod clementiam popularem arbitraretur [c], & inſidioſam [d]. Sed Pompejo quoque Cicero locis citatis conſilia fœdiſſima tribuit [e].

*Belli initium, A. U. 704.*

§. V. Cum igitur adverſarii Cæſaris præfracte negarent, ullam ſe de Republica pactionem facturos; & Cato identidem denunciaret [f], delaturum ſe nomen ejus ſimulac primum exercitum dimiſiſſet, perſuaſum Cæſari fuit, ſe ſalvum eſſe non poſſe, ſi ab exertitu receſſiſſet. Ergo cum paucis copiis ſuperatis Alpibus in Italiam deſcendit [g]; & præmiſſis clam cohortibus, ne qua ſuſpicio orıretur, & ſpectaculo publico per diſſimulationem interfuit [h]; & formam, qua ludum gladiatorium erat ædificaturus, conſideravit; & ex conſuetudine convivio ſe frequenti dedit. Dein poſt ſolis occaſum occultiſſimum iter modico comitatu ingreſſus eſt; & cum luminibus exſtinctis deceſſiſſet via, diu errabundus, tandem ad lucem duce reperto, per anguſtiſſimos tramites pedibus evaſit: conſecutuſque cohortes ad *Rubiconem*

a *Cic. Att. L. IX. n* 17. b *Epiſt. Ib. Vid. & Att. VII. n.* 19. c *Attic. L. X. n.* 4. d *Ib. VIII. ep. ult.* e *Ib. VIII. n.* 7. *IX. n.* 6. *&* 12. f *Suet. Jul. c.* 30. g *App. Civ. L. II. n.* 447. h *Suet. Ib. c.* 31.

*biconem* flumen, qui provinciæ ejus finis erat, paullum conſtitit: ac reputans quantum moliretur, converſus ad proximos, *Etiam nunc*, inquit, *regredi poſſumus: quod ſi ponticulum tranſierimus, armis omnia agenda erunt*. Nam ex provincia venienti hoc flumen, niſi dimiſſo exercitu, tranſire licitum non fuit. At mox collecto animo, *jacta alea eſt*, inquit, & flumen tranſiit. Habebat autem milites ad omnem operam ſibi paratiſſimos [a]; quod & effuſis largitionibus & impunitate eos ſibi devinxiſſet; & quod futuro ex bellis civilibus lucro inhiarent. Et veteranis jam bina ſeſtertia prædæ nomine in pedites ſingulos numeraverat [b]; quibus bello exacto plura etiam addidit. Pompejus vero iis, quæ nunciabantur, credens, nec delectus habuerat; nec quicquam ad tantum certamen ſubeundum apparaverat [c]: licet etiam Cato hoc tempore ſummam rerum Pompejo committendam ſuaſiſſet [d]. Et cum jam terror animos occupaſſet, nemo ſinebat Pompejum ſuis uti conſiliis [e]. Nec præ trepidatione pecunia ex ærario ablata eſt: etſi de ea re decretum factum foret. Ergo turpiſſima fuga Pompejus cum maxima parte Senatus ab Urbe in Campaniam diſceſſit; ita ut patria in caſtris Pompeji potius, quam in Urbe, eſſe videretur;

tur;

a *Ipſe B. C. L. I. c.* 7. b 50. *Philippeos* c *Suet. Jul. c.* 38. d *Cic. Att. VII. n.* 12. *Appian. Civ. L. II. n.* 446. e *Plut. Cat. p.* 884. f *Id. Cæſ. p.* 724. *App. d. l. n.* 450.

tur; etſi longiorem jam tum fugam meditaretur Pompejus [a]. Et omnes, qui non ſequerentur, ex Domitii conſilio pro hoſtibus ſe habiturum, teſtatus fuerat [b]: cum Cæſar omnes, qui contra ſe non eſſent, ſuos eſſe diceret [c]. Labienus tamen legatus Cæſaris, & ei familiariſſimus ad Senatum tranſiit: qui ſe divitiis & gloria auctum videns elatius geſſerat; & propterea a Cæſare minus diligebatur [d]. Quod ſi Ciceroni credimus, ſeveritas illa Pompeji, quam diximus, ejus ingenio conveniens fuit: nam de ejus & plerorumque, qui eum ſequebantur, ſævitia pluribus locis peſſime auguratur; & illum aperte *Syllani regni ſimilitudinem concupiviſſe* dicit [e]; & verbis licenter confictis, *Sullaturire & proſcripturire animum Pompeji* affirmat [f]. Miſerant tamen Pompejus, & qui cum eo erant, jam antea *L. Cæſarem* Caji Cæſaris agnatum, cujuſque pater legatus ejus erat, & *L. Roſcium* Prætorem ad Cæſarem [g]. Et cum hi commodum ſatis reſponſum retuliſſent, ad Cæſarem remiſſi ſunt, ut ceteras quidem conditiones probari renunciarent; ſed ita ut Cæſar de iis oppidis, quæ extra ſuam provinciam occupaviſſet, præſidia deduceret [h]. Nam obtu-

a *Cic. Att. VII. n.* 10. 12. b *Suet. Jul. c.* 75. *& Ner. c.* 2. c *Cic. pro Lig. c.* 11. *Cæſ. B. C. L. I. c.* 33. d *Dio L.* XLI. *p. m.* 99. e *Att. IX. n.* 9. 12. *& ſæpe Vid. & Or. pro Marc. c.* 6. f *Att. IX. n.* 12. *Vid. & X. n.* 5. g *Cæſ. L. I. c.* 8. *n. Dio l. d.* h *Attic. VII. n.* 14.

obtulerat Cæſar, ſe exercitus dimiſſurum eſſe, modo in provincias Pompejus proficiſceretur, & in Italia diſcederetur ab armis [a]. Ita ut tota controverſia jam in eo tantum verſaretur, vel verſari potius ſimularetur, uter prius arma deponeret. Nam Cæſarem populo multo gratiorem eſſe, & ita, ſi utrique privato vivendum foret, multo potentiorem futurum, videbat Pompejus. Si tamen aliquid, hic de ſumma gravitate, Cæſar de cupiditate remiſiſſet, pacem ſtabilem & aliquam Rempublicam habere licuiſſet. Verum ſpe pacis abjecta Cæſar, qui Arimini adhuc ſubſiſtebat, Piſaurum, *Fanum*, Anconam ſingulis cohortibus occupavit [b], *Iguvio* etiam *Auximoque* municipiis in poteſtatem redactis. Ita ingens terror Urbem invaſit & fere qualis captæ patriæ eſſe ſolet [c]: diſceſſeruntque etiam ad Pompejum Conſules, vel potius jam antea diſceſſerant: nam falſum hic eſſe Cæſarem, qui *Lentulum* Conſulem Romam veniſſe, ut ſanctius ærarium ad pecuniam Pompejo ex Senatuſconſulto proferendam aperiret, & inde ex Urbe profugeret, narrat, ex Cicerone conſtat [d]. Hic enim, talia quidem mandata ad Conſules allata fuiſſe dicit: ſed rebus ita conſtitutis ut illud jam fieri non poſſet. Neque ſuſpectus hic eſſe poteſt Cicero, qui in errores a Pompejo



a *Cæſ. B. C. L. I. c.* 9. 10. *App. L. II. n.* 448.
b *Cæſ. B. L. L. I. c.* 11. *Cic. Fam XVI. n.* 11. *Suet. c.* 34. c *Dio L.* XLI. *p. m.* 100.
d *Attic. VII, n.* 20.

& parte illius commiſſos, quando ad Atticum ſcribit, acriter ſatis invehitur. Cæſar interea Picenum nullo fere reſiſtente occupaverat [a]. Atque inde *Corſinium*; quod cum magnis ſatis copiis L. Domitius ſucceſſor ei deſtinatus inſederat, obſedit, & ſeptem omnino dies ad illud commoratus ad deditionem adegit. Nam Pompejus nullum auxilium Domitio miſerat [b], & tamen omnem amiſſi Corfinii culpam in eum conferebat [c]. Cæſar Domitium, *Lentulum* [d], alioſque, qui majoris paullo dignitatis erant [e], incolumes dimittit; milites ſacramentum apud ſe dicere jubet. Domitius venia a Cæſare accepta tamen ad Pompejum profugit [f]. His rebus cognitis Pompejus Brunduſium profectus eſt, nimis certe propere & turpiter Urbem, & mox Italiam, relinquens [g]; & ibi ſtatim a Cæſare obſeſſus fuit: qui dicit [h], ſe tum etiam obtuliſſe, ut de conditionibus pacis ageretur: ſed renunciatum fuiſſe a Pompejo, *quod Conſules abeſſent, ſine illis de compoſitione agi non poſſe*. Atque ita ſe judicaſſe ait Cæſar, ſæpius rem fruſtra tentatam aliquando dimittendam eſſe; ut ipſe quidem Cæſar refert; & videtur idem dicere Cicero in oratione, qua *Ligarium* apud Cæſarem defendit [i] & ubi multis gratiam Cæſaris captat.

a *Cæſ. L. I. c.* 15. b *Cic Att. L. VIII. n.* 2. c *Ib. n.* 16. d *Liv. epit.* 109 e *Suet. Jul. c.* 34. f *Plut. Cæſ. p. m.* 724. g *Cic. Att. L. VIII. n.* 2. *&* 7.
h *Liv. L. I. c.* 26. i *c.* 6.

captat. Verum rurſus hic falſa narrat Cæſar: nam exſtat exemplum epiſtolæ [a] à Cæſare ad *Oppium* & *Balbum* ſcriptæ; ubi refert, *Cn. Magium* Pompeji præfectum fabrum (qui ex itinere deprenſus ad Cæſarem reductus fuerat [b], ſed ab eo dimiſſus erat [c]) a Pompejo *de pace* ad ſe fuiſſe miſſum, Pompejus navibus, quibus partem copiarum in Græciam tranſmiſerat, reverſis etiam ipſe cum reliquis trajecit: & cum eo totus fere Senatus [d]; vel enim erant cum imperio, vel legati eorum [e]: Et videmus, paullo poſt Theſſalonicæ ducentos Senatores fuiſſe cum Conſulibus: ubi novi magiſtratus fuiſſent creati [f]; ſi lex curiata a Conſulibus fuiſſet lata. Antequam trajecit Pompejus ſocerum Scipionem, & *Cnæum* filium ad claſſem parandam in Syriam dimiſit [g]: Cæſar vero mirabatur, eum, qui munitam urbem Brunduſium & firmam claſſem haberet, Italia exceſſiſſe: Sed Pompeji conſilium erat, ut dum per anni tempeſtatem (nam jam autumnus exierat) Cæſar eum perſequi non poſſet, ex gentibus Græciæ & Orientis, ubi ob res geſtas in ſummo honore erat, auxilia colligeret [h]: ſed quæ infirma ſine erant futura; cum Aſiæ Populi & olim & hodie bello inepti fuerint. Multoque rectius in Hiſpaniam

Cc 2

a *Ad Att. L. IX. n. 16. ed. Manut.* b *Cæſ. E. I. c. 24.*
c *Att. L. IX n. 8.* d *Dio L. XLI. p. m. 104.*
e *Att. L. VIII. n. 23.* f *Dio L XLI. p. 112.*
g *Plut. Pomp. p. 652.*
h *Dio L. XL. p m. 101.*

niam ſe contuliſſet Pompejus; ubi gentes rant fortiſſimæ, ut mox ex bello cum filiis Pompeji geſto patuit.

*Cæſaris profectio in Hiſpaniam.*

§. VI. Cæſar, qui perſecutionem belli trans mare diuturnam fore putaret [a], neque navium copiam haberet, prius a tergo componere omnia ſtatuit. Itaque Sicilia etiam & Sardinia per legatos in poteſtatem receptis, ipſe ad Urbem proficiſcitur, tota Italia intra ſexaginta dies potitus, cum undique ex oppidis ei obviam iretur [b]. Ingens autem in Urbe erat metus, cum priſtini terrores a Sullæ & Marii crudelitate animis obverſarentur; qui itidem, ut Cæſar, humaniſſima quæque polliciti fuerant. Cæſar vero dicit, ſe Senatui auctorem fuiſſe, (& eum frequentem adeſſe juſſerat [d]) ut legatio ad Pompejum mitteretur; ſed omnes eam legationem recuſaſſe. Ipſe rebus in Urbe utcunque conſtitutis; Antonio cum nomine Proprætoris Italiæ præfecto [e], filiis proſcriptorum a Sulla magiſtratus petendi licentia conceſſa [f], profectionem in Hiſpaniam adverſus legatos Pompeji ſuſcepit. Verum inſigni hic rurſus mendacio Cæſar utitur, cum dicit [g], *L. Metellum* Tribunum plebis res, quaſcunque agere inſtituiſſet Cæſar, impediviſſe: cum ex Cicerone [h] & aliis [i] conſtet, forti

a *Cæſ. B. C. I. cap.* 20. b *Flor. L. IV. cap.* 2. c *Cic. Att. L. VIII. n.* 25. d *Cic. Att. L. IX. n.* 20. e *Id. Phil. II. c.* 23. f *Dio L. XLI. p.* 104. g *Civ. L. I. c.* 33. h *Att. L. X. num.* 4. i *Plut. Cæſ. p. m.* 725. *Flor. IV.* 2.

forti quidem animo Metellum ſe Cæſari oppoſuiſſe, claveſque ærarii petenti negaſſe; ſed nihilominus ærarium a Cæſare fuiſſe effractum; quod *Sanctum* amplius non eſſe, cavillando jactabat. Pecuniam enim illam a majoribus cum exſecratione publica in caput illius, qui ex alia cauſſa eam contrectaret [a], repoſitam eſſe ad bellum Gallicum: qua, Gallia a ſe perdomita, nihil jam amplius opus eſſet. Verum in Hiſpaniam proficiſcenti Cæſari Maſſilia, fideliſſima ſemper Romanis civitas [b], portas clauſit. Nam ſuum non eſſe, dicebant, judicare, utrius, Pompejine an Cæſaris, cauſſa juſtior foret; ab utroque beneficiis auctos; ſi amice advenerint, utrumque recepturos; ſi aliter, neutrum [c]. Eadem tamen civitas Domitium paullo poſt advenientem recepit [d]. Ergo eam obſedit Cæſar, *C. Fabio* legato cum tribus legionibus in Hiſpaniam præmiſſo, qui celeriter ſaltus Pyrenæos a L. Afranio Pompeji legato præſidiis obſeſſos occuparet. Sed cum Maſſilienſes ad fortiter reſiſtendum paratos eſſe videret, oppugnatione D. Bruto *Trebonio*que mandata in Hiſpaniam perrexit. Tenebant eam legati Pompeji Afranius, Petrejus & Varro: qui rerum bellicarum ſatis imperiti fuiſſe videntur; ita ut Cæſar eo profecturus dixerit, *ſe ire ad exercitum ſine Duce; & inde reverſurum eſſe ad Ducem*

 *ſine*

a *App. Civ. L. II. n.* 453. b *Cic. pro Balbo c.* 9. *pro Flacc. c.* 26 *Phil. II c.* 37. *Juſtin. L.* 43. c *Dio l. prox. d.* d *Cæſ. B. C. L. I. c.* 36. e *Suet. Jul. c.* 34.

*ſine exercitu*. Hi tamen communicato conſilio loca circa *Ilerdam* ad bellum gerendum deligunt : & ſua pugnandi ratione, qua contra Luſitanos uti conſueverant, primo Cæſarianos ſtabili pugnæ generi aſſuetos perturbant [a] : qui præterea neceſſariarum rerum inopia adeo premebantur, ut rumor Romam perferretur, bellum ab Afranio Petrejoque jam pene confectum eſſe [b] : ita ut multi adhuc Senatores ad Pompejum proficiſcerentur [c]. Sed, cum mox ipſe Cæſar adveniſſet, ejus induſtria & conſtantia adverſa omnia ſuperavit : qui etiam Tribunorum & Centurionum fidem ſibi adſtrinxit pecunia ab iis mutua ſumpta : eaque exercitui diſtributa militum etiam voluntates redemit [d]. Et cum præterea nuncius proſperæ pugnæ a D. Bruto apud Maſſiliam commiſſæ allatus eſſet, fortuna celeriter mutata eſt; populique complures ſe Cæſari tradiderunt. Petrejus Afraniuſque recedere coacti ſunt ulteriorem Hiſpaniam petentes, ut plures copias colligerent. Sed moleſtiſſimo itinere eos aſſecutus Cæſar [e], cum plures prælio decertandum eſſe dicerent, ipſe prudentiſſime obſidendo potius, quod ſummis neceſſariorum anguſtiis laborare hoſtes ſciebat, vincere ſtatuit. Et colloquiis, ut inter notos, jam ſine vulnere tantæ res confectæ videbantur, cum Petrejus, qui val-

a *Caſ d. l. cap.* 44. b *Ib. c.* 53. c *Dio d.l. p.*105.
d *Caſ. B. C. L.* I. *cap.* 39. e *Ibid. cap.* 59.
f *Ibid. c.* 68.

vallum ad commodiorem aquationem ducentibus aderat, ſuperveniens milites ſuos ab iſto conſilio revocat: ita ut quoſdam ex Cæſarianis, qui amicitiæ cauſſa in Pompejanorum caſtra tranſierant, cum novo jurejurando ſuos adegiſſet Petrejus [a], interfecerint. Cæſar eos, qui ſua caſtra intraverant, ſe remiſiſſe teſtatur; & quoſdam etiam ex alterius partis Equitibus, Tribunis & Centurionibus permoviſſe, ut ſuas partes ſequerentur [b]; magnamque hac occaſione clementiæ famam, ac merito, acquiſivit [c]. Ergo Afranius Petrejusque Ilerdam verſus regredi inſtituunt; ſed cum eorum veſtigiis Cæſar inhæreret, inopia coacti ſe cum ſeptem legionibus Cæſari tradunt, dimittere exercitum & provincia excedere ſine alio damno juſſi [d]. Cetera inde Hiſpaniæ Oceanum uſque facile in poteſtatem Cæſaris conceſſerunt: eique *Q. Caſſius*, homo nequam [e] a Cæſare eſt præpoſitus [f]. Sed M. Varro, qui in ulteriore Hiſpania curabat, primum quidem præ ſe ferebat animum a Cæſare plane non alienum [g]. Sed ſtatim, ut eum ad Maſſiliam diſtineri cognovit, & auxiliorum etiam ſpes affulſiſſet, multis modis bellum parare cœpit: delectuque tota provincia habito exercitum coegit; & Gadibus præſidio mu-



a *App. Civ. L. II. num.* 454. b *Cæſ. d. l. c.* 77.
c *Dio L. XLI. p. m.* 105. d *Cæſ. d. l. c.* 85.
e *Cic. Att. VII.* 3. *ubi male eſt*. *C. Caſſium.*
f *App. Civ. L. II. n.* 454. *Cæſ. B. C. L. II. c.* 21.
g *Ib. c.* 17.

munitis *C. Gallonium* Equitem Romanum præfecit. Sed Hiſpani, qui facile videbant, ſe Cæſari pares eſſe non poſſe, Gallonium Gadibus excedere fecerunt. Et Cæſar magnis itineribus progreſſus [a] motibus illis levi negotio compoſitis, iterum Maſſiliam pervenit.

*Expugnatio Maſſiliæ.*

§. VII. Hanc urbem acriter oppugnabat C. Trebonius Cæſaris legatus, Decimuſque Brutus: neque minus fortiter urbs omnibus rebus inſtructiſſima defendebatur [b]. Nec ratio eſt, cur *fide meliorem, quam conſilio prudentiorem* eam dicat adulator Vellejus [c], cum eo tempore æquales etiam vel majores Reipublicæ, quam Cæſaris vires eſſent. Advenerat ad Maſſiliam ei auxilium laturus cum claſſe *L. Naſidius*: ſed commiſſo infeliciter prælio in Hiſpaniam profugit [d]. Neque ea clade Maſſilienſibus animus collapſus eſt, donec a Trebonio inauditæ molis machinas ad oppidum admoveri vident: tum enim induciarum quoddam genus, quoad Cæſar adveniſſet, obtinent. Sed earum occaſione utentes, dum nihil tale exſpectant obſidentes, ſubita eruptione omnia eorum opera incendunt; & puncto temporis multorum menſium laborem corrumpunt. Sed cum ſumma feſtinatione ea refecta eſſe vidiſſent, denuo de deditione agunt: ſeque paullo poſt Cæſari, cum ipſe adveniſſet, tradunt: qui clementer eis uſus eſſe dicitur [e]. Nam arma

a *Ib.c.19.* b *Cæſ.B.C.L.II.c.1.2.* c *L.II.c.50.* d *Cæſ.Ib.c.7.* e *Vid.Cic.Phil.VIII.c.6.*

arma tantum, tormenta, naves, pecuniam publicam ut traderent, imperavit: ipſos conſervavit, duabus ibi legionibus præſidio relictis; ſiquidem de ſeipſo teſtimonium dicenti Cæſari credimus [a]. Dio enim dicit [b], Cæſarem poſtea omnia alia ademiſſe, ſolo relicto libertatis nomine: & neſcio, an non verius hoc eſſe ex ipſo Cicerone [c] probari poſſit; licet αὐτονομίαν Maſſilienſibus relictam eſſe, etiam Strabo aſſerat [d]. Domitius vix, turbida tempeſtate obſervata, evaſerat.

*Ulterior Reip. conſtitutio.*

§. VIII. Hoc autem tempore Cæſar abſens Dictator Romæ *Comitiorum habendorum cauſſa* ſine Magiſtro Equitum plebiſcito creatus fuerat, *M. Lepido* Prætore Urbano & Urbis Præfecto comitia habente [e]. Cum ergo eum nuncium Cæſar accepiſſet, & Placentiæ ſeditionem militarem fortiter repreſſiſſet [f], Romam profectus eſt: & animum jam ad Rempublicam conſtituendam convertens duas ſtatim leges Reipublicæ utiliſſimas tulit [g]. Prima fuit, „ ut poſſeſſiones & res arbitris datis æſtimarentur, quanti quæque earum ante bellum fuiſſent. Atque eæ creditoribus transderentur [h]. Quæ lex (cujus etiam meminerunt Imperatores in *l.* 4. *Cod. qui bonis ced. poſſ.*) primo quidem intuitu ſpeciem aliquam

a *L. II. c.* 22. b *L XLI. p. m.* 106. c *Phil. II. c.* 37. *VIII. c.* 6. d *L. IV n.* 181. e *Cæſ. Civ. L II. c.* 21. *Dio L. XLI. p. m.* 109. f *App. Al. Civ. L. II. n.* 457. g *Ipſe Civ. L. III. c.* 1. h *Tac. Ann. L. VI. c.* 16. *Dio L. XLI. p. m.* 110.

quam habet iniquitatis. Quid enim iniquius, quam cogere creditores, ut in ſolutum accipiant res ſoli, qui nummos crediderunt. Sed hac iniquitate legum iniquior longe fuerat ſceleſta fœneratorum iniquitas, qua debitores ſuos exhauſerant: unde etiam additum fuit legi, „ ut „ ſummæ æris alieni deduceretur, ſi quid „ uſuræ nomine numeratum, aut per- „ ſcriptum fuiſſet: qua conditione quarta fere pars crediti deperibat [a]. Itaque nemo a tribunali Trebonii ſecundum hanc legem jus dicentis appellavit; licet M. Cælius Rufus Prætor, ſe auxilio fore, ſi quis appellaſſet, polliceretur. Sed cum idem Cælius plures leges in commodum obæratorum ferret, judicio Senatus a Republica remotus eſt [b]. Deſciverat autem a partibus Cæſaris [c], vel quod Trebonio mandatam urbanam juriſdictionem inique ferret; vel quod gravi ære alieno obrueretur. Ergo, cum palam ſe proficiſci ad Cæſarem ſimulaſſet, Miloni exuli, qui fugitivorum exercitum contraxerat, ſe conjunxit [d]: atque illi ſimul bellum in Italia excitare cœperunt. Et Milo quidem, quomodo perierit, antea dictum eſt: Cælius vero ab equitibus Cæſaris Gallis & Hiſpanis, quos pecunia promiſſa ſollicitabat, eſt interfectus [e]. Cæſar porro, ut iniquitati fœneratorum etiam magis obviam iret, altera

lege

a *Suet. Jul. c.* 42. b *Cæſ. de B. C. L. III. c.* 21. c *Ipſe Cic. ep. ult.* d *Liv. ep.* 111.
e *Cæſ. B. G. L. III. c.* 22.

„ lege lata ſtatuit , Ne quis in auro ar-
„ gentove ſignato plus quam ſeſtertia ſe-
„ xaginta [a] haberet [b]. Præterea ambitus lege Pompeja damnatos [c], ut etiam filios a Sulla proſcriptorum [d] legibus ad Populum latis reſtituit. Gallis Tranſpadanis civitatem Romanam dedit [e]. Cumque jam de legibus quibuſdam latis agamus, addendum eſt, anno præcedente latam fuiſſe legem ab *A. Hirtio* Tribuno plebis, qua cum *A. 704.* collega ſuo M. Antonio Pompejanos proſcribebat, & dignitatibus ſpoliabat [f]: quod loco citato excuſare conatur Cicero.

§. IX. Jam autem tempus poſceret, ut Cæſarem in Græciam tranſeuntem ſequeremur; ſed convenientius videtur, ut prius uno verbo aliquid de bello in Illyrico geſto dicamus. *C.* ibi *Antonius* Cæſaris legatus male contra Pompejanos res geſſiſſe legitur: nam, dum ibi Dolabellæ auxilium ferre conatur, a *M. Octavio* & *L. Scribonio Libone* in inſulam quandam exiguam concluſus & fame preſſus cum pleriſque ſuorum captus eſt. [g] Miſſæ quoque a *Baſilo* in auxilium ejus rates, quales inopia navium fecerat, nova Pompejanorum arte Cilicum, actis ſub mare funibus, captæ quaſi per indaginem [h]. Memorandum ibi exſtitit facinus *Opiterginorum* [i], quorum navis in vadis hæſerat. Juventus enim, quæ ea vehebatur, circumfuſi un-

dique

a *Phil.* 1500. b *Dio L. XLI p. m.* 110. c *Ib. p.* 109. d *Plut. Cæſ. p.* 725. e *Dio l. d.* f *Cic. Phil. XIII. c.* 16. g *Dio l. d.* h *Flor. L. IV. c.* 2. *Lucan. IV.* 449. i *Fuerunt in Venetor. regione, quæ hodie Marchia Tarviſina.*

dique exercitus per totum diem tela ſuſtinuit; & quum exitum virtus non haberet, tamen ne in deditionem veniret, hortante Tribuno *Vultejo*, mutuis ictibus in ſe concurrit.

*Bellum in Græciam translatum.*

§. X. Sed cum legibus illis, quas diximus, ferendis, comitiis præterea & feriis Latinis undecim dies impendiſſet [a], Dictatura ſe abdicavit, Dictatoris tamen poteſtate ſibi ſervata. Ferias autem illas potiſſimum prætextum ſumendæ Dictaturæ habuerat: nam vera cauſſa fuerat, ut magiſtratus crearet ſuarum partium, neque res rediret ad interregnum [b]. Depoſita Dictatura ſeipſum cum P. Servilio Conſulem creari fecit, licet dictatoriam tamen poteſtatem retineret; & ſtatim cum exercitu in Græciam trajecit [c]: quo tempore cives *Salonarum* Dalmatiæ urbis Octavium ab oppugnatione ſuæ urbis repulerant [d]. Narrat autem Cæſar [e], ſe hoc tempore *L. Vibullium Rufum*, quem bis dimiſerat captum, atque inde pro beneficiis acceptis idoneum judicabat, cui mandata committeret, dimiſiſſe; & ejus ore adhuc conditiones tuliſſe Pompejo, ut leges pacis a Senatu & a Populo peterent: interea in concione uterque juraret, *ſe triduo proximo exercitum dimiſſurum*. Atque etiam per Vatinium legatum colloquium eodem animo petiiſſe: verum reſpondiſſe Labienum, *niſi Cæ-ſaris*

a *Ipſe B. C. L. III. c.* 2. b *Cic. Att. L. IX. n.* 11. c *B. C. L. III. c.* 6. d *Ib. c.* 9. e *Ib. c.* 10.

*ſaris capite relato, pacem eſſe nullam poſſe* [a]. At interim ad Cæſarem nullæ amplius naves legionesve, quas exſpectabat, venerant [b]; donec literis aſperius ſcriptis Antonium & Calenum permovit, ut mare trajicerent; ubi utrinque & ab hoſtibus & a tempeſtatibus varia pericula fuerunt. Verum Cæſar longius inde procedendum exiſtimabat [c]: & quum legati quidam ex Theſſalia, Ætolia, Macedoniaque veniſſent, imperata facturas earum gentium civitates pollicentes, ſi præſidio miſſo defenderentur, aliquot eo cohortes miſit. Et poſtquam Pompejum ad *Aſparagium* in Macedonia eſſe cognovit, cum exercitu eo proficiſcitur: caſtrisque juxta eum poſitis decernendi poteſtatem facit [d]. Sed cum ſe ſuis locis teneret Pompejus, poſtridie Dyrrachium profectus eſt, quo omnem belli apparatum Pompejus attulerat, ſi ab eo intercludi poſſet. Atque ibi maximis operibus Pompejum circumvallavit [e]: ſimul, ut pabulatione eum prohiberet, equitatumque ejus ad rem gerendam inutilem efficeret: atque ut auctoritatem, qua ille maxime apud exteras nationes niti videbatur, minueret, cum eum obſideri, neque audere prælio dimicare audiviſſent. Pompejus etiam, quantum ſpatii poterat, perpetuis munitionibus occupat: cumque in præliis, quæ quotidie fiebant, aliquando repulſi eſſent

Cæſa-

a *Civ. L. III. c.* 19. b *Ib. c.* 25. c *Ib. c.* 34. d *Ib. c.* 41.
e *Cic. Att. IX. n.* 14. *Famil. IX. n.* 9.

Cæſariani, dicitur glorians apud ſuos Pompejus dixiſſe; *Non recuſare ſe, quin nullius uſus Imperator exiſtimaretur, ſi ſine maximo detrimento legiones Cæſaris ſeſe recepiſſent inde; quo temere eſſent progreſſæ* [a]. Et revera Pompejo quotidie plurimæ naves, quod prohibere non poterat Cæſar, commeatum ſupportabant; cum ipſe conſumptis longe lateque frumentis ſummis in anguſtiis verſaretur. Milites tamen ejus omnia incommoda fortitudine ſumma tolerabant: & Pompejus aquæ penuria affligebatur; fiebantque interim crebræ pugnæ, ita ut aliquando uno die ſex prælia facta ſint. Cæſar interea rurſus tentat, an interventu Scipionis pax componi poſſet [b]: ſed fruſtra, caſtigante tamen Scipionem Favonio. Itaque aderat jam rurſus in caſtris Pompeji Scipio, qui ab eo, dum mare tranſiit, in Syriam provinciam ſuam dimiſſus fuerat cum Magni filio *Cneo*, ut pecunias, claſſem, auxilia quanta poſſent compararent [c]: *Balbus* etiam *Cornelius* hoc tempore, ſi Vellejo [d] credimus, ſumma temeritate ad Lentulum Conſulem in caſtra venit; ut ejus fidem pretio tentaret: ſed potius hoc factum eſt, ante quam Lentulus Italia exceſſiſſet; ut ex Ciceronis ad Atticum epiſtolis colligitur [e]: qui etiam videtur credidiſſe facilem perſuaſui futurum Lentulum. At Cæſar tandem duplici clade affectus

a *Cæſ. l. prox. d. c.* 45. b *Ib. c.* 57. c *Plut. Pomp. p. m.* 652. d *L. II. cap.* 52. e *L. VIII. num.* 9. *&* 11.

fectus exercitum ab obſidione reduxit [a]: & Pompejani, licet cuivis potius cauſſæ, quam virtuti eorum hi ſucceſſus eſſent adſcribendi, tamen per orbem terrarum fama ac literis victoriam ſuam celebrabant [b]. Cæſar a ſuperioribus conſiliis depulſus omnem belli rationem commutat: & in Theſſaliam profectus Gomphos, munitum oppidum, uno die expugnat [c]: Pompejus paucis poſt diebus in Theſſaliam pervenit, caſtra cum Scipione conjungit. Vix vero credi poteſt, quod narrat Cæſar [d], tantam Pompejanorum fuiſſe fiduciam, ut de Sacerdotio Cæſaris jam Scipio aliique contenderent: utique de præmiis & pœnis eorum, qui hoc bello bene vel male meriti eſſent, cogitarent: quorum tamen etiam Plutarchus [e] fidem fecerit.

*Prælium Pharſalicum.*

§. XI. Tandem Cæſar pugnandi opportunitatem, quam diu captaverat, nactus eſt, cum Pompejum ſui omnes hortati eſſent, ut prælio decertaret [f]: iſque victoriam ſuis pene ſine ſanguine pollicitus eſt, egregie ſecundas hic agente Labieno; quo præeunte omnes jurarunt, *ſe, niſi victores, in caſtra non reverſuros*. Erant autem copiæ Pompeji Cæſarianis altera parte majores: ſed minus prudenter, ut recte videtur obſervare Cæſar, ſuis edixerat Pompejus, ut Cæſarianorum impetum exciperent: Nam ita alacritatem ſuo-

a *Cæſ. B. C. L. III. c.* 63. b *Ib. cap.* 72--79.
c *ibid. c.* 80. d *Pomp. p.* 655. e *ib. c.* 86.
f *Plut. Pomp. p. m.* 656.

ſuorum militum repreſſerat; cum omnibus potius modis augere eam debuiſſet [a]. Et utrumque exercitum lacrymæ magis & luctus, quam alacritas invaſerant, quod contra cives ſe pugnaturos eſſe cogitarent [b]. Cæſariani, cum medium fere ſpatium, quod inter duas acies erat, currendo confeciſſent, & a Pompejanis non concurri animadvertiſſent, conſtiterunt, ne conſumptis viribus appropinquarent: atque inde renovato curſu hoſtes ſuos invaſerunt; a quibus fortiſſime excepti ſunt. Sed cum Cæſar perite ſuos in plures acies diviſiſſet, recentes bis terve feſſis opponere potuit. Terrebat etiam Pompejanos, præſertim ſi qui delicatuli eſſent [c], (& illi plures in Pompeji partibus erant) quod *ora hoſtium fodere* Cæſar juſſerat [d]. Cujus tamen vocem quoque exceptam ferunt, *Parce civibus*: quæ neque ad clementiam [e], neque ad jactationem [f] referenda videtur: ſed ad prudentiam potius, ne victi ſalute deſperata pugnam reſumerent [g]. Igitur Pompeius, cum equitatum ſuum, quo circumvenire hoſtilem aciem ſperaverat, pulſum vidiſſet, attonito ſimilis in caſtra ſe & protinus in prætorium recepit, rerum eventum cum diffidentia exſpectans. L. Domitius, qui harum partium poſt Pompejum fere prin-

a *Plut. Pomp. p. m.* 656. b *Dio L.* 41. *p. m.* 117. c *Plut. Pomp. p. m.* 657. d *d. Cæſ. p.* 729. *Lucan. VII. vſ.* 318. *Flor. L. IV. c.* 2. e *Suet. Jul. c.* 75. f *Flor. l. d.* g *App. Al. Civ. L. II. n.* 478.

princeps erat, in fuga ab equitibus interfectus eſt [a]. Prudentes autem viri jam animo perſpexerant, penes Cæſarem victoriam fore, quod & audaciæ plus haberet ejus exercitus, quippe qui patriæ bellum intuliſſet; & roboris propter vetuſtatem [b]. Cicero huic prælio non interfuit [c]. ſed propter infirmitatem corporis remanſit in caſtris [d]: vel potius, ut apud Livium fuit [e], quod nihil minus quam ad bella natus eſſet: imo ex quodam loco [f] colligi videtur, eum cum M. Varrone & M. Catone fuiſſe Dyrrhachii. Ad eum tamen victo Pompejo imperium ex ſententia Catonis delatum eſt: imo illud repudiantem amici Pompeji fere intereremerunt; ita ut ægre a Catone eriperetur [g]. Atque hoc eſt prælium celeberrimum *Pharſalicum*; quo plane libertas Reipublicæ Romanæ concidit, a loco vicino Theſſaliæ denominatum: ſed quod ſæpe etiam per errorem in *Philippicis* campis commiſſum legitur [h]; ubi poſtea Brutus & Caſſius victi ſunt: qui error tamen poetis & poetico ſcriptori Floro [i] maxime eſt peculiaris.

*Pompeji fuga & mors.*

§. XII. Verum mox etiam caſtra Pompejanorum ſunt expugnata. Pompejus equo citato Lariſſam [k], & inde nocturno iti-



a *Cæſ. B. C. L. III. c.* 99. b *Cic. de Divin. II. c.* 55. c *Id. Fam. IX. n.* 18. d *Plut. Cic. p. m.* 880. e *L. CXI.* f *De Divin. L. I. c.* 32. g *Plut. l. d.* h *Vid. Cl. Duker. ad Flor. L. IV. c.* 2. *Cl. Maſſon. vita Horatii p.* 51. i *Iterum L. IV. c.* 3. *&* 7. k *Cæſ. B. C. L. III. c.* 96.

itinere non intermiſſo exiguo comitatu ( ambo erant Lentuli , Favonius , & Rex Galatiæ Dejotarus ) ad mare pervenit : & cum ibi unam tantum noctem , dum ex Amphipolitanis hoſpitibus pecuniam ad neceſſarios ſumptus corrogat [a], conſtitiſſet , navi oneraria Mitylenas primum , ubi uxorem habebat & filium , atque inde in Cyprum navigat : qui imprudentiſſime ſe per calliditatem Cæſaris tanto ſpatio a claſſe ſua abſtrahi fuerat paſſus . Præficere cogitaverat huic claſſi , ut etiam id addamus , Catonem . Sed reputans , ſi victor foret , Catonem , quando viribus polleret , eum coacturum eſſe , ut legibus obtemperaret , Bibulo claſſem potius commiſit [b] : neque minus propterea partibus fidelis fuit Cato . Sed Pompejus , cum & Antiochenſes & Rhodienſes ( nam de illis locis adeundis cogitaverat ) adverſos jam ſibi eſſe intellexiſſet , pecunia ſocietatis publicanorum ablata , & alia præterea a privatis ſumpta , de Africa aut Parthis petendis conſilia agitaſſe dicitur [c] : ſed ultimum hoc vix ſimile vero videtur , cum poſt expeditionem Craſſi Romanos , & ſe præcipue ſummo opere Parthis exoſos eſſe probe ſciret . Ergo curſu in Ægyptum directo pervenit Peluſium : ubi caſu erat Rex Ptolemæus , puer ætate , cum ſorore Cleopatra tunc bellum gerens . Erat hic Ptolemæi Auletis , ſive Dionyſi filius , qui etiam *Novus Dio-*

a *Ibid. c.* 102. b *Plut. Cat. p. m.* 785. c *Id. Pomp. p.* 659. *Flor. L. IV. c.* 2.

*Dionyſus*, itidem ut pater ejus, fuit dictus; & ex teſtamento patris cum Cleopatra regnum ſuſceperat. Hæc aliquot annis fratre major fere ſola regni curam habebat; & beneficiorum a Pompejo in patrem ſuum collatorum memor [a] cum frumento & claſſe juverat: nam, ut vidimus, faciente Pompejo pater Cleopatræ in regnum fuerat reſtitutus. Sed Alexandrini, ſeditioſum hominum genus, Cleopatram, quod muliebre imperium dedignarentur, regno pepulerant, paucis ante menſibus, quam Alexandriam appulit Pompejus. Hic ſtatim cum adveniſſet miſit, ut pro hoſpitio atque amicitia patris a Rege reciperetur: atque ejus opibus in calamitate tegeretur. At amici Regis, & præcipue *Theodotus* Regis præceptor, veriti, ne Pompejus ſollicitato exercitu regio Ægyptum occuparet: vel, quod verius multo eſt, deſpecta ejus fortuna; eum ad Regem venire juſſerunt. Sed, poſtquam naviculam parvam cum paucis ſuorum conſcendiſſet, ab *Achilla* præfecto regio & *L. Septimio* Tribuno militum (hic quondam [c] apud Pompejum ordinem duxerat) interficitur. Neque tamen hoc factum ratione caruit; nam ſi eum recepiſſent, hoſtem Cæſarem & Pompejum dominum habituri erant; ſi abegiſſent, ſuccenſere poterat Cæſar, quod non quoque cum forent perſecuti. Et metuebant etiam, qui miſſi erant, ne vel ab *A. U.* 705.

Dd 2 ipſo

a *Vellej. L. II. c.* 53. b *Liv. epit.* 112.
c *Flor. L. IV. c.* 2.

ipſo Rege, qui multum, ut vidimus, Pompejo debebat; vel ab Ægyptiis, qui bene ei cupiebant, reciperetur a. Sed, præter Pompejum, etiam L. Lentulus a Rege comprehenſus & in cuſtodia necatus eſt. Truncum Pompeji cadaver, nam caput ablatum fuerat, libertus Pompeji *Philippus*, ſene quodam Romano adjuvante, in litore cremavit b; & juſta ei, ut ſinebat occaſio, fecit. Cornelia & *Sextus Pompejus* Magni F. fuga evaſerunt in Cyprum c. Caput Pompeji oblatum aſpernatus eſt Cæſar; & lacrymas annulum ejus accipiens fudit: quas tamen fictas fuiſſe ſatis patet, cum eum perſequi, donec periret, non deſtitiſſet d: & ita jam antea Ciceroni dixerat Curio, qui arcanorum conſiliorum Cæſaris erat conſcius, Pompeji interitum finem demum bello fore e: quanquam fatendum ſit, Cæſarem, niſi ambitioni inſerviendum eſſet, crudelis indolis non fuiſſe. Hic finis fuit Viri omnium, quotquot hactenus Roma tulerat, auctoritate & rebus geſtis præcipui. Tribus enim Conſulatibus, totidemque triumphis ex tribus Orbis partibus relatis vere *Magni* nomen meruiſſe videri potuit: ejusdemque finis luculentum ſpecimen fragilitatis rerum humanarum præbet. Quod autem vitam ejus in civitate actam attinet, felicior ſane quam prudentior fuiſſe vide-

a *Dio L.* 42. *p. m.* 121. b *Plut. Pomp. p.* 661. c *Liv. l. d.* d *Dio l.* 42. *p.* 123. *Vid. &* *Cic. Att. L. IX. n.* 4. *Lucan. L. IX. v.* 1035. *ſqq.* e *Cic. Att. L. X. n.* 4.

videtur: idque etiam in hac ultima pugna patuit, ubi tanquam certa victoria foret, nihil quo refugeret, nihil quo res collapſas reſtitueret, ſibi reliquum fecit [a]. *Magnus* tamen ob res geſtas jure dici potuit: *Bonus vir* appellari per inſanabilem ambitionem, & quæ eam neceſſario comitantur crimina, non meruit. Occiſus eſt pridie natalis ſui duodeſexageſimi [b].

## CAPUT NONUM.

*Bellum Alexandrinum, & Ponticum, & Africanum.*

§. I. CÆſari, ut ad prælium in Theſſalia commiſſum revertamur, exigua ſuorum clade tanta victoria ſteterat: nam non amplius quam ducentos milites deſideravit: ſed centuriones, fortes viros, circiter triginta amiſit [c]. Et ex Pompejanis quoque militibus non plus quam ſex millia interfecti [d]. Servorum major numerus cecidit: pedites captos legionibus ſuis fere Cæſar immiſcuit. Multis illuſtribus viris incolumitatem dedit; & inter eos M. Bruto, quem ſtatim Galliæ Ciſalpinæ præfecit: & qui mox inter percuſſores ejus præcipuus fuit [e]. Senatores vero & Equites, quibus jam ſemel ignoverat, interfici juſſit: niſi quod amicis ſuis ſingulis unius ſalutem condonavit. Literas quoque in ſcriniis

*Occaſio belli Alexandrini.*

Dd 3 Pom-

a *Dio L.42.init.* b *Vell. Pat. L.II. c.5.* c *Cæſ. B.C. L. III. c. 99.* d *Plut. Pomp. p.657. & Cæſ. p.730.* e *Vid. Dion. l. 41. ipſo f.*

Pompeji repertas cremavit : neque legiſ ęas, neque deſcripſit, ne quid gravius in quenquam ſtatuere cogeretur. Caſtra Pompeji ingreſſus Cæſar ingentem ibi apparatum luxuriæ, & alia, quæ victoriæ fiduciam deſignarent, invenit [a]. Verum omnibus rebus relictis perſequendum ſibi eſſe Pompejum ſtatuens in Aſiam primum pervenit : & ibi claſſem Pompeji, cui C. Caſſius præerat, ſolo terrore in poteſtatem redegit [b] : & paucos dies ibi commoratus, quum audiſſet Cypri viſum Pompejum, conjectans eum in Ægyptum iter habere, cum legionibus duabus, ſed in quibus tria tantum hominum millia & ducenti erant, & paucis equitibus pervenit Alexandriam [c]. Verum, cum continuos ibi Ægyptiorum tumultus, tum ob exactionem pecuniæ, tum quod ſacris eorum non abſtineret, tum etiam, ne a Cleopatra Cæſari, apud quem jam plurimum poterat, & qui facillime libidinibus vincebatur [d], traderentur, experiretur, legiones alias, quas ex Pompejanis militibus confecerat, ex Aſia adduci juſſit. Interim Regem Ptolemæum & ſororem ejus Cleopatram exercitus dimittere, (nam bellum adhuc acriter gerebatur) & de controverſiis jure apud ſe potius, quam armis inter ſe diſceptare voluit : ubi tamen ipſe Cleopatræ jam amore captus, advocatum potius puellæ, quam judicem egit.

a *Ipſe B. C. L. III. c. 96. Plut. Pomp. p. 657.* b *Dio L. 41. p. m. 122. qui* L. Caſſium *vocat.* c *B. C. L. III. c.* 106. d *Dio L. 42. p.* 130.

egit. Sed magis etiam tumultuantibus Ægyptiis in concionem progreſſus Cæſar oſtendit, ex Regis defuncti teſtamento Ptolemæo ſimul & Cleopatræ regnum deberi, ita ut hæc fratri nuberet: ejusque teſtamenti executionem ſe procurare velle, qui Dictator Populi Romani eſſet, (nam poſt victum Pompejum contra leges abſens, & in annum Dictator conſtitutus fuerat, M. Antonio Equitum magiſtro) cui harum rerum procurationem Rex defunctus mandaverat. In eum tamen terrorem pervenerat Cæſar, ut etiam de ſuo, vel de Populi Romani potius provinciis Cyprum Ptolemæo Juniori *Arſinoæ*que ejus ſorori concederet, nedum ut ipſe ex rebus Ægypti aliquid adipiſceretur. Sed dum de teſtamento Regis apud Cæſarem diſceptatur [a], *Pothinus* eunuchus, qui regnum pueri Regis curabat, cum Theodoto Regis magiſtro [b] bellum parat: & Achillam ſingularis audaciæ virum omnibus copiis præficit: vel potius id jam fecerat, ante quam cum Ptolemæo ad Cæſarem accederet: nam Cæſar deprehenſis ejus conſiliis in ipſo convivio eum interfici curavit; quod periculum vix effugit Achillas [c]. Rex tum Cæſaris hortatu legatos mittit, qui, quid eſſet ſuæ voluntatis oſtenderent. Horum alter graviter vulneratus, alter interfectus eſt a militibus, quos ad id facinus Achillas incitaverat, ut ita omnem ſpem veniæ a Cæ-



a *Cæſ B.C.L.III.c.*109. b *Vid.Freinsh.ad Flor.L.IV. c.*2.*n.*60. c *Plut.Cæſ.p.m.*731.

ſare impetrandæ ſuis adimeret [a]. Cæſar, quo majore eſſet auctoritate, Regem, ut in ſua poteſtate haberet, effecit. Isque a Cæſare juſſus ad Ægyptios concionem habuit, qua velle ſe oſtendebat, ut pacem colerent: ſed, cum facile intelligerent Ægyptii, Cæſare cogente hæc fieri, nihil a propoſito deflexerunt. Achillas vero copiis contractis Alexandriam occupat [b]: & cum Cæſare de claſſe, quæ in portu erat, obtinenda acriter contendit. Sed rem obtinuit Cæſar, omnesque naves incendit: & *Pharum* turrim in inſula, quæ portum Alexandrinum claudit, occupat. Filia vero minor Ptolemæi Regis Arſinoe ad Achillam evaſit. Ita hæc initia belli a Cæſare narrantur. At alii, non neceſſarium hoc bellum ipſi fuiſſe; ſed Cleopatræ amore excitatum tradunt; quæ curaverit, ut conſtricta loro culcita ad Cæſarem inferretur [c].

*Belli Alex. hiſtoria continuata.*

§. II. Ita conflato bello Cæſar aliunde etiam auxilia & apparatum belli arceſſit [d], quod neque loco, neque tempore æquo; ſed hyeme anni & intra mœnia copioſiſſimi ac ſolertiſſimi hoſtis inops ipſe rerum omnium, atque imparatus gerere cogebatur [e]. Sed interim diſſenſione orta inter Achillam & Arſinoen Achillas interficitur: exercitus Ganymedi Eunucho transditur [f]. Hic cum Cæſarianos aqua intercluderet, magnus eos

timor

a *Dio l.42. p. 132.* b *Cæſ. B.C. L.III. c.111.* d *Plut. Cæſ. p. 730. ſq.* d *Hirt. de bell. Al. c.1.* e *Suet. Jul. c.35.* f *Hirt. c.4.*

timor inceſſit: cui puteis effoſſis, & magna vi aquæ dulcis inventa occurſum eſt. Et, licet jam navali prælio ſuperior fuiſſet Cæſar, Alexandrini nihilominus omni ſtudio parandæ claſſi incubuerunt [a]. Et, cum jam utrique ſuis viribus confiderent, iterum navali prælio decertatum eſt; atque ſuperior Cæſar fuit: qui mox etiam caſtella quædam ad portum ſtructa occupat, alia fruſtra tentat: & ut Alexandrinos in ſe irruentes propelleret, navilia incendit [b]. Latius pervagatum hoc incendium præter alia etiam ingentem multitudinem librorum abolevit: quorum interitu magnum damnum fecit Reſpublica literaria: nam dubitari nequit, quin non tantum Græcorum librorum; verum etiam aliis linguis conſcriptorum ibi fuerit copia: cum hodie, præter Sacræ Scripturæ codicem, ne unus quidem auctor vetuſtus lingua aliqua Orientis conſcriptus ad nos pervenerit: nam de *Sinenſium* ſcriptis nos hic non agere, facile æquus Lector videt. Inter has pugnas ipſe Cæſar aliquando in tantum diſcrimen venit, ut navigium, in quo erat, multitudine fugientium depreſſum una cum hominibus interierit: ipſe ad naves, quæ longius conſtiterant, natando evaſerit: ſummo quidem periculo ſuo, cum ex paludamento eum noſcentes hoſtes telis creberrimis eum peterent: ubi tanta conſtantia Cæſaris fuit, ut ne libel-

los

a *Ibid. c.* 12. b *Plut. C. ſ. p.* 731.

los quidem, quos manu tenebat, madefieri pateretur [a]; paludamentumque mordicus traheret, ne ſpolio potiretur hoſtis. Nec minus interea præliis quotidianis, & operibus hoſtium, quæ in ipſa Urbe exſtructa erant, expugnandis certabatur: ita ut Alexandrini, quum exitum belli nullum viderent, legatos ad Cæſarem miſerint [b], ſe paratos eſſe, ſi Regem dimiſiſſet, eo auctore in amicitiam & fidem Cæſaris venire. Rex jam ab unguiculis ad fallaciam factus flens Cæſarem orare cœpit, ne ſe dimitteret: dimiſſus ſtatim bellum acerrimum contra Cæſarem geſſit. Conſilio tamen prudenti hic uſus fuerat Cæſar: cum vel pacem, qualem optabat, ſe cum Ægyptiis ita facere poſſe ſperaret: vel juſtiorem utique cauſſam bellandi, & occaſionem regnum Cleopatræ tradendi habiturum. Ad Cæſarem interea auxilia adduxit, qui ad ea arceſſenda miſſus fuerat, *Mithridates Pergamenus*, expugnato Peluſio, quod ſe itineri ejus opponebat: & Cæſar copiis cum eo junctis hoſtes profligavit; & caſtra mox regia cepit [c]. Rex demerſa nave, in quam fugiens receptus erat, periit: licet alii negent, conſtitiſſe, quid de eo factum ſit [d]. Alexandrini in deditionem venerunt. Ita Cæſar Ægypto potitus regnum in minorem Ptolemæum, ſororemque ejus majorem Cleopatram con-

a *Suet. Jul. cap.* 64. *Dio L.* 42 *p.* 133.
b *Hirt. b. Alex. c.* 23. c *Ibid. cap.* 31.
d *Hirt. B. Al. c.* 33.

contulit: minorem Arſinoen deducere ex regno ſtatuit; eamque poſtea Romæ in triumpho duxit. Atque ita quidem hæc facta eſſe Hirtius Cæſaris adulator tradidit: ſed ex aliis auctoribus [a] ſcimus, Cæſarem amore Cleopatræ irretitum nihil amplius inter fas & nefas diſtinguere potuiſſe; ſolamque Cleopatram conſtituiſſe reginam [b]: ex qua etiam filium genuit, qui *Cæſarion* paterni nominis imitatione ab Alexandrinis eſt dictus. Imo in animo habuit uxorem illam ducere; atque inde legem jam agitaſſe fertur [c], „ ut uxores „ liberorum quærendorum cauſſa quas & „ quot vellet, ducere liceret. " Provinciam autem Ægyptum facere veritus eſt [d], ne quandoque violentiorem Præſidem nacta novarum rerum materia eſſet. Ita rebus in Ægypto compoſitis itinere terreſtri Cæſar in Syriam eſt profectus.

§. III. Dum hæc in Ægypto geruntur, novum bellum in Aſia exortum fuerat [e]. Erat in ea Rex, ſive Tetrarcha Galatarum *Dejotarus:* qui a Senatu Rex Armeniæ Minoris appellatus, & bello civili Pompeji partes ſecutus, poſt aciem Pharſalicam, cui interfuerat, ſe in tetrarchiam ſuam recepit. Utque victoris gratiam aucuparetur, Cn. Domitii Calvini, quem Aſiæ præfecerat Cæſar, exercitum tectis ſuis ac copiis ſuſtentavit [f]: & ora- *Bellum Ponticum.*

a *Dio L. 42. p. m. 134.* b *Liv. epit. 112.*
c *Suet. Jul. c. 52.* d *Ib. c. 35.* e *Hirt. B. Alex. c. 34.* f *Cic. pro Dejot. c. 5.*

& oravit ſimul Domitium, ne regnum ſuum a Pharnace Ponti Rege vaſtari pateretur: niſi enim eo malo liberaretur, pecuniam Cæſari promiſſam ſe perſolvere non poſſe. Nam Pharnaces per civile hoc Romanorum bellum occaſionem omnis paterni regni recuperandi natam credens, rebellionem fecerat [a]. Ergo Domitius mittit ad Pharnacem, ut Armenia & Cappadocia (nam etiam hanc invaſerat) decederet; ſimulque exercitum propius illius regionibus admovit: & regia munera, quæ compluribus legationibus miſſis ei offerebat Pharnaces, conſtanter aſpernatus eſt: nec ideo Rex legatos mittere ceſſabat, quo eum facilius deciperet [b]. Sed cum tabellarios Cæſaris literas ad Domitium ferentes intercepiſſet, & inde vidiſſet, maximo in periculo verſari Cæſarem, omnino tempus ſibi trahendum ſtatuit. Domitius vero, ut tutius ad Cæſarem ire poſſet, prius confligere voluit: quem victum Pharnaces cum reliquiis exercitus ſe per Cappadociam in Aſiam recipere coegit: & mox Pontum nullo defendente obtinuit, victoria crudeliter uſus. Et plura recuperaſſet, niſi *Aſander* cui tutelam Boſpori crediderat, res novas fuiſſet molitus. Sed interim Cæſar, qui jam res Syriæ ordinaverat, magnis itineribus ad fines Ponti & Gallogræciæ acceſſit: Regemque Dejotarum, qui reorum

a *Dio L.* 42. *p.* 134.
b *Hirt. de B. Al. cap.* 37.

rum habitu ſumpto ſupplex ad eum venerat, in fidem recepit, venia ei & vetere regno conceſſis [a]: auxiliaque ad bellum gerendum adducere juſſit: Tetrarchiæ tamen regno pecuniaque mulctavit [b]. Statim ac in Pontum advenerat Cæſar, legati a Pharnace adfuerunt, *facturum quicquid imperatum foret*, promittentes: qui tamen moram tantum rebus ſuis utiliſſimam quærebat, cum probe ſciret, pluribus de cauſſis Cæſarem ad Urbem revocari. Ejus ipſius tamen moræ impatiens, & exercitum Romanum contemnens [c], quem ſub duce Domitio pepulerat, imprudentiſſime, & incredibili temeritate caſtra Cæſaris tutiſſimo loco poſita aggreſſus eſt [d]. Et pretium ſtultitiæ ingentem cladem, & totius regni amiſſionem tulit. Dio quidem, eodem die quo advenerat Cæſar, prælium commiſiſſe, & hoſtem viciſſe tradit: ſed interceſſiſſe aliquid temporis, ex narratione Hirtii intelligimus: dicitque Suetonius [e], intra quintum quam adfuerat diem, quatuor, quibus in conſpectum venit, horis, una acie hoſtem profligaſſe. Hoc certum eſt, cum celerrime & feliciſſime confecto bello regionum illarum ſtatum compoſuiſſe, & celerius omnium opinione veniſſe in Italiam [f], cum Boſpori regnum Mithridati Pergameno, de quo diximus, conceſſiſſet: & ingentem undique pecuniæ vim cor-

a *Hiſt. Ib. c.* 68. b *Cic. de Divin. L.* 1. *c.* 15. c *Dio L.* 42. *p. m.* 135. d *Hirt. c.* 74. e *Jul. c.* 35. f *Hirt. de Bell. Al. c.* 78.

corraſiſſet; cum merito duas eſſe res prædicaret, quibus & quæreretur & ſervaretur, & augeretur potentia, pecuniam nempe & milites. Jure ergo ob hanc victoriæ celeritatem Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, VENI. VIDI. VICI [a].

*Res Dejotari Regis.* §. IV. Eodem tempore etiam Dejotaro Regi veniam dedit Cæſar: imo etiam hoſpitio ejus eſt uſus; cum nullum obſequii officiique erga Cæſarem genus Rex prætermitteret. Sed idem hoc hoſpitium maximum Dejotaro periculum creavit [b]: Nam nepos Regis ex filia *Caſtor* ſimul cum *Philippo*, an *Phidippo* [c] medico Regem, ſenem valde, [d] ſed vegetum, accuſarunt, quod Cæſarem quodam die, ſi in balneum iviſſet, occidere cogitaſſet. Defendit Dejotarum Cicero apud Cæſarem oratione, quæ exſtat: ſed neque abſolutus a Cæſare, neque damnatus Rex fuiſſe videtur. Statim certe, poſtquam cæſus fuit Cæſar, omnes ſuas ditiones recepit [e]: & partium Reip. diligentiſſimus cultor Bruto etiam auxilia ſubmiſiſſe legitur. Videtur tamen ſæviſſimo ingenio fuiſſe Dejotarus, ſi vera ſunt, quæ de eo narrat Plutarchus [f]: eum nempe, cum complures haberet filios, omnes ceteros necaſſe;

cum

a *Suet. Jul. c. 37.* b *Vid. Or. Cic. pro Dejot.* c *Vid. ib. c. 6.* d *Id. Phil. XI c. 13. App. an. Parth. n. 126. Dio L. 47. p. 227* e *Cic. Phil. II c. 37.* f *De Stoicor. repugnantiis p. m. 1049.*

eum vellet uni regnum domumque relinquere.

§. V. Sed, ut ad Cæſarem revertamur; hic cum poſt fugam ex Italia Pompeji in Hiſpaniam proficiſci conſtituiſſet, Curionem in Siciliam miſerat, ut ea recuperata protinus exercitum in Africam transduceret [a]. Tenebat eam *Attius Varus*, qui poſt pugnam ad Auximum fuga eo delatus vacuam occupaverat: & *Tuberonem*, cui ea provincia ſorte obvenerat, ejus aditu prohibuerat. Et favebat ibi Pompeji partibus Rex Numidiæ *Juba* [b]: cui paternum cum Pompejo hoſpitium intercedebat; & idem privatim Curioni inimicus erat, quod hic in Tribunatu plebis legem *de Jubæ regno publicando* tulerat [c]: & Romæ hoſtis fuerat judicatus. Sed Varus a Curione (poſtquam is exercitum ſuum, cujus fides vacillare videbatur, oratione confirmaſſet [d]) prælio victus fuit: ut etiam Numidiæ quidam partium ejus equites. Curio, qui ob has res geſtas Imperatorem ſe appellari paſſus fuerat [e], Uticam ſtatim obſedit: ſed adventu Jubæ nunciato receſſit, reliquas copias exſpectare & bellum ducere parans: præſertim cum Afris inimicis uteretur, qui fontibus medicamento infectis multos morbos in ejus exercitu provenire fecerant. Sed rumoribus quibusdam de impeditis Jubæ rebus

*De bello Africano. A. U. 704.*

a *Cæſ. Civ. L. I. c.* 30. b *Cæſ. Ib. L. II. c.* 25.
c *Dio L.* 41. *p. m.* 111.
d *Cæſ. d. l. c.* 33.
e *Appian. Civ. L. II. n.* 455.

rebus permotus [a] imprudenter valde cum impari exercitu prælium committit: & cum ſe ſuperatum videret in hoſtes ſe immittens & fortiter pugnans interficitur. Milites ejus ad unum omnes cæſi ſunt: equites quidam ſuperſtites fuerunt. Qui ſub M. Rufo Quæſtore in caſtris relicti fuerant ingenti terrore perculſi partim in Siciliam aufugiunt: partim ſe Vario dedunt. At horum etiam magna pars Jubæ mandato eſt interfecta. Sed Cæſar, cum ex Aſia reverſus brevem in Urbe moram feciſſet; & Conſules in paucos dies usque ad finem anni (licet ipſe Dictaturam retineret) conſtituiſſet [b] *Q. Fuſium Calenum* & P. Vatinium, collecto in Sicilia exercitu navem conſcendit; cum antea gravem militum ſeditionem fortiſſime compeſcuiſſet [c]: & poſt diem quartum in Africam appulit circa brumam [d], cum ipſe paullo ante tertium Conſul eſſet factus. Ibi ſtatim ex conſilio *L. Planci* legati ad *C. Conſidium*, qui Adrumeti præerat, captivum cum literis miſit, ſi ille in partem Cæſaris pertrahi poſſet: ſed captivus ille ſtatim Conſidii juſſu interfectus eſt [e]. Cæſar repulſis eruptionibus, quæ ex oppido fiebant, cum vires illi oppugnando non haberet, *Ruſpinam* & Leptin contendit; & ab oppidanis benigne exceptus ibi reliquum hyemis tranſegit [f]: cum

a *Cæſ. Ib. c. 38.* b *Tabb. Capitol. Dio L. 42. verſ. f.* c *Plut. Cæſ. p. 732. Dio l. 43 p. 137.* d *Cic. de Divin. L. II. c. 24.* e *Hirt. de bell. Afr. c. 4.* f *Dio L. 42. ipſo f.*

cum jam etiam in itinere ex oppidis caſtellisque legationes veniſſent pollicentes, paratos eſſe, quæ imperaſſet facere [1]. Inde cum Labieno aliquoties manus conſerit [a]: & prima quidem pugna infeliciter: quando Petrejus, qui cum Labieno erat, imprudenter victoria ſua uſus non eſt; quod eam laudem ſe Scipioni reſervare diceret [b]. Sed audiens Cæſar, cum copiis adventare Scipionem, caſtra diligentius communit [c], anguſtias etiam rei frumentariæ metuens [d]: nam ea jam graviter laborare cœperat [e]. Penes hunc Scipionem Pompeji ſocerum jam ſummum in Africa erat imperium, virum quippe conſularem: nam antea id habuerat Cato [f], qui cum claſſe, cui præfectus fuerat, victo Pompejo a Dyrrhachio in Siciliam primum, inde in Africam venerat; multis, qui eas partes ſecuti fuerant, ad ſe receptis. Nam alii tum, inter quos Cicero [g], recta ſtatim Romam contenderant victoris clementiam experturi. Sed vix rerum ſtatum in Africa perſpexerat Cato, quin male de totius belli eventu ominaretur [h], tum ob alias cauſſas, tum ob Scipionis imperitiam & crudelitatem. Nihilominus Jubam cum Scipione reduxit in gratiam; cum hic antea & Scipionem & Varum tanquam pro Satrapis habuiſſet; licet Scipio

 Jubæ

a *Hirt. c. 12. ſqq.* b *Appian Civ. L. II. n. 487.*
c *Hirt. cap. 20.* d *Dio L. 43. init.*
d *Plut. Cæſ. p. m. 732.* e *Liv. epit. 113.*
f *Dio l. 42. p. 123. Cic. Att. XI. n. 6.* g *Plut. Cat. p. 788.* h *Plut. Cat. p. 788.*

Jubæ omnem Africam promiſiſſe dicatur a. At Cato Scipioni idem conſilium, quod antea Pompejo, dedit, ut bellum duceret. Interim *Cn. Pompejus* Magni filius, cum aſſidue a Catone objurgaretur, quod nihil patre dignum præſtaret, impreſſionem in Mauritaniam & regnum *Bogudis* fecerat: ſed re male geſta ad inſulas Baleares diſceſſit b. Poſtea autem probe inſtructus in Hiſpaniam, quæ ſeditionibus agitabatur, dimiſſus fuit. Bellum exinde varia fortuna ductum eſt: licet primum ſumma conſilii inopia hæreret Cæſar, quod nec diutius ob annonæ penuriam trahere bellum, nec imminentibus terra marique hoſtibus ex Africa diſcedere poſſet. Spargebantur etiam interea libelli, quibus utraque pars milites promiſſis ad ſe traducere conabatur. Verum multum ad explicandum anguſtiis Cæſarem contulit *P.* quidam *Sittius*: qui cum quibuſdam ab Italia exſulibus in regnum Jubæ abſentis irrupit, & vaſtationibus Jubam compulit, ut magna parte exercitus ad regni ſui defenſionem uteretur. Interea oppida capiebantur: velitabatur ſæpius: naves intercipiebantur, plus tamen Cæſari faventibus fatis: licet etiam aliquando cum magno ſuo periculo pugnaverit c: ſed hæc omnia late referre longum foret. Tandem ad Thapſum urbem ſe convertit, ut vel ad prælium hoſtes eliceret; vel ſaltem ea urbe potiretur d: & ſco-

a *Dio L.* 43. *p.* 141. b *Hirt. c.* 23. c *Plut. Caſ. p.* 732. d *Dio L.* 43. *p.* 142.

& ſcopum obtinuit ; nam hoſtium ſuorum exercitum juſto prælio profligavit [a] , & minimo ſuo damno: ubi iterum celeritas Cæſaris præcipua victoriæ cauſſa fuit; quæ virtus inter militares Cæſaris virtutes poſtrema non fuit . Itaque paucis horis trinis hoſtium caſtris potitus eſt: cum etiam elephanti Jubæ [b] bellorum rudes & nuper a ſylva, ſtragem ſuorum auxiſſent : Equites Scipionis , qui ex prælio fugerant, *Paradi* oppidi incolas , qui eos non receperant , quod jam de victoria Cæſaris certiores eſſent facti , vi oppido potiti acerbiſſimo ſupplicio afficiunt . Cato cum reliquis Pompejanis , qui elapſi fuerant, Uticæ ſe ad defenſionem parat : quam urbem ſervaverat [c] , cum Scipio in gratiam Jubæ eam exſcindere voluiſſet , quod cives cum Cæſare ſentire viderentur [d] . Jam quoque Romanis, qui ibi ſatis magno numero erant , ad defenſionem urbis animos addidit ; ( ſed qui cito iis exciderunt ) ſervis tamen, quod plerique volebant , libertatem , ut militare poſſent , ſe daturum eſſe abnuens . Sed cum fugam potius , quam defenſionem oppidi ſuos agitare intellexiſſet , iis, qui proficiſci vellent, naves & viaticum tribuit [e]. Quo facto ſibi ipſi manus violentas intulit . Sed merentur paullo diſtinctius referri , quæ circa mortem Catonis evenerunt : licet genus

 mor-

a *Hirt. c. 81.* b *Flor. L. IV. c. 2.* c *Liv. ep. 11.*
d *Plut. Cat. p. 787. Dio L. 42. f.* e *Id. L. 43. p. 143. Plut. Ib. pag. 791.*

mortis ejus nequaquam probandum ſit. Sed & viderat futura Cato, quæ acciderunt; & ne fierent, contenderat; &, facta ne videret, vitam reliquit [a]: quæ mors homini quidem Ethnico nobiliſſima videri debuit [b]. Palam ergo teſtatus, ſe gratiam a tyranno non eſſe petiturum, balneum, ut ſolebant veteres, ante cœnam intravit [c]; & laudando etiam magis veterum more, cujus memoria in pudorem nos agere debeat, qui nugacibus ut plurimum ſermonibus inter cœnandum cum amicis delectamur, erudita de capitibus quibusdam philoſophiæ ſuper menſam diſputatio fuit: atque in eo Stoicorum effato maxime Cato conſtitit; *Solum ſapientem*, ſive *Virum bonum* (nam hæc ſynonyma erant Stoicis [d]) *eſſe liberum, omnes malos ſervos*. Cum tamen ſenſiſſet, triſtitiam ex eo ſermone ortam alio colloquio eam diſcutere tentavit. Soluto convivio, cum præfectis excubiarum ea, quæ tempus poſcebat mandaſſet, amicosque rurſus arctius eſſet complexus in cubiculum diſceſſit. Et, cum filius enſem inde abſtuliſſet, acri efflagitatione eum ſibi reddi fecit. Inde reſumpto in manus *Dialogo Platonis de anima* (nam eum jam ante quam enſem ablatum vidiſſet legebat) arctiſſimo ſomno obdormivit. Cumque amicos, quos monuerat, ut Cæſaris gratiam

tiam

a *Cic. Att. L. XII. n. 4.* b *Id. Famil. L. XI. n.* 18. *Horat. Od. I. XII. v.* 31. c *Plaut. Perſ. I.* III. 10.
d *Vid. Cic. Parad. V. Lipſ. Manud. ad Phil. Stoic. L. III. Diſſ.* 12.

tiam requirerent, e portu ſolviſſe audiviſſet, primo mane gladium corpori ſub pectore impreſſit. Sed cum ſtatim exanimatus non eſſet, de lectulo decidens ſtrepitum edidit: ad quem accurrentes amici refovere eum, & vulneri curam adhibere cœperunt, patiente illud Catone dum abſcederent. At illis digreſſis manibus vulnus divellit, ſtatimque exſpirat, annum agens quadrageſimum octavum. Et fuit ſane Cato vir, ut ea tempora ferebant, optimus: ſed de quo idem eſt dicendum, quod de ejus proavo Catone Cenſorio diximus, virtutem ejus nequaquam ad Chriſtianarum virtutum normam eſſe exigendam; quod vel ex ſola ejus expeditione in Cyprum patet: &, niſi ad finem properaremus, facile pluribus oſtendi poſſet a. Cæſarem ferunt audita Catonis morte dixiſſe, *ſe mortem illam Catoni invidere, quando ille ſuam ſalutem Cæſari invidiſſet*. Inde Uticenſibus Cæſar veniam conceſſit; grandi tamen imperata pecunia. Rex Juba & Petrejus Pompeji legatus, cum a Zamæ oppidi civibus non reciperentur, in villam Jubæ ſe conferunt: atque ibi ferro inter ſe depugnant: & cæſo Petrejo Juba a ſervo precibus impetravit, ut ſe interficeret c. Multi etiam alii Pompejanorum hinc inde perierunt: multis aliis Cæſar veniam largitus eſt: & inventas in ſcrinio Scipionis literas combuſſit. Sed multos etiam captos



a *Vid. de Catonis laude præter alios Senec. p. 14. & 95. Lucan. II. v. 238. &c.* b *Hirt. c. 90.* c *Ib. c. 94.*

necavit, Afranium & *Sullam* Pompeji generum indicta cauſſa: *L.* etiam *Cæſarem*, cui primum ignoverat; & qui poſtea libertos ſervosque Cæſaris crudelem in modum enecaverat; & beſtias quoque ad munus Populi comparatas contrucidaverat [a]. Afranio jam ſemel ignoverat [b]. Sed teſtatur etiam Cicero [c], Africanæ cauſſæ Cæſarem iratiorem fuiſſe. Scipio cum aliis Hiſpaniam petens a navibus Cæſarianorum eſt circumventus [d]: &, cum evadere non poſſet, ſeipſum gladio transfixit [e]. Cæſar confecto bello, quo vectigalia Romanorum maxime aucta ſunt [f], & Salluſtio Mauritaniæ præfecto, cum etiam partem copiarum in Hiſpaniam miſiſſet, ubi bellum a Pompeji filiis renovabatur, Romam ipſe feliciter rediit. In Urbem reverſus quatuor
A. U. 707. triumphos duxit, primum ex Galliis; ſecundum de Ptolemæo Rege ex Ægypto; tertium de Pharnace Rege ex Ponto; quartum denique de Juba Rege ex Africa. Populi inde & militum voluntatem donis & ſpectaculis ſibi etiam magis aſſeruit [g]. Cenſu deinde peracto (quod etiam ex auctoritate Dictatoria fecit) civium numerum per hæc bella nimium quantum imminutum reperit: nam cum proximis Cenſoribus anno Urbis 703. cenſa fuiſſent civium trecenta & vi-

a *Suet. Jul. c.* 78. b *Flor. L. IV. c.* 2. c *Fam. VI.* 14. d *Hirt. c.* 96. e *App. Civ. L. II. n.* 491. f *Plut. Cæſ. p.* 733.
g *App. Civ. L. II. n.* 491.

& viginti millia, hoc cenſu tantum centum & quinquaginta millia reperta fuiſſe feruntur [a].

§. VI. Sed antequam videamus, quid Cæſar victor in civili Reipublicæ adminiſtratione conſtituerit, prius bellum Hiſpanienſe narrandum eſt. Cn. Pompejus, poſtquam ex Africa in Hiſpaniam venerat, ibi qua vi, qua precibus, magna comparata manu [b] bellum acriter gerere cœpit [c]; & etiam Baleares inſulas in poteſtatem redegerat. Frater etiam ejus Sextus Cordubam caput provinciæ præſidio tenebat: paratioresque erant in Hiſpania exercitus, quod ſeſe ſeditionis reos agnoſcerent: & ambiguo quoque, ut videtur, eventu inter legatos utriusque partis navali prælio erat decertatum [d]. Cæſar interim quartum jam Conſulatum ſolus, & tertiam Dictaturam gerebat; ſed Conſulatum titulo tenus: imo eum demum iniit poſt victoriam Hiſpanienſem in Urbem reverſurus; & poſtquam in Urbem venit, abdicavit ſuffecto ſibi *Q. Fabio Maximo* [e]: &, cum is extremo anni die ſubito obiiſſet, in paucas horas, quæ ad Kal. Jan. ſupererant, Conſulem ordinavit *C. Caninium Rebilum* [f],

*De bello Hiſpanienſi.*

*A. U. 708.*

Ee 4 belli

a *Liv. ep.* 115. *Plut. Cæſ. pag.* 733. *Appian. Civ. L. II. n.* 492. b *Vell. Pat. L. II. c.* 55. c *Hirtius, vel alius potius, de b. Hiſp. c.* 1. *Nam ſtilus horridior alium auctorem notat. Vid. & Suet. Jul. c.* 56. d *Flor. L. IV. c.* 2. e *Plin. H. N. L. VII. c.* 53. f *Cic. Fam. VII.* 30. *Suet. Jul. c.* 76. *Ner. c.* 13.

belli civilis ſcilicet præmia feſtinans [a]. Et hinc *Conſulum ſuffectorum* ſub Imperatoribus origo promanavit. Sed revertamur ad Cæſarem. Hic Urbis cuſtodiam permiſit Lepido Conſuli, & ſex vel octo præfectis Urbi [b]. Atque inde celeri feſtinatione in Hiſpaniam profectus Pompeji res in auguſtum ſtatim locum redegit; cum multi etiam ad Cæſarem ex caſtris Pompeji tranſirent: qui *Ategua* urbe potitus *Imperator* appellatus eſt [c]. Hinc caſtra ſua caſtris hoſtium contulit: ita ut plurima minoris momenti prælia ſint facta. Atque ita demum in campum *Mundenſem* ab urbe *Munda* * ita dictum, cum perventum eſſet, caſtra iterum contra Pompejum conſtituit: quem prudentiores monebant, ut bellum ducendo hoſtes ſuos in alieno ſolo morantes redigeret ad inopiam [d]. Sequenti die Cæſar, licet iniquiore loco [e], prælium commiſit; invitus fere; ſed quod aſſultans Pompejus ignaviam ei exprobraret. Obtinuit tamen victoriam poſt pugnam difficilem cæſis hominum circiter XXXM. & inter eos Labieno & Attio Varo: cujus legiones duæ cum *Cordubenſibus* a partibus Cæſaris deſciverant propter Q. Caſſii Prætoris avaritiam [f]. Verum adeo anceps hæc pugna fuit [g], ut jam in fugam Cæſariani ver-

a *Tac. Hiſt. III. 37.* b *Dio L. XLIII. p. m. 144.*
c *Auctor. B. Hiſp. c. 19.* * *Hodie pagus, an oppidulum Andaluſiæ nominis memoriam ſervat.*
d *Appian. Civ. L. II. n. 492.* e *De bell. Hiſp. c. 31.* f *Liv. epit. III.* g *Flor. L. IV. c. 2.*

verterentur : & ipſe Cæſar poſtea aſſerere ſolitus fuerit , ſæpe ſe *de victoria* , ſed jam *de vita* dimicaſſe [a] : quæ tamen vilis adulator , qui hujus belli hiſtoriam ſcripſit , diſſimulat . Imo de extremis ſecum agitaſſe dicitur [b] , cum cohortes hoſtium quinque , quas Labienus periclitantibus caſtris ſubſidio miſerat , per tranſverſam aciem actæ , fugæ ſpeciem præbuerunt. Hac occaſione arrepta Cæſar ſuorum animos erexit ; & hoſtes perculit [c] . Cn. Pompejus fugiendo *Cartejam* pervenit : ſed etiam inde cum paucis profugere coactus eſt ; licet graviter vulneratus eſſet in pugna non tantum accepto vulnere , at præterea , quod funiculum , cui pedem implicuerat , quidam præcidere volens, talum ejus per errorem ſecuiſſet. Delituit inde in ſpelunca : ſed captivorum indicio inventus & interfectus eſt ; caputque ejus a *Didio*, qui claſſi præfuerat, ad Cæſarem allatum . Sex. Pompejum fortuna, ſive providentia potius divina , ad alios caſus ſervavit: isque per aliquod tempus latrocinando ſuſtentavit vitam . Cæſar ſtatim victoriam urſit metu , ne hoſtis elapſus pugnam redintegraret : ſed hic adeo erat perculſus , ut hæc pugna finem bellis civilibus Cæſaris attulerit . Ergo in Urbem reverſus quintum egit triumphum ex Hiſpania ; quem merito *acerbam pompam* vocat Cicero [d] . Nec eo honore con-

a *Plut. Cæſ. pag.* 734. *App. n.* 493. b *Suet. Jul. c.* 36. c *Flor. l. d.* d *Attic. L. XIII. n.* 53.

contentus etiam legatos ſuos triumphare voluit; licet nihil propriis auſpiciis geſſiſſent a.

*Geſta civilia Cæſaris.*

§. VII. Supereſt porro, ut videamus, quid hoſtibus profligatis in conſtituenda Republica a Cæſare factum ſit. Et unam jam atque alteram legem in prima ejus Dictatura latam vidimus. In tertio vero Conſulatu *legem judiciariam* tulit, qua Tribunos ærarii a judiciis removit b. Tum alteram, „ ne provinciæ prætoriæ ultra „ annum, conſulares ultra biennium ob- „ tinerentur " c: cum experientia propria doctus ſciret, quam periculoſa ſit diuturnior ejuſdem præſidis in valentiore aliqua provincia dominatio. Præterea, ut exhauſtæ Urbis propter bella civilia frequentiæ conſuleret, & medicinæ profeſſoribus, liberaliumque artium doctoribus civitatem largitus eſt d; & licentiam peregre abeundi reſtrinxit; & præmia iis, qui plures genuiſſent liberos, propoſuit e. Sed ſimul ſolitudinem in Urbe majorem fecit, octoginta civium M. in transmarinas colonias diſtributis f: qua ratione aliis præmia perſolvere; alios ſibi inviſos ab Urbe removere potuit. Sed memoranda maxime eſt *correctio faſtorum* a Cæſare facta. Scilicet Pontifices g, penes quos erat cura temporis, pro libidine plane nunc plures ſæpe dies, nunc pau-

*A. U. 707.*

a *Dio L. XLIII. p. 154.* b *Supr. L. VII. c. 3. §. 3.* c *Cic. Phil. I. c. 8. Dio L. XLIII. p. 148.* d *Suet. Jul. c. 42.* e *Dio l. d.* f *Suet. ib.* g *Ib. c. 40.*

pauciores interkalando ordinem annorum ita turbaverant, ut initium anni hoc tempore per 67. dies retroceſſiſſet. Cum nempe aliquem diutius magiſtratus ſui munere fungi, vel publicanos ſerius penſionem ſuam perſolvere, aut aliquid ſimile cuperent, plures dies interkalabant; ſi contrariis rationibus ducerentur, pauciores[a]. Ergo duos menſes interkalarios dierum 67. inter menſem Novembrem & Decembrem interpoſuit; cum jam etiam Februario dies viginti tres fuiſſent additi, ſive menſis *Merkedonius* ex ordine quarti anni fuiſſet interpoſitus: ita ut hic annus (qui *confuſionis* dicitur) fuerit dierum 445. Eam porro anni formam inſtituit, quæ *annorum Julianorum* dicitur: & qui hodie vulgo nomine *ſtyli veteris* deſignatur. *A. U. 708*

§. VIII. Et hæc quidem egregie. Sed prægravant cetera facta dictaque ejus[b], ut & abuſus dominatione, & jure cæſus exiſtimaretur. Non enim honores modo nimios recepit[c], continuum Conſulatum, perpetuam Dictaturam[d] Præfecturamque morum & Tribunitiam poteſtatem[e]: inſuper prænomen *Imperatoris*; cognomen *Patris Patriæ*; ſtatuam inter Reges[f]; aliaque frivola magis: ſed etiam ampliora humano faſtigio, templa, (& in his unum ipſi & *Clementiæ* commune[g]) aras, ſacerdotes, appellationem menſis e ſuo nomi- *Finis Cæſaris.*

a *Amm. Marc. L. XXVI. c. 2.* b *Suet. Jul. c. 76* c *Liv. epit. 116.* d *Plut. Cæſ. p. 734.* e *Dio L. XLII. p. 126 Vid. Ib. p. 136.* f *Cic. pro Dejot. c. 12.* g *App. Civ. L. II. n. 494.*

nomine; multaque alia, quæ recenſere nimis longum foret [a]: cum quisque certaret, ne ultimus in honoribus decernendis reperiretur [b]; quæ adulatio quamvis facile Rempublicam corrumpere poſſit. Licet non deſint, qui putent, immodicos illos honores a Senatu Cæſari decretos fuiſſe, quo magis omnibus exoſus redderetur [c]: eaque omnia, velut inſulæ, in deſtinatam morti victimam congererentur [d]. At Cæſar licenter quoque omnia ſpreto patriæ more egit; Gallos ſemibarbaros in curiam recepit [e]; monetæ & vectigalibus peculiares ſervos præpoſuit; trium legionum curam liberti ſui filio, exoleto ſuo, demandavit; Conſules in paucas horas renunciavit [f]; amicis conculcandam Rempublicam tradidit [g]. Vocesque & actiones non minoris impotentiæ addebat [h]: *Nihil eſſe Rempublicam; appellationem modo ſine corpore ac ſpecie; debere jam homines pro lege habere, quæ diceret*: & plura ſimilia: Tum adeuntes ſe cum honorificentiſſimis decretis univerſos P. C. ſedens excipiens; imo regii nominis affectationem nequaquam diſcutiens [i]. Quin volunt, in animo habuiſſe, Ilium vel Alexandriam ſedem Imperii transferre: ac percrebuerat fama,

a *Vid. Dion. L. 44. paullo poſt init. & alios.*
b *Id. L. 42. p. m.* 126.
c *Dio L. 44. prope init. Plut. l. d.* d *Flor. L. IV. c. 2.* e *Suet. Jul. c. 80.* f *Cic Fam. VII. n. 30.* g *Id. Phil. II. c. 23.* h *Suet. Jul. c. 77.* i *Suet. c. 78. Plut. p. 736. Dio L. 44. p. m.* 160 *ſq.*

ſama, proximo Senatu *L. Cottam* Quindecimvirum ſententiam dicturum, ut, quoniam fatalibus libris contineretur, *Parthos, niſi a Rege, non poſſe vinci, Cæſar, REX appellaretur*. Videtur certe Cæſar non tantum bellum Parthicum; ſed etiam alia immenſæ ambitionis conſilia in animo ſuo volviſſe [a]; & miſerat jam ingentem exercitum in Græciam, ipſe mox ſecuturus [b]. Offerente vero aliquando diadema Antonio Conſule [c], id quidem rejecit: ſed poſtquam jam expertus foret, iniquo valde animo id Populum laturum eſſe. Nam absque eo non recuſaturum fuiſſe conſtat, quod Tribunos plebis, quia hominem ſtatuæ ejus coronam lauream imponentem in vincula duci juſſerant, graviter increpitos poteſtate privavit [d]: licet alium ei rei colorem dederit. Ergo negotium hoc nondum ex voto ſuccedere videns clam palamque dominationem detrectabat. Et gravis Populo acciderat triumphus Hiſpanienſis, qui titulo quidem de Hiſpania, re ipſa de civibus, & de Viri ſæpiſſime de Rep. optime meriti liberis fuerat actus. Ita ut ex his & ſimilibus rationibus Cicero collegerit [d], Cæſarem diutius ſtare non poſſe. Tandem in illum conſpiratum eſt a ſexaginta amplius. Principes conjurationis fuerunt M. & D. Bruti, quorum opera forti & fideli ſæpe in

a *Plut. p.* 735. b *App. Civ. L. II. n.* 497.
c *Cic. Phil. II. c.* 34. d *Vell. L. II.* 68. *Suet. c.* 79. e *Att. X. n.* 6.

in maximis rebus Cæſar uſus fuerat. Inid Marcus ipſius Cæſaris filius habebatur; ex adulterio ejus cum *Servilia* Catonis ſorore uterina genitus: Catonis vero filia *Porcia* Bruti uxor fuit. Erat autem M. Brutus hoc tempore Prætor Urbanus: quemadmodum C. Caſſius (qui vel acerrimus conjuratorum fuit) inter peregrinos jus dicebat. Ita ut uterque a multis ingrati animi accuſetur; cum alii id magnanimitatis fuiſſe dicant: quod, cum ingens commodum ex præſenti rerum ſtatu perciperent, tamen publicam rem privatæ prætulerint. Hi autem duo ſive per ambitionem, ſive ne ulla in re conjuncti viderentur, de juriſdictione inter ſe contendebant. Cicero autem necis Cæſari inferendæ conſcius non fuit: credo, quod timido valde ingenio virum eſſe conjurati ſcirent [a]. Maxime tamen cædem factam probavit [b]. Cæſar pridie quam occideretur in ſermone nato ſuper cœnam apud M. Lepidum, quiſnam eſſet finis vitæ commodiſſimus, repentinum inopinatumque prætulerat [c]: imo mortis contemptum ubique præ ſe tuliſſe videtur [d]. Ergo in curia Pompeji Senatum habens, & quidem ante ipſius Pompeji ſtatuam [e], tribus & viginti plagis confoſſus eſt *Idibus*
A. U. 709. *Martiis* A. U. 709. ætatis anno ſexto & quinquageſimo; cum poſt quatriduum Urbe fuiſſet exiturus [f]: nam maximas jam

a *Plut.Cic.*882. b *Fam.X.n.*18.*XI.*5. *Phil.II.c.*12. *& ſæpiſſime.* c *Suet.c* 86 *ſq.* d *Cic.pro Marc.c.*8. e *Plut.p.m.*738. f *App.Civ.L.II.n.*497.

jam copias ad bellum, quod contra Parthos meditabatur [a], præmiſerat: Et ſic ille, qui alter poſt Sullam Rempublicam oppreſſerat; & qui terrarum orbem ſanguine (& adde; eorum tantum, quos ex ſola libidine & avaritia pro hoſtibus habuerat) impleverat, tandem ipſe ſanguine ſuo implevit curiam [b]: poſtquam tantum menſes quinque confectis bellis civilibus ſupervixiſſet [c]. Ita ut vere prædixerit Cicero [d]; *regnum ejus vix ſemeſtre eſſe poſſe*. Sed ulteriorem diſputationem, *an jure cæſus fuerit Cæſar*; hic inſtituere, ſpatium, quod nobis præſcripſimus, non patitur. Hoc tantum addemus, *lege Valeria* olim capitalem pœnam fuiſſe ſtatutam, & impunitatem occidendi propoſitam, ſi quis injuſſu Populi magiſtratum geſſiſſet [e]; atque ita Cæſar ſuos poſtremos magiſtratus geſſerat. Ceterum hoc fatendum eſt, virum fuiſſe maximis animi dotibus præditum; & qui præſertim laude bellica omnes, quotquot unquam fuerunt belli duces, ſuperavit. Nec minor fere eruditionis ejus laus fuit; de qua alibi, puto, adhuc aliquid dicemus. Quod indolem ejus attinet, civili quidem victoria, quæ tamen natura ſua inſolens & ſuperba eſt [f], clementer fuit uſus. Sed magis id factum eſſe, quod ita rebus ſuis conducere crederet; quam quod natura a crudelitate abhor-

a *Cic. Att. XIII. n. 31.* b *Flor. L. IV. c. 2. f.*
c *Vil. L. II. c. 56.* d *Att. L. X. n. 6.*
e *Dion. Hal. L. V. c. 19. Plut. Poplic. p. 103.*
f *Cic. pro Marc. c. 3.*

horreret, abunde conſtare poteſt ex iis, quæ de bello ejus Gallico diximus [a]: unde *inſidioſam clementiam* ejus vocat Cicero [b]. Luxuriæ autem ſine modo indulſit, tam quod voluptates venereas, & alias magis infandas attinet; quam in ædium & corporis cultu, ſimilibusque [c]. Sed major etiam ejus fuit rapacitas; cum & ad luxum & præcipue ad ambitionem infinita prope pecunia ipſi opus foret. Nam & milites & alios, quos pecunia corrumpi poſſe ſperaret, ingenti profuſione ſibi conciliabat. Quæ quidem vulgo excuſari ſolent, tanquam ſi magni generoſique animi res forent. At quomodo a magno animo profecta cenſeri poſſunt, quæ Cæſar ambitionis cauſſa fecit: ut quod Clodium, a quo uxorem ſuam corruptam noverat, ad tribunatum plebis promoverit, ideo tantum, ut Ciceronem vexaret [d]: huic enim tum maxime iratus erat propter oppreſſam conjurationem Catilinæ, cujus conſcium fuiſſe habitum Cæſarem antea dictum eſt. Et nihil curabat, ſi ſe ſumma humilitate demitteret, dummodo potentiam conſequeretur [e]. Quemadmodum etiam degeneris animi fuit, omnem vim ingenii, quæ ſumma in hoc viro fuit, in populari levitate conſumere [f]; & omnia recta & honeſta negligere [g].

L I-

a *Vid. Supr. c. 7. §. 3. 7. & precipue 8. Cic Att. X. n. 4.* b *Att. VIII. 24.* c *Suet. Jul. c. 45. -- 51.* d *Plut. Cæſ. p. m. 714.* e *Dio L. 37. p. m. 27. f.* f *Cic. Phil. V. c. 18.* g *Id. Off. L. I. c. 8. & L. III. c. 21.*

# LIBER DECIMUS.

## CAPUT PRIMUM.

*De iis, quæ proxime cædem Cæſaris ſecuta ſunt.*

*Motus primi poſt cædem.*

§. I. STatuerant conjurati etiam M. Lepidum Magiſtrum Equitum, & M. Antonium Conſulem Cæſari addictiſſimum interficere [a]: ſed, ne alio conſilio, quam tollendæ tyrannidis, hoc facinus incepiſſe viderentur, M. Bruto potiſſimum diſſuadente deſtiterunt [b]: & Antonius, ne occideretur, a Trebonio uno ex conjuratis ſevocatus eſt [c]. Verum corpus occiſi in Tiberim trahere, bona publicare, acta reſcindere metu ſunt prohibiti [d]: unde Cicero aliquando [e] de reliquiis eorum queritur. Peracto facinore ſtatim placide & fidenter perrexerunt in forum ſubinde inclamantes Ciceronem, (imo hoc in ipſa curia jam fecerant) & libertatem recuperatam ei gratulantes [f]: ac *pileum* in haſta *libertatis ſignum* præferentes [g]. Plebem autem placaverunt, *legum & libertatis cauſſa Cæſarem occiſum eſſe* docentes. Et mox libertate reddita ga-



a *App. Civ. L. II. n.* 499. b *Vell. L. II. c.* 58. *Plut. Brut. p.m.* 992. *Dio L. XLIV. p.* 164. c *Cic. Fam.* X. 28. *Phil. III. c.* 10. d *Suet. Jul. c.* 82. e *Fam.* X. 28. *XII.* 4. *&c.* f *Cic. Phil. II.* 12. g *App. L. II. n.* 503.

viſus eſt Populus [a] : licet in primo tumultu ex rumore cædis orto Senatores quidam Equitesque vulnerati, quidam etiam occiſi ſint. Etenim brevi illo tempore dominationis Cæſareæ jam ſervitio plebs erat aſſueta; quod potiſſimum invidiæ erga potentiores & liberalitati Cæſaris erga infimos tribuendum eſt. Conjurati tamen ſecuritatis cauſſa in Capitolium conceſſerunt: ubi ad eos confluxerunt multi viri primarii; qui, licet participes non fuiſſent facinoris, gloriæ tamen partem ſibi vindicare volebant [b]: inter quos etiam fuit Cicero. Sed eos, ut diſcederent, rogavit Brutus, ne facinoris exſortes periculum ſubirent [c]. Erat inter eos etiam Dolabella, qui mox Conſulatum a Cæſare ſibi deſtinatum invaſit [d], nondum annos vigintiquinque natus [e]. Quemadmodum Pontificatum Maximum arripuit M. Lepidus adjuvante Antonio [f]. Poſt diem tertium, cum Antonius Senatum in ædem *Telluris* convocaſſet [g], quod curiam Capitolio ſubjectam adire non auderet, oratione habita obtinuit [h], *ut acta Cæſaris confirmarentur*; quando id e Republica eſſe videretur [i]. Et Senatusconſulto in ſententiam Ciceronis Athenienſium exemplo *amneſtia* ſancita eſt [k]: militibusque promiſſum eſt quicquid in

eorum

a *Dio L.XLIV.p.m.*170. b *Plut. Cæſ.p.*740. c *Id. Bruto p.*992. d *Vell.L.II.c.*58. e *App. L. II. n.* 509. f *Dio l.* 44. *f.* g *Cic. Phil. II. c.* 35. h *App.Ib.n.n.*507. i *Ib. n.* 513. k *Cic. Phil.I. c.* I. *Dio L.* 44. *p.* 169. *alii.*

eorum commodum Cæſar conſtituiſſet: licet ejus rei gratiam mox apud milites Antonius ſibi vindicaverit [a]; cui ſane hic dies glorioſus illuxit. Et pacificationem etiam promovebat Antonius; etſi in animo longe alia agitaret. Lepido etiam perſuaſit, ut Senatui concederet: quin de honoribus Bruto & Caſſio decernendis retulit [b]. Inde Antonii & Lepidi filii percuſſoribus obſidum loco ſunt traditi [c]: qui e Capitolio degreſſi apud Antonium & Lepidum convivia agitarunt. Poſtridie Bruto & conſortibus ejus provinciæ decretæ ſunt: ipſi M. Bruto Creta, Caſſio Africa, Aſia Trebonio, *Tillio Cimbro* Bithynia, D. Bruto Gallia Ciſalpina. Sed mox Antonius Populum, qui jam audierat, *teſtamento Cæſaris legata ſibi luculenta eſſe relicta*, (viritim *trecentos ſeſtertios* [d], & alia in publicum [e]) oratione *de laudibus Cæſaris & percuſſorum facinore* habita [f] plane permutavit, Cæſaris etiam cadavere in forum delato; ut ejus conſpectu populum ad furorem incitaret [g]. Et optime res ei ſucceſſit: nam Populus in ipſo foro cremato cadavere percuſſores Cæſaris ad necem requiſivit [h]; & *Cinnam* quendam *Helvium* Tribunum plebis [i] Cæſaris amicum, & qui in ejus gratiam *Ceſetio*



a *App. L. III. n.* 548. b *Cic. Phil. II. c.* 13.
c *Ib. c.* 36. *Liv. epit.* 116. d *Impertales* 9.
e *Suet. Jul. c.* 83. f *Cic. Phil. II. c.* 36.
g *Plut. Ant. p.* 922. h *Dio L.* 44. *p. m.* 176.
i *Suet. Jul. c.* 85.

& *Epidio Marullo* collegis ſuis magiſtratum abrogaverat, interficiunt, errore nominis pro *L. Cornelia Cinna* Prætore, qui primus omnium conjuratos defenderat acerba oratione in Cæſarem invectus [a]. Tum funus ſplendidiſſimum & regium Cæſari ductum eſt [b]. Et imprudenter factum videtur, & antea a Bruto, quod non etiam Antonium interfecerit; & nunc a Senatu, quod non juſſerit cadaver Cæſaris inhumatum projici, ut in tyrannum decebat [c]. Aram quoque; vel, ut alii, columnam marmoream in foro ſtatuerunt [d] ductu *Amatii* cujusdam, qui ſe falſo Marii filium ferebat [e], & ita, ut propinquus Cæſaris, ejus ultionem ſibi depoſcebat: ſed hic mox Antonii juſſu interfectus eſt [f], & multi alii ſupplicio affecti. Ara autem a Conſulibus ſubverſa eſt; vel forte a ſolo Dolabella [g]: & Conſules lege lata ſanxerunt [h], „ ſacrum fore, qui in poſterum Dictatoris creandi mentionem feciſſet: " eaque nota mortuo Cæſari ad ignominiam ſempiternam inurebatur [i]. Sed poſtea ab Octaviano in Deos relatus eſt Cæſar: & vulgi etiam perſuaſione talis eſt habitus. Eaque opinio confirmata eſt, cum ludis, quos primos conſecrato ei hæres Octavianus edebat ſtella crinita per aliquot

a *Val. Max. IX. 9.* b *Suet. Jul. c. 84.* c *Vid. Manut. argum. ad I. Philipp.* d *Suet. Jul. c. 85.* e *App. Al. L. III. init.* f *Cic. Att. XIV. n. 6. ſqq.* g *Ib. n. 17. Famil. IX. n. 14.* h *Id. Phil. II, c. 36.* i *Ib. I. c. 13.*

quot dies effulſiſſet [a]: unde in nummis etiam vertici ejus ſtella apponi ſolet [b]. Antonius vero plurima, æqua, iniqua, tanquam ea in commentariis Cæſaris inveniſſet, pro lubitu ſtatuit [c]; civitatibus [d] dynaſtisque gratificans; & provincias, ut luberet permutans [e]; atque uno verbo omnia pretio temperans Rempublicam Conſul vendebat [f]. Tum *ſeſtertium ſepties millies* [g] depoſitum a Cæſare ad ædem *Opis* occupavit [h]. Ex quibus omnibus hoc etiam confici poteſt, tantam fuiſſe Cæſaris tyrannidem, ut abſurda quævis, tanquam ex ejus voluntate, publicari potuerint [i]. Acta tamen Cæſaris etiam Cicero pacis cauſſa confirmari volebat [k]. Nihilominus Antonius maximam Senatus gratiam iniit, quod de revocando Sex. Pompejo, (qui tamen potius faciente Lepido civitati reſtitutus eſt [l]) & præmiis ipſi pro paternis bonis decernendis referret [m]: qua relatione ipſius Ciceronis laudes meruit. Imo Senatus ei permiſit, ut ſatellites ſibi legeret: quo prætextu ad ſex millia virorum belli peritiſſimorum ſibi adſcivit. Sed omnia cum Bruto Caſſioque ſuſpectiorem

 red-

a *Suet. Jul. c.* 88. b *Vid. Vaill. G. Julia n.* 44. 54. 56. c *Phil.* I. *c.* 7. d *Id. Attic. XIV. n.* 12, 23. *&c.* e *Liv. epit.* 117. f *Cic. Phil. II. c.* 14. *V c.* 4. *&c. Vellej. L. II. c.* 60.
g 17500000. *Phil.* h *Phil. II. c.* 37. *Att. n.* 16. i *Vid. Ib. n.* 12. 14. 16. *&c. Phil.* I. *c.* 7. *&c.* k *Attic. L. XVI. n.* 18. *ſq. quæ ad Plancum & Capitonem ſunt ſcripta.* l *Phil. V. c.* 14. *ſq. XIII. c.* 4. m *App. Al. Civ. L. III. n.* 528.

reddebant: ita ut occulte jam vires ſibi contra illum pararent. Et a Senatu curationi frumenti præpoſiti ſunt [a], donec tempus in provincias proficiſcendi adveniſſet: nam Præturam exercere ſecure & cum honore vix poterant. Quin etiam vitæ ſuæ merito metuentes Urbe excedere coacti ſunt: donec tempus in provincias proficiſcendi adveniſſet: nam Præturam exercere ſecure & cum honore vix poterant. Quin etiam vitæ ſuæ merito metuentes Urbe excedere coacti ſunt [b]: & teſtati ſunt, *ſe libenter vel in perpetuo exſilio victuros, modo Reipublicæ conſtaret concordia* [c]. M. Brutus (cui tamen hinc modeſtiæ laudem adſcribit Cicero [d]) in provinciam ſuam Macedoniam, cui C. Antonius inhiabat [e], profectus ſtrenue bellum curavit; ad quem plurimi militum, quos C. Antonius collegerat, ſe contulerunt [f]: imo hic etiam a *Cicerone* filio, cujus ductu multum Brutus utebatur [g], prælio fuſus eſt: & huic ſe una legio tradidit [h]. Sed infelicior fuit Trebonius, qui ex præcipuis conjuratorum fuerat, & Aſiæ a Senatu præfectus Smyrnæ per inſidias & ſpecie amicitiæ a Dolabella in Syriam proficiſcente interfectus eſt [i]: unde Dolabella hoſtis

a *Cic. Att. XV. n.* 9. 11. b *Ib. XIV. n.* 7. 10. *Famil. XI. n.* 1. c *Vellej. L. II. c.* 62. d *Phil. I. c.* 4. *X. c.* 3. e *Plut. Bruto p.* 995. f *Cic. Phil. X. c.* 3. g *Bruti ep. ad Cic. p.* 901. *ed. Schrev. Plut. Cic. p.* 883. h *Cic. Phil. X. c.* 6. i *Ib. XI. c.* 3. *Fam. XII. n.* 12 — 15.

hoſtis eſt judicatus; & decretum, ut a Caſſio Syria prohiberetur. Nam artibus, ſive vi Antonii hanc provinciam Dolabella obtinuerat.

§. II. Interim *C. Octavius*, cujus avia materna *Julia M. Atii* uxor, C. Cæſaris Dictatoris ſoror fuerat, annorum novendecim adoleſcens, qui Apolloniæ ſtudiorum cauſſa morabatur [a], & inde comes Cæſari in expeditionem adverſus Parthos profecturus erat, in Italiam reverſus, & dolorem de Cæſaris morte conceptam diſſimulans, avunculi hæreditatem adiit: nam ex dodrante inſtitutus erat [b], & in nomen & familiam *Cæſarum* adſcitus; ita ut deinceps *C. Julius Cæſar Octavianus* dictus fuerit. Cum autem ob patris adoptivi memoriam jam gratus eſſet militibus, præſertim cum etiam multos pecunia a Cæſare ad bellum Parthicum deſtinata ſibi conciliaſſet, ſtatim ſe ex teſtamento Cæſaris pro hærede gerere cœpit: quanquam mater ejus & vitricus *Philippus* auctores ei fuiſſent, ne quicquam audacius tentaret [c]: & Antonius eum inſanire diceret, qui tantum oneris in ſe ſuſcipere vellet [d]. Sed maxima amicorum in itinere ſibi occurrentium frequentia confirmatus fuerat. Et ſtatim adverſiſſimum ſibi Antonium expertus eſt & valde ſuperbum [e]; præſertim cum hic etiam in

*Cæſaris Octaviani initia.*



a *App. Civ. L. III. n.* 531. *Dio L. XLV. p. m.* 179. b *Suet. Jul. c.* 83. c *App. Civ. L. III. n.* 532. d *Plut. Ant. p. m.* 922. e *Ib. Vell. L. II. c.* 60.

ſecundis hæredibus ſcriptus eſſet [a]. Patienter autem omnia tulit Cæſar; &, quod nondum ſatis firmum ſe videret, (licet veterani præcipue Cæſaris ad eum confluxiſſent) in concilianda ſibi multitudine perſtitit, Tribunatum etiam plebis ambiens, licet patricius & nondum Senator; & ludis editis pecuniaque diviſa [b], ex ſuis etiam & matris & vitrici bonis divenditis, Populi favorem captans: & etiam cuivis periculo fortiſſime ſubeundo paratum ſe eſſe oſtendens. Et (licet Tribunatum non obtinuerit) augebant eum favorem etiam injuriæ, quibus Antonius adoleſcentem afficiebat: cum quo acriter ſatis, etſi amicum in morem expoſtulaverat, quod mortem Cæſaris ultus non eſſet; pecuniæ etiam, quam præter jam dictam abſtulerat Antonius, ſeſtertium millies [c], maximam partem ſibi repetens [d]. Tuebatur eum quoque omni ratione Cicero, cujus hoc tempore potentia & auctoritas erat ſumma [e], ſtomachante maxime in *epiſtolis ſuis ad Ciceronem ſcriptis* Bruto [f]. Antonius vero, ſe inſidiis a Cæſare petitum eſſe mentiens [g], ut etiam homines ineſcaret, per fratrem ſuum *L. Antonium* Tr. pl. legem tulit *de palu-*

a *Dio L. XLIV. p. m.* 170. *Flor. L. IV. c.* 4.
b *App. Civ. L. III. num.* 541.
c *Philipp.* 2500000. d *App. Ibid. num.* 557. *Plut. Cic. p.* 883. *Vid. ejuſd. Apophth. pag. m.* 206.
e *Vid. Plut. Cic. p. m.* 884.
f *Epit.* 4. 19. 17. g *Vell. L. II. c.* 60. *Cic. Fam. XII. n.* 23.

*paludibus* Pomptinis *Populo dividendis*. A Senatu autem impetravit maximas copias, quæ in Macedonia erant, quod fama de Getarum in eam provinciam incurſionibus ſparſa eſſet; & fratrem Cajum ad eum exercitum miſit [a]. Sed ejus magna pars, cum in Italiam eſſet transportatus, ad Cæſarem ſe contulit [b]. Et mox, Cæſarem gratia Populi plurimum valere videns, cum eo in gratiam rediit: ejuſque maxime interceſſione Gallias a Populo obtinuit [c]. Cæſar vero etiam D. Brutum, qui Mutinam obſidebat, in ſuas partes pertraxit: nam nequaquam ſincere ipſe & Antonius in gratiam redierant. Et hic mox prohibuit, ne Cæſar Tribunus plebis crearetur. Ergo Cæſar libellis per Antonii exercitum ſparſis Tribunos permovit, ut Antonium ad ſibi favendum compellerent: qui illud tandem obtinuerunt. Verum uterque ſimulate omnia agebat: & mox Cæſar pecunia data exercitus ſpeciem contraxit [d]; cujus pars quidem magna eum deſeruit; at mox ultro ad eum rediit. Etiam exercitus Macedonicus in Italiam reverſus, cum parcum nimis in promiſſis experiretur Antonium, eum relinquebat, niſi ſeveritate ejus fuiſſet inhibitus [e]. Mox tamen, cum in Urbem veniſſet, duæ legiones ad Cæſarem defecerunt [f]: quatuor in univerſum Antonius cum auxi-

a *App. L. III. num.* 542. b *Vell. Ibid. cap.* 61.
c *App. L. III. num.* 546. d *Ibid. num.* 552.
e *Cic. Phil. III.* 2. *V. c.* 8. f *Ib. III. c.* 3. *IV. c.* 2. *V. c.* 8. & 19.

auxiliis ſuis retinuit [a]. Senatus nihilominus Octavii partibus adhæſit: & oratione potiſſimum Ciceronis permotus [b] Antonium, qui in Galliam, ut eam in fide retineret, profectus fuerat, exercitus dimittere, & in Macedoniam, Provinciam ſuam, proficiſci juſſit. Et paullo poſt Antonius hoſtis eſſe judicatus eſt [c], tumultus decretus, & bellum illud Cæſari, cui tum prætoria poteſtas data eſt, & *A. U. 710.* Conſulibus Hirtio & *Panſæ* mandatum [e]. Conditiones quidem pacis Antonius tulit: ſed tales, ut Senatum eas rejecturum eſſe facile ſciret, hoc tantum agens, ne cauſſam bello præbuiſſe videretur. At ſane tantum etiam Senatus a pace abfuit, ut Conſulibus mandaverit [f], *darent operam, ne quid Reſpublica detrimenti caperet*. Atque ita Senatus arma a D. Bruto Octaviano ſumpta probavit; & vitium [g], ſi quod in ea re eſſe potuerat, ſuſtulit.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De bello Mutinenſi.*

*Occaſio belli. A. U. 710.*

§. I. D. Brutus interim, cui citerior Gallia obtigerat, Gallos Inalpinos bello invaſit; & multis caſtellis captis *Imperator* a militibus appellatus eſt: quod

a *App. L. III. n. 556.* b *Plut. Cic. p. 884. Ant. p. 923.* c *Cic. Phil. III. c. 1.* d *Ib. IV. c. 2. VII. c. 5.* e *Vid. numm. ap. Vaill. de fam. Rom. G. Vibia n 14.* f *Dio L. XLVI. p. m. 207.* g *Vid. Grot. de J. B. & P. L. I. c. III. §. 5.*

quod bellum maxime ſuſcepiſſe videtur, ut milites ſuos firmos ad Rempublicam tuendam redderet [a]. Sed cum Antonius eum provincia decedere juſſiſſet, Mutinam ſubito, ut Antonio reſiſtere poſſet, occupavit [b]; edicto propoſito, qua ſe Galliam retenturum in S. P. Q. R. poteſtate promittebat [c]; cum a pleriſque aliis urbibus Antonius reciperetur [d]: verum mox Mutina ab Antonio eſt obſeſſa. Romæ, poſt aliquot contentiones in Senatu, laudato D. Bruti facto [e], Hirtio, Panſæ & Cæſari par imperium in eas, quas habebant copias decretum eſt [f]: juſſique ſunt Brutus & ceteri provincias nemini, niſi qui ex S. C. ſucceſſurus eſſet, tradere [g]. Et merito D. Brutum honorabat Senatus, cum ille etiam omnem rem ſuam familiarem Reip. uſibus impenderit; amicoſque ſuos omnes præterea ære alieno obſtrinxerit [h]. Sed etiam Cæſari jam dignitas Senatoria, & jus petendi honores ante legitimos annos datum erat [i]. Piſone porro potiſſimum defendente Antonium mandatum nihilominus eſt Ciceroni, ut juſſa Senatus ad Antonium perſcriberet: qui eum confeſtim provincia decedere, & res ſuas Senatus arbitrio permittere juſſit. Reſpondit Antonius k, *futurum ſe in poteſtate Senatus*. Sed cum contrarium prorſus eodem tempore ad Cice-

a *Cic. Famil. XI. n.* 4. b *Liv. epit.* 117. c *Cic. Phil. III. c.* 4. d *App. Civ. L. III. n.* 558. e *Cic. Ib.* f *Vid. Ib. XII. c.* 8. g *Ib. III. c.* 15. *IV.* h *Id. Fam. XI. n.* 10. i *Vid. Phil. V. c.* 17.

Ciceronem ſcripſiſſet, & præterea legatis a Senatu miſſis immoderata plane mandata dediſſet [a], hoſtis adhuc judicatus fuit, ni confeſtim ab obſidione Bruti receſſiſſet. Et tota hæc res potiſſimum auctore Cicerone eſt acta: qui oſtendit, legatos ad Antonium mitti non poſſe [b], *quod pax ea turpis eſſet, quod periculoſa, quod fieri non poſſet*. Hinc *P. Ventidius* prætor Ciceroni infenſus duabus legionibus ad militiam revocatis & exercitu ad Urbem ducto Ciceronem comprehendere conatus eſt: ſed per tumultum ob ejus adventum exortum prohibitus cum exercitu ſuo ſe paullo poſt Antonio & Lepido adjunxit [c]. Non potuit tamen prohibere Cicero, quin legati ad Antonium miſſi ſint [d], ſed nullo fructu, ita ut tumultus a Senatu decerneretur [e]. Macedonia etiam Antonio ablata & M. Bruto tradita eſt: &, ſi fides Appiano, quicquid provinciarum ab Ionio mari Orientem verſus eſſet Bruti Caſſiique mandatis parere jubetur [f]. Hoc accedentibus etiam aliis rationibus, Cæſaris fidem quatere cœpit: qui credebat, & merito, Senatum ſua opera adverſus Antonium uti, ut eo deleto etiam ipſe *tolleretur* [g]: & Cicero, qui præ omnibus tamen reliquis ſe amicum Cæſaris eſſe ferebat [h], ita ut

a *Cic. Fam. XII. n. 4. Phil VIII. c. 8. 9.* b *Ib. VII. c. 3. XIV. c. 7.* c *Cic. Phil. XII. c. 9. Gell. XV. 4.* d *Vid. Phil. V. V.. XIII.* e *Phil. VIII. c. 1.* f *App. Civ. L. III. n. 568.* g *Ibid.* h *Phil. V. c. 12. &c.*

ut eo nomine graviſſime a M. Bruto reprehenderetur [a], obliqua loquendi ratione, *ornandum & tollendum eſſe puerum* vulgo jactabat: ita ut Cæſar, quum id intellexiſſet, dixerit, *ſe non eſſe commiſſurum, ut tolli poſſit* [b]. Idque optimatium conſilium Panſa jam moriturus ex vulnere, cujus accepti occaſionem mox referemus, Cæſari aperuerat [c].

§. II. Nam cum Panſa jam Mutinæ appropinquaret, Cæſar ei *Carſulejum* cum prætorianis & legione Martia obviam miſerat: inter quos & prætorianos Antonii milites in paludibus, quas tranſiri oportebat, acris pugna orta eſt ipſius Antonii ductu, qui obſidionem fratri Lucio mandaverat. Ea pugna prætoriani Cæſaris milites ad unum omnes deleti ſunt [d]: tironum etiam Panſæ ingens numerus cæſus & ipſe vulneratus eſt: atque ita Antonius ulterius adverſus Hirtium & Cæſarem contendit. Hirtius, qui octavo inde lapide ad Mutinam erat, hoc nuncio audito propere cum altera legione, quæ ab Antonio defecerat, eo advolavit; & parem fere Antonianis cladem repoſuit, copiis ejus omnibus deletis, fugatisve: cum Cæſar ad caſtrorum defenſionem relictus foret. At mox XVII. Kal. Majas [e] alterum prælium commiſſum eſt ad Mutinam, ubi Hirtius pugnans cecidit [f]: quem in *Prælium ad Mutinam.*

a *Vid. ep. ad Brut n. 15. ſqq.* b *Cic. Famil XI. 20. Vell. L. II. c. 62.* c *App. Civ. L III. n. 574.*
d *Vid. ep. Galbæ ad Cic. Fam. X. n. 30.*
e *Ib.* f *Id. Phil. XIV. c. 10.*

in pugnæ tumultu ab ipſo Cæſare interfectum eſſe quidam tradiderunt [a]. Mox etiam ex vulnere obiit Panſa [b]: cujus etiam mors ſuſpecta fuit, quaſi medicus Cæſaris venenum vulneri ejus indidiſſet [c]. Cæſar fortiſſime pugnans hoſtium caſtris potitus eſt [d]. Antonius porro veritus, ne apud Lepidum, qui initio quidem fideliſſimus Senatui viſus fuerat [e], ſed qui brevi ab ea fidelitate deſciverat [f], & apud Plancum in contemptum veniret, obſidione ſoluta iter verſus Alpes, circa quas illi ſtabant, direxit; ubi Ventidius ſe illi cum magnis ſatis copiis conjunxit [g]: neque eum D. Brutus aſſequi potuit [h] variis cauſſis impeditus. Nam L. Plancus, qui Galliam ulteriorem obtinebat, Conſulibus adverſus Antonium auxilio eſſe juſſus fuerat: Lepidus autem, homo ignaviſſimus [i], cujus Hiſpania provincia erat, in Gallia morabatur. Et cum Senatus tam de Planci, quam de Lepidi fide dubitaret, utrumque in Gallia manere juſſit prætextu condendæ urbis, quæ poſtea celebris illa civitas *Lugdunum* fuit [k]. Lepidus enim jam ad Senatum miſerat, ad pacem cum Antonio faciendam cohortans [l]:

neque

a *Tac. Ann. I. c* 10. *Suet. Aug. c.* 11. *Dio L. XLVI. p. m.* 211. b *Cic. l. d. c.* 14. *Ovid. Triſt. IV. El.* X 6. *Tibull. III. V. v.* 18. c *Tac. l. d. Brut. ad Cic. n. m.* 5. d *Suet. Aug. c.* 10. *Flor. L. IV. c.* 4. e *Phil. V. c.* 14. *XIII. c.* 4. f *Id. Fam.* X. *n.* 21. 25. g *Ib. XI. n.* 10. h *Ib. n.* 13. i *App. L. III. n.* 580. k *Dio L. XLVI. p.* 216. l *Cic. Phil. XIII. c.* 4. *Fam. X. n.* 27.

neque vindicaverat ipſe, quod pacem ſe velle milites conclamaſſent [a]: licet ſe neutiquam Reip. deſuturum eſſe polliceretur [b]. Et jam etiam *M. Silanus*, qui Tribunus militum Lepidi exercitum ducebat, ad Antonium deſciverat, cum de Imperatoris ſui voluntate ſatis certus eſſet. Atque Antonius ſæpius in conſpectum militum Lepidi procedens, mox ab iis proruto vallo per averſa caſtrorum receptus eſt [c]: cum jam nullam, niſi hinc ſpem habere Antonius poſſet. Et mox Lepidus in Senatu omnium ſententiis hoſtis eſt judicatus [d]; cum ſcelus recepti Antonii eum odioſiſſimum reddidiſſet. Plancus [e] tamen & D. Brutus [f] omnem elapſi Antonii culpam Cæſari tribuerunt. Interim Romæ metu Antonii jam fere ſublato decretis honorificis Senatus celebrati ſunt Panſa & Brutus & *Cæſar* [g]: nam falſiſſimum eſt, quod tradit Vellejus [h], nullam in iis decretis Cæſaris mentionem fuiſſe factam: ut præter Dionem ex Cicerone videri poteſt [i]: nam, ut alia mittam, communi nomine Hirtio, Panſæ & Cæſari ſupplicationes quinquaginta dierum decretæ ſunt. Sed hoc verum eſt & prudenter factum, quod bellum porro gerendum non puero, & merito jam ſuſpecto Cæſari mandatum fuerit: ſed Bruto,

a *Ib.n.*21. b *Ib.n.*34. c *Vell. L.II.c.*63. d *Cic. Fam.X.n.*23. *XII. n.*8. *ſqq.* e *Ib.X.n.*24. f *Ib. XI.n.*10. g *Dio LL.XVI.p.*210. h *L.II.c.*62. i *Vid. Or. Phil. X.V.*

to, Lepido, Planco, *Aſinio Pollioni*, qui Hiſpaniam ulteriorem ex conſtitutione Cæſaris obtinebat [a]. At Cæſar, qui ex Panſa, ut vidimus, jam intellexerat, dolos ſibi a Senatu necti, ut propius, qua mente erga ſe foret Senatus, expiſcaretur, licet jam majoribus honoribus, quam ætati ejus conveniret, fuiſſet ornatus, triumphum petiit: eoque ſibi negato ſtatim cum Antonio in gratiam redire deſideravit [b]. Offenſus etiam fuiſſe videtur, quod *puer* ſæpius [c] a Cicerone diceretur, ut jam innuimus. Sed de triumpho negato, vel ab adulatoribus Cæſaris poſtea confictum fuit; vel ipſe improbe eum petiit, cum de civibus victis non triumpharetur. D. vero Bruto triumphus decretus eſt ob devictos Gallos: niſi triumphum petiiſſe dicatur Cæſar, ut honeſtius arma ponere poſſet, quod ipſe Ciceroni jactaſſe fertur [d]. Sic etiam immodeſtiæ juvenili & improbitati tribuendum eſt, quod indigne tulit, clam ſe cum Antonio agi: ita ut merito Senatus vereretur, adoleſcentem jam nimis ambitioſum pluribus honoribus etiam magis incendere. Conſulum vero morte non multum detrimenti Reſpublica accepiſſe videtur; (licet contrarium dicat D. Brutus [e] in quadam epiſtola, & etiam ipſe Cicero) quos *bonos*, ſed *duntaxat bonos* idem vocat: & ex intimis ami-

a *Vid. ad Fam.* X. 31. 33. b *App. L. III. n.* 477. c *Vid. Phil. III. c.* 2. & *c. Suet. Aug. c.* 12. *Dio L.* XLVI. *p.* 212. d *App. ib. n.* 579. e *Epiſt.* 2. *Vid.* & *Att.* XIV. 22. 99.

amicis Cæſaris fuerant [a], & ab ipſo Conſules deſignati. Senatus autem ſapientia quidem decreta faciebat, *ne quis ſolus annonam curaret; ne quis plus anno cum imperio eſſet*, & ſi quæ alia ejuſmodi fuerint: Sed nimis corrupta jam erant omnia, quam ut medicinam reciperent [b]. Et præterea imprudenter Senatus egiſſe videtur, quod non maxima præmia Reip. nomine militibus, qui in fide manſerant, largitus fuerit: nam minora contemnentes, majora ſperantes facile cuivis res novas molienti operam addicturi erant. Tum ſpeciem dabat, quod inimici Cæſaris tanta potentia inſtruerentur. Atque ita facile adoleſcens Cæſar cum Antonio & Lepido ad Reipublicæ quod ſupererat evertendum conſenſit.

## CAPUT TERTIUM.

### *De Triumviratu.*

§. I. ERgo, cum jam Antonius, ut dictum eſt, ſe Lepido junxiſſet, iiſque etiam acceſſiſſet Plancus [c], maxime horum vires creverant. Senatus vero tenues erant vires, cum magnas copias ſecum haberent Brutus, Caſſius, aliique provinciarum præfecti; quorum pars, ſed ſero a Senatu arceſſebatur [d] Id videns Cæſar neque ſe Conſulem [e], *De Triumviratu. A. U. C. 710.*



a *Id. Phil. X. c. 8. XIII. c. 11.* b *Vid. Dion. L. XLVI. p. 211.* c *Plut. Ant. p. 923.* d *Id. Bruto p. 996.* e *Suet. Aug. c. 12.*

ut ſperaverat, factum, Cicerone relicto (quem ſibi collegam in Conſulatu adſciturum pollicitus erat [a]) Antonium ad reconciliationem ſollicitavit, ut eum moriens monuerat Panſa, militibus primum ad concionem convocatis: ubi neque vitam ipſis, neque munera a Cæſare accepta ſecura eſſe docere conatus eſt, niſi ipſe Conſulatum obtineret; & ſimul eos ad vindictam de Cæſaris morte ſumendam accendit [b]: quos nimis quidem paratos invenit, quippe qui ſe jam jurejurando obſtrinxiſſent, *contra nullum ſe exercitum, qui Cæſaris fuiſſet, arma ſumpturos* [c]. Senatus quidem Decemviros creavit, qui præmia quædam militibus dividerent: ſed eo ipſo milites irritavit, quod Cæſar ipſis undecimus non foret additus. Igitur Ventidium, cui oppoſita habebat caſtra, monuit, ut vel ad ſe tranſiret, vel intrepide ad Antonium profectus ei communis utilitatis ignorantiam exprobraret: ſimiliaque agebat cum Lepido & Aſinio [d]. A veritate tamen etiam non alienum videtur, quod dicit Vellejus [e], Antonium maxime hoc tempore Cæſaris amicitiam requiſiviſſe, ita ut etiam ſe ingentes ſuas vires cum Bruto Caſſioque juncturum minaretur, ſi Cæſar ejus aſpernaretur concordiam. Utque magis etiam acceptum ſe militibus redderet Cæſar, & pœnitentiam prioris ſectæ approbaret,

a *Dio L. XLVI. p. m.* 22. b *Ib. App. Civ. L. III. n.* 582. c *Dio. l. d.* d *App. Ib. n.* 577.
e *L. II. c.* 65.

baret, *Nurſinos* grandi pecunia, & quam pendere nequirent, multatos extorres egit oppido: quod Mutinenſi acie interemptorum civium tumulo publice exſtructo adſcripſerant, *pro libertate eos occubuiſſe* [a]. Huc jam referendum foret ſecundum quosdam auctores audax centurionis reſponſum, quod ſupra a Julio Cæſare miſſo adſcriptum eſt [b], qui gladii capulum in Senatu percutiens cum Conſulatum Cæſari peteret, dixerit, *Hic dabit, ſi vos negaveritis*. Nam Cæſar mox cum ſelecta exercitus parte ad Urbem contendens eos, qui jam cum pecunia a Senatu ad milites miſſa, ut eorum animi placarentur, adveniebant, in fugam compulit, ne qui ſuorum corrumperentur. Congreſſi autem fuerant in parva quadam inſula prope Bononiam [c] Lepidus avaritia maxime agitatus, Antonius & avaritia, quæ luxui ejus ſubveniret, & vecordia, & Cæſar denique ambitione etiam magis, quam vindictæ cupiditate: atque ibi tridui ſpatio totum Imperium inter ſe diviſerunt, tanquam viri privati patrimonium foret [d]: ita ut Lepidus Narbonenſem obtineret provinciam & Hiſpanias, & D. Bruto in Conſulatu ſuffectus Romam Italiamque in cuſtodia haberet [e]. Antonius reliquam Galliam univer-



a *Suet. Aug. c.* 12. b *L. IX. c. VIII* §. 4. c *Dio L. XLVI. F. Cellar. Geogr. Ant. L. II. c.* 9. *p. m.* 671. *Cl. Dukerus ad Flor. L. IV. c.* 6. d *App. Civ. L. I. n.* 352. *IV. n.* 590. e *Dio L. XLVI. f.*

ſam accepit: Cæſar Africam cum Sicilia Sardiniaque. Nam reliquarum provinciarum diviſio differebatur, quia eas Brutus adhuc & Caſſius obtinebant. Dicti autem ſunt *Triumviri Reipublicæ Conſtituendæ* [a]: cumque magiſtratum, vel tyrannidem verius iniverunt in quinquennium V. Kal. Dec. A. U. C. 710. Ad nuncium autem adventantis ad Urbem Cæſaris, & agros eorum, quos ſibi inimicos eſſe credebat, hoſtilem in modum vaſtantis [b] ingens trepidatio exorta eſt, ita ut Senatus nunc omnia Cæſari decerneret, nunc fortiter libertatem defendendam eſſe cenſeret: quæ cuncta conſilia adventu Cæſaris in ventos abierunt [c]; cum milites metu Senatus animadverſo, eum plane contemnerent: Atque ita nullo certamine Urbem occupavit: & ſtatim clementiæ famam captans omnibus noxam remiſit: quod tamen non prohibuit, quin mox acerrime in inimicos, vel inimicitiarum ſuſpectos ſæviret. Militibus ex Senatusconſulto in ſententiam Ciceronis facto ingentia diviſit præmia; & plura pollicebatur: ſed non iis tantum largiebatur, quibus Senatus præmia dividenda decreverat. Tum ex ſuis bonis ſe multa dividere credi volebat; cum tamen ex pecunia publica id faceret [d]. Comitiis inde a proconſule habitis Cæſar Conſul factus eſt, antequam viginti annos ætatis expleſ-

a *Suet. Aug. c. 27. App. l. d.* b *Dio L. XLVI. p. m. 213.* c *App. n. 585. ſ. q.* d *Dio L. XLVI. p. m. 214.*

expleſſet a: & collega ipſi, ut voluerat, additus eſt *Q. Pedius* qui inter heredes a Cæſare erat ſcriptus. Isque auctore Cæſare b legem tulit *de quæſtione habenda de iis, quorum opera Cæſar eſſet occiſus*: atque ita omnes, qui vel minimam ſcientiam necis Cæſaris habuiſſe ſunt viſi, damnati ſunt, nulla libertate abſolvendi judicibus conceſſa. Subornati autem fuerant accuſatores M. Bruti & C. Caſſii *L. Cornificius*, & *M. Vipſanius Agrippa* c, qui tum Tribuni plebis fuiſſe videntur. Idemque Pedius juſſu Cæſaris, ſed quaſi ex propria ſententia retulit ad Senatum & obtinuit, ut Antonio Lepidoque impunitas & reditus concederetur d. Circa idem tempus D. Brutus a legionibus ſuis deſertus per barbaras regiones ad M. Brutum in Macedoniam cum paucis penetrare conatus eſt: ſed in itinere captus, & juſſu Antonii occiſus fuit e.

§. II. Horrenda inde ſævitia Triumvirorum fuit. Nam Republica inter ſe diviſa proxima cura fuit, ut conſultarent, quos occiderent, quos vivos relinquerent. Ita ut nihil mirum ſit, eos ſibi militum fidem ad tanta ſcelera novis beneficiis adſtrinxiſſe: nam hinc, præter alia ipſis promiſſa, etiam octodecim ex *Proſcriptio.*

Gg 3 opu-

a *Vid. Suet. Aug. c. 9. 26. 31. Liv. epit. 119. Vell. L. II. c. 65. & alios non omnino conſentientes.* b *Vid. Vell. L. II. c. 69. Liv. epit. 120.* c *Vell. l. d. Plut. Bruto p. m. 996.* d *Dio L. XLVI. p. 216.* e *Ib. p. 217. App. L. III. f. Liv. ep. 120.*

opulentiſſimis Italiæ urbibus tamquam bello captæ ipſis diviſæ ſunt [a]. Neque ulla hic ſanguinis, aut amicitiæ, aut ætatis ratio eſt habita. Nam & pueri quidam ob opes proſcripti ſunt: & Antonius avunculum ſuum L. Cæſarem, qui nequaquam ea, quæ ab Antonio fiebant, probabat [b], Octaviano interficiendum permiſit, Cæſar Ciceronem Antonio conceſſit, Lepidus utrique fratrem ſuum Paullum, qui Conſul A. U. 703. fuerat [c]. Sed hic evaſit, a patre ſuo, ut videtur, adjutus; Cæſarem mater ejus Antonii ſoror ſervavit [d]. Mulieres mille & quadringentæ proſcriptæ ſunt: ſed conſtantia earum, & magnifica *Hortenſiæ* apud Triumviros oratione effectum eſt, ut quadringentæ tantum ex iis partem bonorum ſuorum ad uſum belli conferre juberentur. Ita ut fœdior proſcriptione Sullana hæc proſcriptio fuerit, quod, qui uni Triumvirorum inviſus eſſet, etiam collegis invitis interficeretur: ut ita trium hominum odiis ſatisfieri debuerit. Plurimi inde Senatores, (130. dicit Livius [e], 140. Florus [f], 300. Appianus [g], qui 2000. Equitum addit; ſed vix de tanto numero credo) & Equitum Rom. ingens numerus proſcriptus eſt, certis præmiis in omnium capita propoſitis. Et cruentum hoc Triumvirorum fœdus etiam

nuptiis

a *App. Civ. IV. n.* 590. b *Cic. Phil. VIII. init.* c *Vid. Periz. anim. Hiſt. c.* 3. d *App. L. IV. n.* 611. *Dio L. XLVII. p.* 221. e *Epit.* 120. f *L. IV. c.* 6. g *Civ. L. IV. n.* 592.

nuptiis *Clodiæ*, quæ Antonii privigna erat, & Cæſaris ſancitum eſt [a]. Multorum etiam non proſcriptorum pecuniæ abreptæ ſunt [b]; cum & ad bellum pecunia indigerent Triumviri, & Antonius præſertim, ut infinito ſuo luxui ſatisfaceret, avidiſſime pecuniæ inhiaret Cæſar tamen ambitione & ſævitia, Lepidus avaritia actus vix minores rapinas exercebant. Militibus etiam ſcelerum ſociis rapinas exercere paſſim & impune concedebatur [c]; ita ut hi ſoli fere jam divitiis abundarent. Cæſar quidem a quibusdam ſuis collegis mitior fuiſſe dicitur [d], qui poſtquam ſolus rerum potitus eſt, nullum deinde crudelitatis exemplum ediderit [e]; quanquam Suetonius [f] varia ſævitiæ ſpecimina ab eo edita commemoret. At non tantum pecuniæ, quantum ſperatum fuerat, ex proſcriptorum bonis redactum eſt; cum plerique oſtendere non auderent, ſe domi nummos habere [g]. Prædixerunt autem Triumviri, ſe nomina eorum, qui ex proſcriptis aliquem occiderant, in acta non eſſe relaturos, ne præmia ſævitiæ aliquando repoſcerentur, quod in proſcriptione Sullana evenerat. Huic Triumvirorum ſævitiæ tanto ardore inſerviit Conſul Pedius, ut primo proſcriptionis die ex nimia agitatione morbo contracto ſequenti nocte exſtinctus ſit. Quidam ex



a *Vell. L. II. c.* 65. *Dio L. XLVI. f.* b *Vid. eund. L. XLVII. p.* 223. c *Dio L. XLVII. p.* 223. 225. d *Vell. L. II. c.* 66. e *Dio l. d p.* 220. *f.* f *Aug. c.* 12 -- 15. g *Dio L. XLVII. p.* 225.

proſcriptis ad Sex. Pompejum, qui Siciliam obtinebat, evaſerunt [a]. Verum, ut alia ſcelera prope infinita, (Quæ late apud Appian. & Dion. videri poſſunt.) (quorum maximam partem Antonius patravit & uxor ejus Fulvia [b]) leges omnes conculcatas, magiſtratus in multos annos deſignatos, & horrendam plane civitatis faciem [c] mittamus, ſolum hic memorabimus Ciceronis interitum.

§. 3. Cæſar, qui multum Ciceroni debebat, per triduum de eo conſultaverat: ſed tandem, cum nec avunculo Antonius, nec fratri peperciſſet Lepidus, cum Antonio trucidandum conceſſit [d]. Erat Cicero cum fratre Quinto in *Tuſculano* ſuo, & proſcriptione audita, (nam & Quintus cum filio proſcriptus erat, & filius etiam Marci: ſed hic evaſerat jam in Græciam [e], quo etiam multi alii conceſſerant [f]) proſcriptione igitur audita inde in Macedoniam ad M. Brutum aufugere conati ſunt. At Quintus, ut neceſſaria quædam ad iter pararet, domum regreſſus paullo poſt a ſervis proditus, & cum filio, qui ſumma fide patrem occultaverat [g], interfectus eſt. Marcus, ſive longæ navigationis pertæſus, ſive aliquid etiam ſpei in Cæſare habens in terram egreſſus eſt: Sed ſtatim conſilio mutato a ſervis ſe navigio ad prædia, quæ circa *Caje-*

a *Appian. Civ. L.IV. n.*604. 610. 614. b *Dio L. XLVII. p.* 221. *ſqq.* c *Vell. Pat. L. II. c.* 67. d *Plut. Cic. p.* 884. e *App. Civ. L. IV. n.* 619. f *Ib. n.* 610. g *Dio L. XLVII. p. m.* 222.

*Cajetam* [a] habebat, deportari paſſus eſt. Verum ſupervenientibus percuſſoribus lectica ad mare delatus eſt; & in itinere, cum animadverſis percuſſoribus lecticam deponi juſſiſſet, licet ſervi fortiter pugnare parati eſſent [b], ab *Herennio* centurione & *Popillio* Tribuno militum, quem quondam capitis reum defenderat [c], obtruncatus eſt, intrepide ſe gladio offerens. Perpetratæ hujus cædis nuncium ingenti gaudio excepit Antonius: caput Ciceronis ac manus in tribunali roſtrorum, unde toties verba fecerat, cum ſummo terrore populi Antonii juſſu ſunt expoſita: cum prius illud a Fulvia Antonii uxore muliebri ſævitia ludibrio fuiſſet habitum. Occiſus eſt Cicero VII. Id. Dec. [d] natus annos ſexaginta quatuor minus diebus viginti ſex [e]. Hic finis fuit Viri omnium, quotquot unquam terra tulit, eloquentiſſimi. Nec ſolum eloquentia, ſed multiplex etiam aliarum rerum cognitio virum exornavit, præſertim philoſophiæ, quod ex libris ejus ſuperſtitibus abunde patet. Et ſola ingenii & eloquentiæ ope ad ſummos in Rep. honores evaſit. Verum non mediocria vitia has laudes deformabant: & præcipue quidem nimia jactantia [f] & mordax ingenium [g]; quibus vitiis mul-

a *Val. Max. L. I. c. 4. n. 5.* b *Senec. Suaſoria VII.* c *Val. Max. L. V c. 3. n. 4.* d *Dial. de Oratore c. 17.* e *Vid. de morte Ciceronis Scriptor. teſtimonia coll. a Senec. Suaſor. 7.* f *Vid. ad Fam. L. V. n. 12. VI. n. 4. IX. n. 14. &c. Or. Agr. I. c. 1 ſqq.* g *Vid. Macr. Sat. L. II. c 3. Cic. pro Planc. c. 14.*

multos ſibi inimicos reddidit. Et præterea neque fortitudinis [a], neque æquitatis [b], neque animi candidi laude celebrari poteſt. At non ſatis ſpatii nobis ſupereſt ad longiorem de ea re ſermonem inſtituendum; neque hoc proprie eſt hujus loci. Hoc unum adjeciſſe liceat, dolendum eſſe, non magis hodie ejus ſcripta & adoleſcentium & virorum quoque manibus teri: qui dum adoleſcentes lectioni auctorum multo minus utilium aſſueverunt, poſtea & Ciceronem, & ſi qui alii ſunt optimæ notæ ſcriptores negligere ſolent. Verum hæc alii curent: nobis, antequam ad alia tempora priora tranſeamus, videndum eſt, quem finem Triumviratus habuerit.

*Finis Triumviratus A. U. 715.* §. III. Elapſo jam fere Triumviratus quinquennio A. U. 715. in alterum quinquennium eandem ſibi poteſtatem ſumpſerunt [c]. Sed A. U. 717. Lepidus a Cæſare Octaviano omni poteſtate privatus eſt. Evocaverat eum ex Africa ad ſocietatem belli contra Sex. Pompejum in Sicilia gerendi: verum ibi ſtatim diſſentire cœperunt, cum Cæſar Lepidi opera tanquam legati uti vellet [d], qui collega ejus, & ætate, rebus geſtis, atque ordine prior eſſet. Ergo Lepidus, qui viginti legionum fiducia ſuperbiebat [e], cum Pompejo conſilia conferre cœpit. Sed Cæſar ſumma

a *Vid. ad Fam. L. XIV. n.* 1. 2. 3. 4. b *Vid. Att. IX.* 7. *A. Gell. XII. c* 12. c *Vid. Pigh. Ann. ad h. a.* d *Dio L. XLIX. p. m.* 267. e *Vell. L. II. cap.* 80. *Suet. Aug. c.* 16.

ma audacia, ( licet verum ſit, eum Lepidi duces ſingulos clam antea ſollicitaſſe ) magna tamen audacia ipſe inermis caſtra Lepidi ingreſſus armatos ab eo milites abducere conatus eſt. At quibuſdam ſuorum cæſis ipſe vix vivus evaſit. Nihilominus milites Lepidi Imperatoris ſui deſidiam aſpernati, & Cæſaris fortitudinem admirantes ad hunc frequentes defecerunt. Atque ita exercitu & Imperio [a], & Triumviratu Lepidus ſpoliatus eſt, & Circejos in exſilium miſſus, cum humiliter genibus Cæſaris advolutus foret. Honorem tamen Pontificatus ad mortem uſque retinuit, cum is nemini vivo more majorum adimi ſoleret [b]. Et ita omnis poteſtas in Orbe Romano penes Antonium & Cæſarem reſtitit: ſed eorum concordia brevi diſſiliit, ut paullo poſt dicetur.

## CAPUT QUARTUM.

### *De bello cum Bruto & Caſſio.*

§. I. Vidimus initio hujus libri Brutum & Caſſium, cum ſe parum tutos Romæ fore viderent [c], profectos fuiſſe in provincias a Senatu ſibi decretas, Brutus quidem in Macedoniam, cui etiam Illyricum erat additum, Caſſius vero in Syriam: ita ut ludos, quos Prætor edere debebat Brutus, abſens edi fece-

*Occaſio belli. A. U. 710.*

a *App. Civ. L. I. n.* 532. b *Ib. L. V. n.* 746.
c *Plut. Brut. p. m.* 993.

ſecerit [a]: Athenas ſimul delati magno honore excepti fuerunt; & ſtatuæ iis juxta *Harmodium* & *Ariſtogitonem*, qui olim tyrannide Athenas liberaverant, decretæ ſunt [b]. Et Caſſius Syriam, cum tribus exercitibus, qui in ea provincia erant [c], occupavit: at paullo poſt Dolabella, qui interea amicitiæ ſpecie deceptum Trebonium interfecerat, & urbes Aſiæ exactionibus exhauſerat, hoſtiſque a Senatu judicatus fuerat [d], bello ipſum agreſſus eſt, Cleopatræ etiam Reginæ aliorumque auxiliis ſubnixus. Verum navali prælio ſuperatus, cum Laodicea urbs, in quam ſe receperat, Caſſio per proditionem eſſet tradita, ſatelliti cervicem feriendam præbuit. Legatus ejus *M. Octavius* (*Marſum Octavium* vocat Cicero [e], & *Marſum* Appianus [f]) violentas manus ſibi intulit [g]. Caſſius pecuniarum collatione *Laodicenſibus* injuncta *Tarſenſes* etiam, qui ſe *Tillio Cimbro* ad auxilium Caſſio ferendum proficiſcenti oppoſuerant, omni publica & privata pecunia mulctavit: & in hoc tractu decem legiones ſui juris fecit [h]. Interea Brutus Macedonia ab Hortenſio ejus provinciæ Prætore accepta C. Antonium Marci fratrem ejuſque exercitum in deditionem recepit: ſed Antonium mox monente Cicerone interfecit, cum con-

a *Cic. Att. XV. num. 25. &c.*
b *Dio. L. 47. p. m. 226.*
c *Liv. epit.* 121. d *Id. epit.* 119.
e *Phil. XI. cap.* 2. f *Civ. L. IV. n.* 625.
g *Dio L. 47. p.* 230. h *Vell. Pat. L. II. c.* 69.

continuas etiam ſeditiones excitare conaretur [a]: licet M. Antonius fratris ſui mortem Hortenſio potius imputaverit, quem poſt prælium *Philippenſe* ad ejus tumulum juſſit interfici [b]. Vatinii etiam Illyricum obtinentis milites ad Brutum tranſitionem fecerunt: qui tamen Vatinius ex Illyrico triumphavit [c]. Inde Brutus, cum Senatus ei imperium in omnes iſtas provincias confirmaſſet, Macedoniam fere pacavit; & Beſſis victis Imperator eſt appellatus: quanquam *epitome Liviana* 122. dicat, M. Brutum adverſus Thracas parum proſpere rem geſſiſſe. Inde in Aſiam profectus Brutus exercitum egregium & claſſem paravit, Caſſium etiam ex Ægypto revocans. Et Dejotarus, qui jam ad ultimam ſenectutem pervenerat, auxilia ei miſit, quæ Caſſio negaverat [d]. Infectus autem Caſſius Ægyptum petierat audito, quod Cleopatra magna claſſe ad Antonium navigaſſet [e]; quæ tamen in Africæ litore tempeſtate afflicta erat [f]: ſed Caſſius in Aſiam reverſus equites præmiſit, qui Ariobarzanem Regem in Cappadocia oppreſſerunt, quaſi inſidias Caſſio ſtruxiſſet: magnamque vim pecuniæ cum cetero apparatu reportarunt ad Caſſium. Brutus interea Lycios & Jones ad officium redire coegerat [g], non tamen ſine ma-

a *Dio d. l. p.* 227. b *Plut. Ant. p. m.* 925. c *Tabb. Capit.* d *Dio l. prox. d.* e *App. Al. Civ. L. IV. num.* 625. f *Ib. n.* 636. g *Plut. Bruto p. m.* 998.

ne magna ſuorum, & majore provincialium clade. Inde ipſe & Caſſius, qui jam etiam Rhodiorum claſſem ſibi adverſam gemina clade profligaverat, & ipſam Rhodum ceperat [a] ac diripuerat [b] immenſa vi pecuniæ & inde & ex aliis Aſiæ provinciis coacta, exercitum in Macedoniam reduxerunt: parumque abfuit, quin *Norbani* exercitum ceperint, ni Antonius mira celeritate uſus ei ſuppetias tuliſſet [c]. Hic enim magna parte Macedoniæ occupata apud Philippos caſtra poſuerat [d].

*Prælium Philippenſe.* §. II. Paullo poſt, cum Cæſar adveniſſet, qui in itinere morbi cauſſa ſubſtiterat, in campis Philippicis maximis utrinque copiis [e] concurſum eſt. Nam Cæſar, licet infirmus corpore, feſtinaverat, ne ſe abſente prælium committeretur: quod vix minus periculi ipſi immineret, ſi ſine ſua ope & ſe abſente viciſſet Antonius, quam ſi Brutus & Caſſius fuiſſent ſuperiores. Antequam prælium committeretur, Antonius & Cæſar modica largitione, Brutus & Caſſius duplo majore liberalitate militum animos ad fortitudinem accendere conati ſunt: & præterea decus liberatæ patriæ & oppreſſæ tyrannidis ſuis ante oculos ponebant [f]. Inviti tamen a ſuis ad pugnam compulſi ſunt, cum de ſalute civium, non minus quam

a *Vell. L. II. c.* 69. b *Val max. L. I. c.* 5. *n.* 8.
c *Plut. Bruto p. m.* 1001.
d *Dio L.* 47. *pag.* 232.
e *Plut. Ibid. App. L. IV. num.* 460. 652.
f *Dio l. d. p.* 235.

quam de libertate, ſolliciti cunctando potius adverſarios ſuos frangere conſtituiſſent a: præſertim cum ſummis rei cibariæ anguſtiis eos laborare ſcirent. Et dextrum quidem alterius aciei cornu, cui præerat Brutus, ſiniſtrum cornu hoſtium, quod Cæſaris erat, in fugam convertit, & caſtra hoſtium ſuorum cepit. Cæſar autem in commentariis ſuis prodidit, ſe ab *Artorio* medico ex cauſſa ſomnii monitum, paullo antequam caſtra ſua caperentur, lectica inde exportatum fuiſſe b. Sed conſentiunt fere auctores alii, Cæſarem etiamſi valetudine infirma eſſet, prælio tamen interfuiſſe, cum Artorius eum monuiſſet, fore, ut caſtra caperentur c. Appianus eum ob valetudinem Epidamni relictum dicit: & inde in caſtra profectum iterum, ſed confecto bello, propter morbum receſſiſſe d. Sed verior videtur narratio Dionis & Velleji, qui narrant, eum prælio adfuiſſe, ut diximus, evitantem, ne in caſtris opprimeretur. Quidam dicunt, nihil admodum præclari toto hoc bello egiſſe Cæſarem, cum Antonius ubique agens palmam ferret e: ita ut Philippenſis victoria tota huic deberetur f. Hic enim ab altero cornu pepulerat Caſſium rei bellicæ peritia ſibi nequaquam parem g; licet alii eum Bruto longe meliorem

a *Ibid. p.* 233. *ſ.* b *Plut. Bruto p.* 1003.
c *Val. Max. L. I. cap. VII.* §. 1.
d *Dio l. ſ. Vell. Pat. L. II. cap.* 70.
e *Plut. Ant. p.* 925. f *Appian. Civ. L. IV. n.* 679.
g *Dio l. c. p.* 236.

rem Ducem fuiſſe velint a : ſed vix certi aliquid hoc loco ex auctoribus elicias, cum etiam Antonius ſecundum quoſdam fortiſſime pugnaverit; alii eum hoſtibus in fugam actis demum ſuperveniſſe dixerint b. Sed partes Bruti perdidit, quod hic etiam Caſſium victorem eſſe ratus auxilium ei non ferret; Caſſius Brutum, quem profligatum putabat, non exſpectaret. Nam cum Caſſius, poſtquam fortiſſime pugnaſſet, exercitu ſuo fuſo ſe in collem quendam recepiſſet, atque equitum manus, quam auxilio Brutus mittebat, jam adventaret, *Titinnium* quendam ſpeculatum ire juſſit, hoſteſne an amici forent. At cum hic ab iis, qui parta victoria gaudebant, in medium eſſet receptus, Caſſius eum captum eſſe ratus, & hoſtes eſſe, quos advenire videbat, *Pindaro* liberto cervicem præcidendam præbuit. Quo viſo Titinnius ſuam traditatem incuſans ſe quoque peremit c. Poſt aliquot dies Brutus a militibus ſuis iterum pugnare coactus fuit: nam ipſe quidem tempore & fame hoſtes ſuos vincere ſtatuerat, præſertim cum claſſem Cæſaris a ſua claſſe oppreſſam eſſe reſciviſſet d. Nam eodem die, quo apud Philippos pugnatum fuit, *Statius Murcus*, quem Caſſius claſſi præfecerat, & *Q. Domitius Ahenobardus* inſigni prælio navali *Domitium Calvinum* ſuperarunt, qui magnam manum auxiliorum ad Cæſarem vehebat f.

Sed

a *Vell.II.c.71.Frontin.Str.L.IV.2.1.* b *Plut.l.d.* c *Val. Max.IX.9.2.* d *App.Al.L.IV.n.660.* e *Ib.n.656.*

Sed jam ad pugnandum compulſus, quo in extrema hac neceſſitate milites alacriores redderet, præter donativum, quod per legionem diſtribuit, Lacedæmonis etiam & Theſſalonicæ direptionem iis eſt pollicitus [a]. Ergo, cum ſuorum defectionem metuere inciperet Brutus, prælium commiſſum eſt, quod plane ſortem Imperii Romani determinavit, perpetuam ſervitutem pro priſtina libertate inducens. Superior autem fuit Brutus, qua parte ipſe agebat: ſed altero cornu fuſo ab hoſtibus eſt circumventus; ubi etiam Catonis filius fortiſſime dimicans cecidit. Ac fatendum eſt, utrinque egregie fuiſſe pugnatum: ſed plena tandem victoria potiti ſunt Antonius & Cæſar. Brutus autem, licet plurimis ſe pro ejus ſalute periculo objicientibus incolumis evadere potuiſſet, cladi tamen ſuorum ſupervivere noluit; ſed voluntaria morte occubuit, quam ex honeſtioribus plurimi imitati ſunt [c]. Porcia Bruti uxor, cum ab amicis, ut viveret, cogeretur, prunis ex foco arreptis ſeipſam ſuffocaſſe fertur [d]. Fuit ſane Brutus, ſi quisquam alius, vir plurima laude dignus, ita ut ab ipſo Antonio celebraretur, tanquam qui ſolus ex percuſſoribus Cæſaris non vindicta aut cupidine, ſed laudis tantum amore ductus id facinus perpetraſſet [e]: ita



a *In. n.* 658. b *Dio L.* 47. *p.* 237. c *Dio L.* XLVII. d *Plut. Bruto f. Martial. L. I. n.* 43. *Val. Max. IV.* 6. *n.* 5. e *Plut. Bruto p. m.* 997.

ut non immerito *Cremutius Cordus* Hiſtoricus, ut jam antea tetigimus [a], Brutum & Caſſium *Romanorum ultimos* dixerit: licet Plutarchus atque Appianus [b] ab ipſo Bruto ita appellatum Caſſium ſcribant [c]. Verum ex iis, quæ de immani fœnore, quo ſocios exhauſit Brutus, loco modo laudato jam diximus, facile patet, hanc virtutem minime omnibus partibus ſinceram fuiſſe: licet philoſophicis quoque præceptis non mediocriter fuiſſet imbutus [d], Academiæ veteris ſectatus diſciplinam [e]. Caſſius, qui Bruto natu major erat [f], licet dogmata Epicuri probaret [g], etiam ſincerior Bruto fuiſſe videtur, & ferocior [h]: isque Bruti ſororem *Juniam* uxorem habuit [i]. Uterque peritia rerum bellicarum ſupra modum excelluit [k]: licet de Caſſio quidam aliter tradiderint. Exercitus Bruti, Imperatoris ſui morte cognita, legatos ad Antonium & Cæſarem miſit, & impetrata venia inter hos duos diviſus eſt. Octavianus autem Cæſar poſt victoriam in ſplendidiſſimum quemque captivum non ſine verborum contumelia atrociter ſæviit [l]. Hoc bello confecto militibus veteranis prædia per Italiam [m], & forte

a *L. VIII. c. 11. §. 2.* b *L. IV. Civ. n. 655.* c *Vid. & Tac. Annal IV. c. 54. Suet. Tib. c. 61.* d *App. Civ. L. IV. n. 667.* e *Plut. Bruto init.* f *App. n. 641.* g *Cic. Fam. XV. n. 16. 19. Plut. Brut. p. 1001.* h *Ib. p. 987.* i *Vid. Manut. & alios ad Cic. Fam. XV. n. 14.* k *App. l. d. n. 666.* l *Suet. Aug. c. 13.* m *Vid. Hor. Serm. II. 11. v. 114. VI. 55. Virg. Ecl. I. Propert. IV. 1, 129.*

forte alibi, poſſidenda ſunt data; ut hodie apud *Turcas* militibus emeritis (*Timariotas* vocant) fieri ſolet. Omiſeram, evaſiſſe ex hoc bello Cn. Domitium, & Statium Murcum cum parte claſſis; quorum hic ſe ad Sex. Pompejum in Siciliam contulit. Domitius occupatis navibus cum magno ſequentium conſilia ſua comitatu fugæ ſe tradidit a; & claſſem olim commiſſam non ſolum retinuit; ſed etiam auxit: nec niſi partibus ubique profligatis ſe ſponte & ingentis meriti loco Antonio tradidit: ſolusque omnium ex iis, qui pari lege damnati erant, reſtitutus in patriam ampliſſimos honores percucurrit b: Imperatorisque Neronis proavus fuit.

§. III. Verum antequam in Italiam revertamur, etiam aliquid de bellis alibi terrarum hoc tempore geſtis dicendum eſt. *Alia quædam.* Nam in Aſia *C. Soſius*, qui legatus Antonii Syriam ac Ciliciam obtinebat, *Aradios* fame domitos ſubegit c. Judæos *A. U. 716.* Hieroſolymis expugnatis eodem die, quo ante annos viginti ſeptem a Pompejo capta urbs fuerat, cum horrenda gentis clade domuit d, & Antigonum Regem eorum captum ad Antonium perduxit: qui eum cruci alligatum & flagris cæſum ſecuri percuſſit, primus Romanorum in Regem eo ſupplicio uſus, quod Romanorum præſidium interfeciſſet: niſi verior

 cauſſa

a *Vell. L. II. c.* 72. b *Suet. Ner. c.* 3. c *Dio L. XLIX. p. m.* 273. d *Joſeph. Ant. L. XIV. c.* 28.

cauſſa fuerit, quod magnam pecuniam, ut id faceret, ab Herode accepiſſet. Eundem mox Herodem, (licet Bruti & Caſſii partes ſecutus fuiſſet[a]) Judæorum regno præfecit, artibus ejus, vel pecunia potius ingenti, quam promittebat, delinitus. Ita Judæorum Regum ſtirpe exſtincta ad extraneos illud regnum tranſiit: nam vidimus, Antipatrum Herodis patrem fuiſſe *Idumæum*. Africæ illam partem, quæ Jubæ fuerat, *Sextius* nomine Cæſaris obtinebat: veterem vero provinciam ex Senatus ordinatione Cornificius[b]. Huic Sextius denunciavit, ut provincia decederet; quod ex triumvirali diviſione tota Cæſari deberetur. At Cornificius *Ventidium* & *Lælium* diverſis agminibus adverſus Sextium miſit. Sed Ventidio a Sextio cæſo Lælius, qui jam Cirtam obſederat, ad Cornificium ſe recepit. Verum paullo poſt & Cornificius & Lælius a Sextio oppreſſi ſunt, & ita in Africa debellatum eſt. Poſtea etiam *C. Fuſidius*, qui a Cæſare Africæ præfectus erat, a Sextio Fulviæ Antonii uxoris inſtinctu bello petitus eſt: & tandem poſt varios caſus ſæpius victus manu ſua cecidit. Lepidus, ut jam inter Triumviros convenerat, utramque provinciam Africam in ſuam ditionem recepit[c].

a *Joſeph. Antiq.* XIV. 19. b *App. Al. Civ. IV. n.* 620. c *Dio L. XLVIII. p. m.* 248.

C A-

## CAPUT QUINTUM.

### *Bellum Peruſinum.*

INtra Italiam circa idem tempus bellum civile moverat Conſul L. Antonius Triumviri frater : qui *Pietatis* ſibi cognomen adſciverat, quod fratris Marci abſentis partes contra Cæſarem tueri velle videretur : eoque referunt denarios, in quibus legitur *Pietas Conſulis* [b]; & qui ab altera parte M. Antonii, non Lucii vultum exhibent : quod tamen cognomen non prohibuit quin vitiorum fratris ſui conſors, virtutum, quæ interdum in illo erant, expers haberetur [c]. Cauſſa belli, vel prætextus erat, quod Antonius & Fulvia dicerent, in diviſione agrorum ſibi & ſuis injuriam factam eſſe: Cæſar vero quereretur, legiones ex pacto ſibi non fuiſſe redditas. Nam proſcriptorum non tantum; ſed aliorum etiam prædia veteranis diviſa fuerant [d]. Ergo Clodiam M. Antonii privignam Cæſar repudiat [e]: cujus cauſſam prætextu ſpecioſiore ſuſcepit Lucius : & ſimul eorum dominorum, quos diviſione ſua agris ſpoliare Cæſar intendebat [f]. Cumque præterea Sex. Pompejus, & Cn. *A. U. 712.*

Hh 3 Domi-

a *Dio L. XLVIII. p. m. 241.* b *Vid. Spanh. de P. U. N. Diſſ X. p. 75. Vaill. G. Anton. n. 25. ſqq.* c *Vell. Pat. L. II. c. 74.* d *Horat. Serm. II. VI. 55. Virg. Ecl. I. v. 71.*
e *Suet. Aug. c. 62.*
f *App. Al. L. V. n. 682.*

Domitius Ahenobarbus infeſtis claſſibus maria obtinerent, ad magnas anguſtias Cæſar redactus fuit. Coactus itaque in diviſione agrorum moderatior eſſe cœpit; & veteranorum interceſſione de pace agere inſtituit. At Fulvia, virilis animi mulier [a], gladio etiam cincta omnes contra Cæſarem incitare conabatur: præſertim cum perſuaderetur [b], bello Italiam turbante e complexibus Cleopatræ poſſe avelli Antonium. Cæſar tamen pactis, quæ cum Antonio fecerat, expoſitis veteranos permovit, ut ſe in hac controverſia ſub certis conditionibus judices conſtituerent [c]. Verum, poſtquam Fulvia & Antonius eorum judicio ſtare noluiſſent, metum etiam a Cæſare cauſſati, legiones ſe huic adjunxerunt, qui adverſarios ſuos invidioſa accuſatione premebat. Ita bellum utrimque, & magnis quidem copiis paratum eſt, cum L. Antonius hoſtis a Senatu judicatus eſſet. Ipſa Roma, cui Lepidus cum exercitu præerat [d], primum ab Antonio capta, mox a Cæſare recepta eſt [e]. Tum, poſt alios etiam belli caſus Antonius in Galliam profecturus Peruſiæ obſeſſus eſt; &, cum fruſtra eruptionem tentaſſet,
*A. U. 713.* fame ad deditionem coactus. Ipſi aliisque paucis venia data in plures ſummates viros ingenti ſævitia Cæſar eſt uſus, Peruſia quoque caſu quodam incendio

a *Flor. L. IV. c. 5.* b *Plut. Ant. p. 929.* c *App. d. l. n. 683. ſq.* d *Liv. epit. 125.* e *Dio L. XLVIII. p. m. 244.*

cendio abſumpta eſt [a]. Fulvia cum liberis ad virum, plures ad Sex. Pompejum confugerunt [b]; cujus vires hac occaſione mire augebantur. Obſervemus obiter miram rerum viciſſitudinem [c]. Inter eos, qui metu Cæſaris Italiam relinquebant [d], fuit *Ti. Claudius Nero* cum uxore ſua *Livia Druſilla*, quæ poſtea Cæſaris Octaviani uxor, & filio *Tiberio*, qui deinde ejusdem Cæſaris privignus, gener, & ſucceſſor fuit. Nam Tiberius, qui Prætor hoc anno fuit, retentis ultra juſtum tempus magiſtratus inſignibus, in Campania vocatis ad pileum ſervis fruſtra bellum renovare conatus eſt [e]. Antonius interim horum motuum cauſſa in Italiam navigans Fulviam Sicyone obiiſſe intellexit [f]: atque ita hoc fomite diſcordiæ ſublato facile de pace inter Antonium & Cæſarem convenit: eaque magis firmata eſt nuptiis inter *Octaviam Minorem* [f] Cæſaris ſororem, cujus maritus *C. Marcellus* nuper obierat, & Antonium contractis.

a *Vell. d. l. App. Civ. V. n.* 699. b *Ibid. n.* 685. c *Dio Ib. p. m.* 245. d *Vid. Suet. Tib. c.* 6. e *Suet. Tib. c.* 4. f *Plut. Ant. p. m.* 929. f *Vid. Periz. anim. Hiſt. c.* 5.

# CAPUT SEXTUM.

## *Bellum cum Sexto Pompejo.*

*Origo belli.* §. I. SEX. Pompejus minor Magni filius victis partibus cum paucis latronibus in Hiſpania circa Oceanum vagabatur [a]. Et pluribus mox ad eum confluentibus vivo adhuc Cæſare bellum ſatis magnum excitavit: cum plures etiamnum in Hiſpania rebus ſuis faventes haberet, & claſſem præterea & amicos; & inſuper ergaſtula armaſſet [b]. Cumque mox occiſus eſſet Cæſar, a Senatu revocatus; & imperio maris cum eadem, quam pater ejus habuerat, poteſtate præfectus eſt. Triumviratu exorto, cum ſe inter percuſſores Cæſaris damnatum audiviſſet [c], Siciliam occupavit: quo ingens proſcriptorum aliorumque tyrannidem fugientium confluxit numerus. Ergo, ſi ullum bellum civile juſtum eſſe poſſit; hoc certe Sex. Pompeji juſtiſſimum fuit, (de conſcientia viri hic non agimus) quod neque ſocius tyrannidis, neque ſubjectus tute ſatis eſſe potuerit. Ex Africa etiam a Cornificio auxilia accepit. Et ita prælio cum *Salvidieno*, quem Octavianus Cæſar contra eum miſerat, congredi auſus exitu dubio pugnavit. Nec valde hominem metuebat Cæſar bellum adverſus eum diſ-

a *App. Civ. L. IV. n.* 637 b *Flor. L. IV. c.* 8.
c *Dio L. XLVIII. p. m.* 245.

diſferre coactus, quod trepidis Antonii nunciis in Græciam evocaretur: quanquam etiam auxilium Pompejo, Domitius Ahenobarbus accederet. Poſt cladem Bruti Caſſiique Caſſius Parmenſis cum M. Cicerone Oratoris filio, Statio Murco, aliiſque partium ducibus ad Pompejum navigavit [a]: qui his acceſſionibus auctus Italiam fame premere inſtituit. Verum majores etiam vires acquiſivit per ſimultatem inter Cæſarem & L. Antonium ortam: ita ut imprudenter egiſſe viſus ſit, quod eo rerum ſtatu ſua defendere, quam aliena invadere mallet [b]. Non diu poſtea partes Pompeji Ahenobarbus deſeruit [c]: cui tamen ingentem ſpem diſcordia Cæſaris cum Antonio faciebat: & *Julia* Antonii mater Roma cum nuru ſua Fulvia profugiens a Pompejo honorifice ad filium dimiſſa fuerat [d]. Igitur Cæſar ſibi metuens etiam *Muciam* Pompeji matrem ad eum remiſit [e]: & per *Mæcenatem* de pace cum Pompejo, & de nuptiis cum *Scribonia* ſorore *Libonis*, qui ſocer Pompeji erat, egit. Et Italiam Sardiniamque invaſit Pompejus hortante Antonio, qui etiam ipſe Brunduſium obſidebat. Sed intercedente exercitu, & *L. Coccejo* [f] ſimul cum Mæcenate operam, ut Antonius Cæſari reconciliaretur, præbente Pompejus ab

a *App. Civ. L. V. n.* 672. b *Ibid. n.* 685.
c *Ibid. n.* 700. *Vell. L. II. cap.* 76.
d *Plut. Ant. p. m.* 930. *Dio L. XLVIII. p.* 250.
e *Dio Ibid. pag.* 245. f *Vid. Horat. Serm. I. V. v.* 27.

ab Antonio in Siciliam revocatus eſt, quaſi curaturus ea, de quibus inter ipſos convenerat a. Nam ſacramento ſe obſtrinxerat Antonius ad ſocietatem belli contra Cæſarem b. Et pace inter Antonium & Cæſarem conciliata huic bellum cum Pompejo gerendum obtigit, cum bellum adverſus Parthos Antonio mandatum eſſet. Cæſar enim etiam cum Pompejo in gratiam redire recuſabat, poſtquam ejus copiæ a *Menodoro* (*Menam* hunc vocant Plutarchus & Dio, *Menodorum* vero Appianus) duce Pompeji Sardinia ejectæ eſſent: quanquam Populus caritate annonæ preſſus urgeret Cæſarem c, ut pacem cum Pompejo faceret d. Imo in ſummum periculum Cæſar venit, quod edicto de pecunia ad bellum cum Pompejo conferenda propoſito Populus ad furorem concitatus eſſet; qui palam Pompejo favere cœpit. Et non ſine ingenti cæde in Urbe facta Cæſar periculo ab Antonio ereptus eſt. Atque ita coacti fere & Antonius & Cæſar cum Pompejo prope Puteolos, vel *Miſenum*, in litore certe Campaniæ, in colloquium venerunt e. Et tandem pax convenit, his inter alias legibus, ut Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ, quin etiam Peloponneſo in quinquennium Pompejus imperaret; ſeſtertium ſeptingenties † pro bonis paternis reciperet; Pompeji filia *Mar-*

a *Appian. n.* 708. b *Dio lb. p.* 251. c *Suet. Aug. cap.* 16. d *App. l. d. n.* 710. e *Liv. epiſt.* 127. *Vell. L. II. c.* 77. † *Phil.* 1750000.

*Marcello* Antonii nepoti, Cæſaris ſororis filio nuberet: atque ita multi viri illuſtres, qui hactenus Pompejum ſecuti erant, ad Urbem navigaverunt[a]; ac ſummum omnium ordinum gaudium fuit. Non poſſumus autem ſilentio tranſire magnitudinem animi, quam hac occaſione oſtendit Pompejus: qui cum Antonium & Cæſarem in ſua triremi convivio excepiſſet, & moneretur a Mena liberto, ut funibus inciſis ſe Imperii Romani dominum redderet, perfidum id facinus averſatus eſt: neque tamen hanc virtutem, ut reliquas Romanorum, his ſaltem temporibus, virtutes, ſinceram fuiſſe, liquet, quod illud conſilium probaturus fuerat, ſi ſe inſcio, & ita ſalvo ſuo honore, a Mena id factum fuiſſet[b].

§. II. Sed ſtatim turbata ſunt hæc fœdera, quippe vix ſponte Ducum inita, & diſcordia artibus Cæſaris inter Pompejum & Menodorum, ſive *Menam* dicere velis, exorta hic ſe ad Cæſarem contulit[c], Sardinia etiam & Corſica ipſi traditis. Atque ita infeſta claſſe in Siciliam Cæſar navigavit: juxta quam acri prælio navali, & ambiguo fere eventu inter Cæſarianos Pompejanoſque certatum eſt[d], ducibus horum *Menecrate* & *Demochare* Pompeji libertis: nam talium hominum opera

*Bellum renovatum. A. U. 715.*

a *Vell. L. II. cap.* 77.
b *Plut. Ant. p. m* 930.
c *Appian. l. d. n.* 717. d *Epit. Liv.* 128. *Dio L. XLVIII. p. m.* 259.

opera fere hic utebatur [a]; quod ſignum certiſſimum eſt, cum, ut pleroſque hoc tempore Romanos, omnino a priſtina illa & ſincera virtute deſciviſſe. Secundum etiam prælium, cum ſummo quidem Cæſaris periculo, & majore ejus, quam Pompeji damno factum eſt [b]: & ingens præterea tempeſtas Cæſaris præcipue claſſem afflixit: qua tamen opportunitate uti Pompejus turpiter neglexit. Vere deinde ineunte Antonius cum ingenti claſſe Cæſari (qui per hyemem quoque diligentia ſumma res bello neceſſarias per Agrippam curaverat [c]) auxilio advenit, ut quidem præ ſe ferebat. Sed, niſi Octavia arbitra inter Antonium & Cæſarem, qui hoc fere tempore Liviam matrimonio Tiberii Neronis, & quidem prægnantem abduxit, intervenisſet, nova inter eos diſcordia fuiſſet exorta. Menodorus quoque indigne ferens, quod *Sabinus* ipſi in rebus gerendis præponeretur [d], fide a Pompejo impetrata rurſus ad eum transfugit. Lepidus vero Cæſari, ex Africa evocatus, auxilio advenit. Verum cum Cæſar ejus opera tanquam legati uti vellet, ipſe vero omnia æquato imperio (& jure quidem & merito) adminiſtrare, ad Pompejum Lepidus inclinare cœpit. Pompejus, licet etiam aliam cladem tempeſtas Cæſari intuliſſet, quam auxerat Meno-

a *Vell. L. II. cap. 73.* b *Appian. l. d. n. 722. Suet. Aug. c. 16.* c *Vell. L. II. c. 79.* d *Suet. Aug. c. 63.* e *Dio L. 48. f.*

Menodorus claſſem ejus invadens [a], hanc quoque occaſionem neglexit, ad inſolentem interim faſtum tranſgreſſus; ita ut ob potentiam maritimam *Neptuni Filius* appellari vellet [b]. Sed videns Menodorus claſſis imperium ſibi non eſſe redditum, ſe rurſus ad Cæſaris partes tranſtulit. Et hæc fuit infelicitas Pompeji, ut omnium, quorum res minus ſunt proſperæ, ut & ſæpius conſilia mutare cogeretur; & minus fidelibus uteretur amicis. Cæſar tamen, ut par eſt, Menodoro nullam fidem deinceps habuit [c]. Tamen alter Pompeii Dux *Papias* magnas ſatis copias ad Lepidum ex Africa navigantes oppreſſit. Ipſe vero Pompejus ab Agrippa navali prælio victus eſt [d]: qui tamen exercitum Cæſaris mox iterum terreſtribus copiis navalibuſque circumvenit [e]: ſed per rei militaris imperitiam etiam hoc rurſus tempore occaſionem rei bene gerendæ amiſit; cum ſe præterea Agrippæ cum novis copiis advenienti opponere cogeretur [f]. Cæſar tamen amicis, ſervis & ſatellitibus deſtitutus refugere coactus eſt; quemadmodum etiam Dux ejus Cornificius, cujus legiones pene a Pompejo oppreſſæ ſunt [g].

§. III. At tandem magna clade victus Pom- *Finis belli. A. U. 717.*

a *Id. L. 49. init.* b *Vid. App. L. V. n. 729. Hor. Epod. IX. Plin. H. N. IX. 16.*
c *Dio L. XLIX. init.* d *App. L. V. num. 733. Sex. Aur. Victor.* e *Liv. epit. 129.*
f *Dio Ibid. p. m. 266.*
g *Vell. L. II. cap. 79.*

Pompejus, & a ſuis deſertus ad Antonium trepidus confugit [a]. Agrippa, qui ex hoc bello triumphum merito petere potuiſſet, eum prudenter neglexit, gnarus, Ducem omnem ſucceſſuum ſuorum honorem Principi adſcribere debere [b]. Corona tamen roſtrata donatus eſt, ſed non ſolus omnium, ut dicit Dio [c], cum etiam Varro bello piratico ea donatus ſit [d]. Cæſar, qui interea Lepidum, hominem timidum, & tamen de tota Sicilia occupanda conſilia agitantem omni poteſtate exuerat, ſumma fortitudine vel temeritate, ut quibusdam videri poſſet, uſus, Pompejum perſequi noluit, ſeditionem etiam gravem militum ſuorum expertus. Lepidum vero ad genua ſibi provolutum in gratiam recepit, & Pontificatus Maximi ſacerdotio ornavit: quod tamen non prohibuit, quin Circejos eum in perpetuum relegaret [e]. Atque inde ad Urbem regreſſus vectigalia multa abolevit, & immodicis honoribus a Senatu ornatus eſt, cum annum ætatis octavum & vigeſimum impleviſſet [f].
*A. U.* 718. Qui favor Populi eo major erat, quod ſe, ceſſantibus jam ubique bellis civilibus, magiſtratum deponere velle ſimularet, quamprimum rediiſſet Antonius; cui eandem eſſe mentem affirmabat. Eodem tempore tribunitiam poteſtatem in per-

a *Flor. L. IV. c.* 8. b *Vid. Dion. L.* 49. *p.* 265. c *Ib. p.* 269. *Ita tamen etiam Liv. ep.* 129. d *Plin. XVI.* 4. e *Suet. Aug. c.* 16. f *App. L. V. civ. n.* 746.

perpetuum recepit [a]. Interea Pompejus, qui Mitylenem fuga delatus fuerat, cum Antonio de pace egit; licet revera tantum per legatos rerum Antonii ſtatum explorare conaretur, ſpe etiam concepta ſuccedendi in imperium, quod obtinebat Antonius. Igitur interea & ad Parthos, & ad alios barbaros de ſocietate ineunda miſerat [b]. Sed Antonius ſubdolis hiſce Pompeji conſiliis intellectis *M. Titium* miſit, qui vel bello eum perſequeretur; vel ſi pacem mallet, honorifice eum adduceret. Pompejus vero, cum *Furnium* Antonii nomine Aſiæ Præfectum ſpe pacis decipere fruſtra tentaſſet, ad apertum rurſus bellum converſus illud feliciter ſatis geſſit. At cum majores copiæ adverſus illum mitterentur, plerique amicorum ejus ad Antonium tranſierunt [d]. Et tandem, licet adhuc inimicos ſuos viciſſet, tamen, cum ſolemni illo ſuo vitio victoria uti neglexiſſet, *Amyntæ* Antonii Duci ſeipſum tradit [c]. Verum a Titio, ſive ex veteris offenſæ memoria; ſive mandante illud Antonio, Mileti interfectus eſt annum ætatis agens quadrageſimum.

a *Ib. n.* 747. b *Dio L. XLIX. p. m.* 270.
c *App. d. l. n.* 751.
d *Vell. L. II. c.* 79.

C A-

## CAPUT SEPTIMUM.

*Bellum Civile Antonii & Caſaris, quod & Actiacum.*

*Amor Antonii & Cleopatræ.*

§. I. BEllo Philippenſi confecto Cæſar in Italiam rediit: Antonius ad provincias Orientis profectus eſt [a], ut avaritiæ ſuæ immenſæ & luxui ſatisfaceret, decem annorum vectigalia intra annum pendenda exigens, cum tantundem biennio inimicos ſuos accepiſſe diceret [b]. Convenit tamen, ut novem tantum annorum tributa intra biennium ſolverent. Statim autem ac ingreſſus eſt Aſiam illius regionis deliciis ſe penitus immerſit, cum maximam pecuniæ vim, *ducenta millia talentorum* †, Sociis extorſiſſet. At plane eum peſſundedit amor Cleopatræ Ægyptiorum reginæ. Juſſerat eam ad ſe venire in Ciliciam, ut cauſſam diceret: nam de auxiliis Caſſio ſubmiſſis accuſabatur. Regina, quæ ſciret, animum Antonii propenſum eſſe ad libidinem, iter ſuſcepit incredibili plane luxuriæ apparatu inſtructa: ita ut vulgi ſermonibus jactaretur, *Venerem ad Bacchum comeſſatum veniſſe* [c]. Nec ſefellit ſua ſpes mulierem ſubdolam: nam, cum ſe facile de criminibus objectis purgaſſet, Antonium tanquam addictum abdu-

a *Plut. Anton. pag.* 926. b *Appian. Civ. L. V. n.* 674. † *Philipp.* 12000000. c *Plut. Ant. p. m.* 927.

abduxit Alexandriam; ubi ſtatim ingenio ſuo & luxui indulgere cœpit, habitum & nomen *Liberi Patris* uſurpans [a]. Et dicitur, jam olim amaſſe mulierem, quum Gabinium Imperatorem Præfectus Equitum Alexandriam ſequeretur [b]. Sed tamen, cum & uxorem ſuam & fratrem Italia a Cæſare eſſe ejectos, & Labienum cum Parthis in Lydiam jam & Ioniam progreſſos eſſe, nunciaretur, dilato Parthico bello in Italiam contendit. Neque hic repetemus, quæ de reconciliatione ejus cum Cæſare, & de pace cum Sex. Pompejo facta jam diximus. Et belli etiam Parthici narrationem differemus, donec hujus belli civilis deſcriptio explicata ſit. Ut vero in Syriam reverſus eſt Antonius, & otium eſt interea dum Cæſar res Galliæ nonnihil turbatas componit [c], amor Cleopatræ conſiliis melioribus male repreſſus etiam magis exarſit [d]. Ergo illi ad ſe evocatæ plura ingentia regna condonavit; Phœniciam, Syriam cavam, Cyprum, magnam Ciliciæ, Judææ, Arabiæ *Nabathææ* partem: geminoſque jam ex ea ſuſtulerat filios.

§. II. Neque reverſus a bello Parthico minus inſano amore eam complexus eſt; ita ut Cæſar ſororem ſuam mariti domum relinquere juberet [e]: licet ipſa fratrem oraret, ne ſui cauſſa arma in Antonium ſumerentur. Sed ipſa benignitate ſua O- *Trojani belli cauſſa.*



a *Vell. Pat. L. II. c. 82.* b *Appian. l. d. n. 676.* c *Appian. Civ. L. V. n. 715.* d *Plut. Ant. p. m. 932.* e *Ibid. p. 940 f.*

ctavia Antonium incendebat. Et cum Cæſar, (licet *Soſius* Conſul A. U. 721. in Senatu multa in Cæſarem, multa pro Antonio dixiſſet) cum Cæſar, inquam, oſtendiſſet Senatui ſummas injurias, quibus & ſororem ſuam & Populum Romanum afficiebat Antonius, Ægyptum, quæ extra ſortem ejus erat, obtinendo, & liberis Cleopatræ ea, quæ Populi Romani erant, largiendo, Antonius miſit, qui etiam Cæſarem incuſarent, (& jam Conſules & multi Senatorum ad eum confugerant) quod extortam Pompejo Siciliam teneret ſolus; quod claſſem commodato acceptam non reddidiſſet; quod omnia, quæ Lepidi fuerant, exercitum, provincias, vectigalia retineret; quem etiam, & vere quidem, a Cæſare magiſtratu detruſum eſſe dicebat; quod Italia pene tota ſuis militibus diviſa Antonii milites neglexiſſet. Cum vero ex amicis Antonii plures ad Cæſarem tranſiiſſent, hic eorum indicio teſtamentum ab Antonio factum nactus eſt: eoque publice recitato ingentem omnium ordinum contra Antonium indignationem commovit; cum in eo teſtimonium ferret Cæſarioni, legitimum eum eſſe Cæſaris filium; filiisque ſuis ex Cleopatra immenſa munera daret; & ſuum denique mortui corpus Alexandriæ cum Cleopatra humari juberet [a]. Quod factum, ut iniquiſſimum [b], Antonius poſtea Cæſari objecit. Poſtquam vero

a *Dio L. L. p. m.* 284. b *Vid. Caſaub. ad Suet. Aug. c.* 17.

vero Antonius a Cæſare acerbius reſponſum accepiſſet, bellum extemplo paravit, Cleopatra in Ægyptum diſcedere juſſa. Verum hæc, quæ ſemper metuebat Octaviam, obtinuit, ut cum Antonio manere liceret. Interim, dum Reges & Tetrarchæ (nam commodum jam bella externa ceſſaverant) Antonio jubente cuncta ad bellum parant, ipſe & Cleopatra Sami Athenisque genio indulgebant; quibusdam etiam Romam miſſis qui Octaviam ſuis ædibus pellerent: exceſſitque illa Antonii liberos ſecum trahens. Quod tamen non intelligo cur tulerit Cæſar. Hic autem laborabat ſumma inopia pecuniæ, & ejus exactionibus tota exacerbabatur Italia; ita ut in maximis Antonii peccatis fuerit, quod bellum in aliam æſtatem gerendum diſtuliſſet.

*Ipſum bellum. A. U. 722.*

§. III. Ut vero ſatis paratus erat Cæſar bellum in Cleopatram decernitur: nam Antonium hoſtem appellare noluerunt metu illorum, qui cum eo erant [a]. Ei tamen abrogatur imperium, cujus mulieri arbitrium tradidiſſet; addito etiam, non ſatis mentis compotem eſſe Antonium; quippe potione a Cleopatra data corruptum [b]. Verum id etiam agebat Cæſar, ut Antonio objici poſſet, quod ultro pro muliere Ægyptia bellum adverſus patriam ſuſcepiſſet. Ingentes autem copias, Cæſar ex Occidente, ex Oriente Antonius coegerunt [c]: ſed agilita-



a *Dio L.L. p. m.*284. b *Plut. Ant. p. m.*943.
c *Ib. p. ſqq. Dio Ib. p. ſqq.*

te navium & præſtantia militum longe Cæſar ſuperabat Antonium : qui pauciores multo naves, ſed quæ numero magnitudinem penſarent, habebat [a]. Et illud ipſum inter præcipuas cauſſas cladis Antonii fuit ; cum naves Cæſaris ſingulæ plures Antonii graviores adortæ facile eas ſuperarent. Hujus præterea conſilia & animum præſens corrumpebat Cleopatra: ita ut jam multi ad Cæſarem, & quotidie deficerent: inter quos fuit Plancus, qui turpiſſima adulatione apud Antonium & Cleopatram uſus fuerat [b]. Neque hæc prohibere poterat: quanquam ſe ſecundo menſe a finito bello imperium depoſiturum eſſe promitteret [c]; & præterea auro non parceret, ut plures in ſuas pertraheret partes : ita ut Antonius omnes jam ſuſpectos habens ingenti ſævitia in ſuos uteretur. Reginæ quoque conſilio uſus, cum fruſtra ſuaderet *P. Canidius*, qui terreſtribus copiis præerat, ut relicta Cleopatra regreſſus in Macedoniam, aut Thraciam (ac eo etiam Cæſar Antonium avocare conabatur [d]) pedeſtris prælii aleæ negotium committeret, navali certamine decertare ſtatuit, Regina jam tum fugæ opportunitatem circumſpiciente.

*Prælium Actiacum.* §. IV. Ergo quæ prima occaſio cœli ſereni & tranquilli maris ſe obtulit, ea uſus Antonius prælium commiſit. Et utraque claſſis ad *Actium* urbem Acarnaniæ concurrit; cui objecta fuit in Epiro *Nicopolis* paullo

a *Flor. L. IV c. 11.* b *Vell. Pat. L. II. c. 83.*
c *Dio L. L. p. 285.* d *Ib. p. 288.*

paullo poſt a Cæſare in memoriam victoriæ condita. Ludoſque illic Quinquennales idem conſtituit [a]. Factum autem eſt prælium IV. Nonas Septembres A. U. 722. [b] unde ita initium Imperii a ſolo Cæſare Octaviano geſti ſumi debet. Ambigua autem fere fortuna certabatur, niſi quod celeritate navium uſus Cæſar jam ab initio ſuperior futurus videretur [c], quando repente Cleopatra [d], quæ in anchoris poſt claſſem pugnantem ſtabat, cum ſexaginta navibus ſuis fugam arripiens, quod exſpectationem exitus ancipitis prælii muliebris animus diutius non ferret, Antonium amore perditum ſecum traxit. Hic paullo poſt multos ex amicis a ſe dimiſit, ut ſaluti ſuæ proſpicerent, aureo & argenteo inſtrumento regio magni pretii donatos. Claſſis interea Antonii ad Actium ſtrenue repugnabat: nam pauci ejus fugam ſenſerant [e]. Quin etiam ea jam intellecta fidem ei ſervarunt ſui, conditiones a Cæſare oblatas ſpernentes: quanquam etiam ignibus injectis multæ naves a Cæſarianis cremarentur [f]: ſed a Canidio quoque & Ducibus ſuis relicti ſe Cæſari aggregaverunt. Hos, partim in Italiam, partim alio ſparſos dimiſit: & reliquum quoque exercitum iter in Macedoniam intendentem ſine pugna ſibi adjunxit: & Græciæ etiam civitates ab Antonio afflictas ſolatus eſt. Illi etiam, qui inter auxilia Antonii fuerant, cum in



a *Suet, Aug. c.* 18. b *Dio L. LI. init.* c *Id. L. L. p.* 296. d *Plut. Ant. p. m.* 946. e *Vell. L. II. c.* 85. f *Dio L. L. p. m,* 297.

ſuam quiſque patriam receſſiſſent, nullum præterea bellum geſſerunt: ſed pars ſtatim, pars poſtea pacis conditiones a Cæſare latas acceperunt [a]: omniumque illorum res a Cæſare ordinatæ ſunt.

*Finis Antonii & Cleopatræ.*

§. V. Antonius ab amicis prohibitus, ne manus ſibi inferret, Alexandriam delatus eſt: & ibi demum plenæ cladis nuncium accepit [b]: ut etiam, defeciſſe a ſe Herodem Judæum, & alios Dynaſtas plurimos. Inde tamen, quaſi omnem ſpem abjeciſſet, ad pocula comeſſationeſque ſe ſimul & civitatem convertit. Cæſar vero, rebus etiam in Aſia conſtitutis, in Italiam properavit, ne ibi per abſentiam ſuam ſeditiones orirentur: ſed ibi quoque rebus ex animi ſententia compoſitis triceſimo quam venerat die in Græciam revectus eſt [c]. Et proximo anno perſecutus
*U.* 723. Antonium legationes ab ipſo & Cleopatra miſſas rejecit; huic tamen occulte mandans, ſi Antonium ſuſtuliſſet, vel ejeciſſet, nihil ei benignitatis defuturum [d]. Nec mitius ad ſecundam & tertiam legationem reſpondit; auro nihilominus, quod miſerat Antonius, accepto [e]. Neque etiam deſtiterant interea Antonius & Cleopatra a parando bello, Populos & Reges ad auxilium convocantes: quanquam fugam quoque, ſive in Hiſpaniam, ſive ad Mare rubrum meditati eſſe dicuntur;

a *Id. L. LI. init.* b *Plut. Ant. p. m.* 949.
c *Dio L. LI. p. m.* 301. *Suet. Aug. c.* 17.
d *Plut. Ant. p. m.* 950.
e *Dio L. L. LI. p. m.* 303.

tur [a]: præſertim cum etiam Reges & Populi auxilia denegarent. Cæſar autem ea manſuetudine non fuerat uſus, niſi quod timeret, ne præ deſperatione aut ad reſiſtendum compellerentur, aut fugerent, aut denique theſauros, quos immenſos eſſe audiverat, corrumperent. Sed non niſi tranſacta hyeme Cæſar Peluſium cepit, prodente eam urbem Cleopatra [b], quæ etiam Cæſarem ad amorem ſui pellicere ſe poſſe ſperabat. Antonius tamen adhuc eruptione & equeſtri prælio, & proſpere quidem cum Cæſare pugnavit: quod tamen non prohibuit, quin paullo poſt pedeſtri prælio victus a claſſe primum, & mox etiam ab equitibus desereretur, omnibus tranſitionem ad Cæſarem facientibus [c]. Cleopatra (nam ab ea ſe proditum clamabat Antonius) iram ejus & deſperationem verita ſe monumento Regum incluſit; miſitque ad Antonium nuncios, qui defunctam eam eſſe dicerent; ſperans Antonium eo nuncio intellecto manus ſibi eſſe illaturum [d]. Antonius ſane, obiiſſe eam credens, ab *Erote* ſervo mortem beneficii loco petiit. At cum hic ſeipſum occidiſſet, exemplo erectus ictum ſibi, ſed non eum qui mortalis eſſet, intulit. Cum vero vivere Cleopatram intellexiſſet, ex faſtigio enim monumenti proſpexerat, ad eam ſe deferri juſſit: & maximo muliercularum labore funibus ad illam ſubductus eſt; neque enim monumen-

Ii 4 ti

a *Ib.p.*302. b *Ib.p.*304. c *Plut.Ant.p.m.*951. d *Dio L. LI.p.m.*304. *Liv. Epit.* 133.

ti fores reſerari Cleopatra voluerat. Atque ibi paullo poſt in gremio Reginæ exſpiravit. Cæſar porro Cleopatram vivam in poteſtatem redigere conatus eſt: miſitque qui eam cuſtodirent, & omnibus blanditiis delinire conarentur. Neque illa omnem ſpem ſalutis abjecerat; & per nuncios Antonii mortem Cæſari indicaverat. *Antyllus* interim ſive *Antonius* [a], Antonii ex Fulvia filius, a militibus eſt interemptus: quemadmodum etiam paullo poſt Cæſarionem, qui ex Dictatore Cæſare & Cleopatra natus ferebatur, monentibus illud amicis, Cæſar occidi curavit. Iisque adoleſcentibus perniciem acceleravit, quod Ægyptii eos jam ſibi Duces conſtituiſſent, ſi quid Antonio & Cleopatræ accidiſſet [b]. Antonii tamen corpus Cleopatræ magnifice ſepeliendum conceſſit. Et paucis diebus interjectis ipſe ad eam venit, cupiens eam ad ſplendorem triumphi ſui ſervare, & ſimul theſauris ejus potiri; eamque conſolari aggreſſus eſt. Et cum eam vitæ cupidine teneri crediſſet, diſceſſit. Verum poſtquam blanditiis ſuis plane non moveri Cæſarem vidiſſet Regina, & præterea, *Dolabella* nobili juvene per nuncium illud ſignificante, intellexiſſet, ſe poſt triduum cum liberis in Italiam eſſe mittendam, petiit a Cæſare [c], ut inferias Antonio perſolvere ſibi liceret. Atque ita, *Epaphrodito* liberto, cui cuſtodia ejus mandata erat,

a *Suet. Aug. c.* 17 *Plut. Ant. p. m.* 923. b *Dio L. LI. p. m.* 302. c *Sex. Aur. Vict.*

erat, cum literis ad Cæſarem ablegato [a], in monumentum Antonii delata aſpidis, quam inter ficos inferri juſſerat, morſu periiſſe creditur; quod genus mortis non novum fuiſſe in Ægypto ex Cicerone intelligitur [b]. Alii eam venenum ſumpſiſſe dicunt [c]; nec ſatis certo conſtitit, quo genere mortis perierit. Cæſar eam regio funere efferri, & apud Antonium ſepeliri juſſit. Deceſſit nata annos undequadraginta. Liberos ejus ſuperſtites Octavia cum ſuis educavit [d]. Filia *Cleopatra* poſtea *Jubæ* Mauritaniæ Regi nupſit [e].

§. VI. Cæſar deinde per Syriam in Aſiam profectus omnia ad bellum cum Parthis gerendum paravit. Et anno ſequente Romam reverſus, & incredibili hominum gaudio exceptus per triduum triumphavit [f]; ludosque omnis generis edidit. Templum Jani omnibus jam bellis perfectis clauſit; & omnibus, quos adulatio reperire potuit, honoribus auctus eſt. Ita Ægyptus in provinciæ formam redacta fuit: ex qua tantum pecuniæ in ærarium Cæſar intuliſſe dicitur quantum Pater ejus ex Gallia [g]. Ægypto *Cn. Cornelius Gallus* eques Romanus præfectus eſt, cum provinciam aditu difficilem, annonæ fœcundam, ſuperſtitione ac laſcivia diſcordem & mobilem, inſciam legum, ignaram magiſtratuum viro Senatorio committere

*Res proxime bellum ſecutæ.*
*A. U. 724.*

a *Dio Ib. p. m.* 306. b *Pro C. Rab. Poſt. c.* 9. c *Plut. Ant. p. m.* 955. d *Ib. Vid. & Suet. Aug. c.* 17. e *Dio Ib. p. m.* 307. f *Suet. Aug. c.* 22. g *Dio L. LI. p. m.* 309. h *Vell. L. II. c.* 39.

tere minus tutum eſſe videretur a. Verum paullo ante, dum ultimam manum bello Actiaco Alexandrinoque Cæſar imponit *M. Lepidus* M. Lepidi Triumviri filius *Junia* ſorore Bruti natus interficiendi, ſimul ac in Urbem rediiſſet, Cæſaris conſilia iniverat b. Sed Mæcenas, quem Urbi præfecerat Cæſar, ſumma prudentia & mira celeritate, nullaque cum perturbatione aut rerum, aut hominum oppreſſo Lepido, immane novi ac reſurrecturi belli civilis reſtinxit incendium. Ita bella civilia vigeſimo circiter anno, quam cœpta fuerant, finita ſunt: & non quidem, ut falſiſſime dicit adulator Vellejus c, priſca illa & antiqua Reipublicæ forma revocata eſt: ſed tamen in firmum, & longe meliorem, quam proximis annis fuerat, ſtatum eſt compoſita; de qua re, ante quam finiamus, adhuc aliquid adjecturi ſumus.

## CAPUT OCTAVUM.

### *Bellum Parthicum.*

*Origo belli.* §. 1. Licet Cæſar, ut vidimus, paullo ante mortem bellum Parthis inferre ſtatuiſſet, ipſi tamen jam per aliquod tempus a bello contra Romanos gerendo abſtinuerant; quod horum præcipue artibus diſcordiis inter ſe vexarentur. Sed non diu poſtea opportuna occaſio bellum

a *Tacit. Hiſt. I. c.* 11. b *Liv. epit.* 133. *Vell. L. II. c.* 88. c *L. II. c.* 89.

ſum Romanis faciendi ipſis obtigiſſe viſa eſt. Poſt prælium nempe Philippenſe *T. Labienus*, Labieni, qui Mundenſi prælio ceciderat, filius a, adoleſcens ſtolidus, ſi credimus Straboni b, qui a Bruto Caſſioque ad auxilium petendum ad Parthos fuerat miſſus c, audita partium clade cum veniam deſperaret, potius ſibi cum barbaris vivendum, quam cum civibus in patria pereundum ſtatuit. Ibi dum in Ægypto Antonius amori indulget, & Sex. Pompeji bello diſtineretur Cæſar, cum *Pacoro* filio Regis Orodis Syriam invaſit d, & Apameam cepit, & Antiochiam, *Decidiumque Saxam* M. Antonii legatum vicit, tranſitione militum, qui Caſſii olim & Bruti partes ſecuti fuerant, auctus. Juſtiorem etiam Parthorum cauſſam faciebat, quod *Palmyrenos* in fidem recepiſſent; quorum urbem opulentiſſimam militibus ſuis diripiendam Antonius promiſerat e. Inde Pacorus omni Syria, excepta Tyro, ſubacta Hyrcanum Ariſtobuli filium a Romanis Judææ præpoſitum removit; eique fratrem ejus *Antigonum* ſubſtituit f. Labienus vero Ciliciam & Aſiam fere omnem occupavit, & *Parthici* cognomen aſſumpſit g, more certe a Romanis rationibus diverſiſſimo. *A. U. 713.*

§. II. Antonius autem (nam & bellum Parthicum a Senatu decretum erat) vix e ſomno *Res ab Antonio geſta.*

a *Hirt. bell. Hiſp. c.* 32. b *L. XIV. n.* 660.
c *Dio L. XLVIII. p. m.* 249. d *Flor. L. IV. c.* 9.
e *Appian. Civ. L. V. n.* 676. f *Joſeph. Ant. L. XIV. c.* 24.

ſomno & crapula excitatus a in Syriam quidem profectus eſt, tanquam Tyro opem laturus; ſed omnia jam ab hoſtibus occupata cernens regreſſus eſt; præſertim cum Fulviæ ſuæ literis & lacrymis in Italiam revocaretur b. Poſt aliquod tempus ex Italia in Græciam reverſus *P. Ventidium* in Aſiam ad bellum cum Labieno gerendum præmiſit: qui repentino adventu ſuo territum hoſtem profligavit, & in Syriam repulit c. Parthos etiam auxilio ei venientes vicit; ipſumque Labienum mox copiis fere exuit. Labienus paullo poſt a *Demetrio* liberto, quem Cypro Antonius præfecerat, captus eſt, & mox occiſus. Inde Ventidius Ciliciam primo, mox Syriam a Parthis relictam recepit, *Arado* ſolum excepta; & deinde etiam Palæſtinam; & multam pecuniam a Regibus, qui Pacorum auxilio juviſſent, expreſſit; neque tamen ipſe a Senatu ob has res geſtas honoratus eſt; ſed Antonius, cujus auſpiciis eas geſſerat. Deinde metum ſimulans Parthos ad prælium pellexit, & vicit, ipſo Pacoro in ea pugna cæſo d, eodem anni die, quo quondam Craſſus a Parthis cæſus fuerat: atque ita Pacori capite ad urbes, quæ defecerant, circumlato omnes ſine bello receptæ ſunt e. Et ulterius victoriam perſequi potuiſſet Ventidius, niſi Antonii metuiſſet

a *Strabo l. d. Dio L. XLVIII. p. m.* 290. b *Plut. Ant. p. m.* 929. c *Appian. Parthic. n.* 156. d *Plut. Ant. p.* 931. e *Dio L. XLIX. p. m.* 272. f *Flor. L. IV. c.* 9.

ſet invidiam [a]. Romæ autem & Antonio & Ventidio triumphus eſt decretus; quem hic tamen ſolus duxit, cum interea periiſſet Antonius. Primus autem Romanorum de Parthis triumphavit Ventidius, & ſolus ex privatis. Ac mira ſane hic obſervari poteſt rerum viciſſitudo: cum hic idem Ventidius puer olim cum aliis captivis in Pompeji Strabonis triumpho ductus fuerit [b]. Antonii etiam legatus Canidius Armenios, Albanos & Iberos domuit. Parthi vero vivo etiamnum Antonio otium nacti novum bellum fecerunt. *Phraates* enim, cui pater Orodes regnum tradiderat, mira id ferocia tractavit, fratribus ſuis necatis, imo ipſo patre, cum indignius id ferre videretur, occiſo: atque ita primorum multos, & inter eos *Monæſen*, partim alio, partim ad Antonium tranſire fecit. Huic Antonius regnum Parthiæ, & alia inſuper dona pollicitus, & quædam etiam repræſentans, bellum commiſit. At Monæſes ſummis Parthi promiſſis permotus retro ceſſit. Antonius indignationem diſſimulans eum ad Parthos miſit, quaſi de pace agere vellet, ſperans interea Regem imparatum opprimi poſſe: nam ipſe quidem octodecim legiones, & ſexdecim millia equitum habuit [c]. Cum vero aditus probe munitos reperiſſet Antonius, in Medos, eorum Regi bellum facturus, iter deflexit; & ur-

a *Plut. Ant. p. 931. Appian. Parth. n. 157.*
b *Plin. H. N. VII. 43. Gell. XV. 4.*
c *Liv. epit. 130.*

& urbem *Praaſpa*, ut Dioni dicitur, vel *Phraata*, ut Plutarchus & Appianus eam vocant, Medorum regiam oppugnare cœpit. Interea Parthi, qui urbem illam validiſſime munitam eſſe ſcirent, *Oppium Statianum* Antonii Ducem cum copiis, quas habebat, concidunt; & machinas urbis oppugnationi inſervituras in poteſtatem redigunt [a]. Antonius autem, oppugnatione Praaſporum relicta multis magniſque incommodis a Parthis affectus eſt: quanquam etiam ipſe ſæpiſſime hoſtes fuderit. Diſceſſit etiam ab eo *Artabazus* Armenius, qui præcipua belli cauſſa fuerat, cum nihil boni ſibi ab Antonio ſperaret. Hic plurimis ſuorum, ſive ferro, ſive fame amiſſis, (2400. fuiſſe dicit Appianus) & panis quoque inopia preſſus in Armeniam rediit; atque inde in Ægyptum profectus eſt, cum pacem ei & ſecuritatem promiſiſſent Parthi, ſi reditum maturaſſet. Præcipuam autem cauſſam Antonio rei male geſtæ fuiſſe dicunt, quod præ amore Cleopatræ mentis non ſatis compos de reditu magis, quam de victoria cogitaret [b]. Anno quidem ſequente Armeniæ Regem bello perſequi ſtatuit: nam ejus diſceſſus præcipua malorum omnium cauſſa Romanis fuerat: pacemque propterea cum Medo fecit [c]. Sed illecebris Cleopatræ delinitus bellum omiſit: cum tamen tantum apparatum feciſſet, ut

a *App. Al. Parthic. n.* 158. b *Appian. Ib. Liv. ep.* 130. c *Appian. Ib. n.* 169.

ut timor ejus ad Indos etiam [a] perveniſſe dicatur. Verum anno ſequente Rege per fraudem capto ejus regnum in poteſtatem redegit; ac filio ſuo ex Cleopatra conceſſit [b]. Et poſtea adhuc in Mediam profectus unam ex filiabus Regis conjugem uni ex filiis Cleopatræ futuram accepit [c]: eumque Mediæ & Parthiæ Regem, ſi eas regiones ſubegiſſet, fecit [d]. Poſt mortem Antonii res a Parthis per aliquod tempus quietæ fuerunt [e]: & ſi aliquid rei cum iis geſtum fuit, ejus narratio finibus, quos nobis ſtatuimus, non continetur. Hoc tantum adjiciemus, Auguſtum captivos & ſigna militaria, quæ cæſo Craſſo ceperant Parthi; & ea etiam, quæ Antonio ademerant, recepiſſe [f], cum filium Phraatis eo conſilio patri remiſiſſet [g]. Ea autem ſigna Tiberio Auguſti auſpiciis in Oriente res gerenti reſtituta ſunt [h]. *A. U. 719.*

## CAPUT NONUM.

### *Bella quædam alia Octaviani Cæſaris.*

§. I. HOrum tamen bellorum ſumma capita tantum memorabimus, cum jam ad finem hujus operis cum gaudio properemus. De gentibus quibuſdam Inalpinis L. Antonius Triumviri frater *Bella cum Gallis.*

A. U.

a *Plut. Ant. p. m.* 932. b *Liv. epit.* 131. c *App. Parth. inf.* d *Plut. Ant. p.* 941. e *Dio L. LI. p. m.* 309. f *Suet. Aug. c.* 21. *Vell. L. II. c.* 91. g *Dio L. LII. f.* h *Suet. Tib. c.* 9.

A. U. 712. triumphum petiit, & obtinuit [a]: quanquam nihil admodum laude dignum geſſiſſet; neque magiſtratum imperiumve in iis locis legitimum unquam habuiſſet. Felicior fuit Agrippa, qui ex Prætura Galliam ulteriorem obtinens Cæſaris auſpiciis res in Aquitania feliciter adminiſtravit; & poſtea ſecundus Romanorum belli cauſſa Rhenum tranſiit. Triumphum tamen neglexit [b] ob damna, quæ Cæſar in bello contra Sex. Pompejum paſſus fuerat. Verum A. U. 724. *C. Albius Carrinas* de Gallis Morinis triumphavit; ut etiam de Suevis: nam poſtquam Morinos ſubegerat, etiam Suevos in Galliam irruentes ante biennium repulerat [c]. Et qui Carrinati ſucceſſit *Nonius Gallus* Treviros Germanorum auxiliis fretos & rebellantes ſubegit [d]. Denique A. U. 726. de Gallis Aquitanis triumphavit *M. Valerius Meſſalla* [e]. Contra Salaſſos, aliasque gentes Alpinas ipſe Cæſar A. U. 718. bellum ſolita ſua felicitate geſſit [f].

*A. U. 714.*

*Bella Hiſpanica.*

§. II. In Hiſpania Cn. Domitius Calvinus A. U. 714. Cæſaris auſpiciis primum feliciter pugnavit; at legatus ejus a militibus ſuis deſertus, ab Hiſpanis obſeſſus & occiſus eſt. Sed Domitius revocata vetere diſciplina, punitiſque deſertoribus hoſtes denuo adortus eſt, & victoriam repor-

a *Dio L. XLVIII. p. m.* 240. *Tabb. Capit.*
b *Vid. Dion. L. XLIX. p. m.* 265. c *Dio L. LI. p.* 310. d *Dio Ibid.* e *Appian. Civ. L. IV. n.* 611. *Cl. Broukh. ad Tibull. IV.* 1, *v.* 107.
f *Dio L. XLIX. p. m.*

reportavit [a]. Poſtea etiam Cantabros, Vaccæos, Aſtures a *Statilio Tauro* domitos legimus. A. U. 715. *Bogud* Mauritaniæ Rex in Hiſpaniam trajiciens bellum movit; ſed ſuorum defectione regredi coactus a Cæſarianis (nam ipſe Antonio favebat) victus ſe ad Antonium contulit; & regnum ejus a *Boccho* occupatum eſt [b]: cui illud Cæſar confirmavit. *C.* denique *Norbanum Flaccum* A. U. 719. in Hiſpania bene res geſſiſſe Marmora Capitolina fidem faciunt.

*Bella cum Pannoniis & vicinis, A. U. 718.*

§. III. Cum gentes Inalpinas Cæſar, ut vidimus, domuiſſet, in Pannonios etiam exercitum duxit, nullam belli cauſſam habens, niſi quod milites exercere, & ex alienis opibus alimenta iis præbere conaretur, id omne juſtum ratus, quod infirmior contra potentiorem patraſſet. Et primum quidem ſe a rapinis continuit; quod ſperaret citra vim eos ſibi adjungere poſſe. Cum vero prior ab ipſis læſus eſſet, (nec mirum cum hoſtilem exercitum agros ſuos immerito inſidentem viderent) prædas quas potuit maximas ex agris eorum egit. Et fortiter ſatis ſe defendebant barbari, Mena etiam illo Sex. Pompeji liberto interfecto. Tandem tamen pacis conditiones accipere coacti ſunt. Sed paullo poſt dum Cæſar in Britanniam expeditionem parat, Pannonii & Dalmatæ, & etiam Salaſſi rebellare cœperunt. Verum Pannonicos qui-



a *Id. L. XLVIII. p. m.* 256. *Vell. L. II. c.* 78.
b *Dio Ib. p.* 258.

quidem recepit *Geminus* : Salaſſos Valerius Meſſalla domuit. Dalmatæ prius ab Agrippa ; inde ab ipſo Cæſare coerciti ſunt : quibusdam tamen Statilio Tauro, quos domaret, relictis. De quibus omnibus populis confecto civili bello Cæſar triumphum duxit. Eodem tamen etiam tempore Craſſus (contra *Dacos* [a], qui ad Antonium inclinaverant, & Baſtarnas) qui Iſtrum transgreſſi Myſos aliosque populos finitimos ſubegerant, bellum geſſit. Quod quidem hactenus ad Romanos nihil attinebat. Sed, cum etiam Thraces Dentheletas Romanorum ſocios invaſiſſent, Craſſus non tantum eos repulit ; verum etiam ſuſis hoſtibus Myſiæ quoddam oppidum cepit. Inde Baſtarnas quoque, ex quorum legatis vino gentis conſilia expreſſerat, ſuperavit. Quibus peractis, Myſos quoque aggreſſus alios vi, terrore alios, alios denique perſuadendo in poteſtatem redegit : licet ipſe partim a frigore, partim a Thracibus, per quos iter faciebat, ingentia damna pateretur. Triumphus tamen & Cæſari & Craſſo ob has res geſtas decretus eſt ; quem tamen Craſſus demum egit poſt biennium. Sed interea etiam alias victorias de his & finitimis gentibus obtinuit. Et ſigna, quæ quondam C. Antonio Baſtarnæ ademerant, recepit, in quasdam gentes tanta ſævitia uſus, ut captivis eorum omnibus manus amputaverit [b]. His rebus geſtis Cæſar Janum

A. U. 724.

A. U. 726.

a *Dio L. LI. p.* 312. b *Dio L. LI. verſ. f.*

nium clauſit; quanquam adhuc cum Treviris Germaniſque; & in Hiſpania cum Vaccæis & Cantabris bella à Ducibus ipſius gererentur.

## CAPUT DECIMUM.

### *De Imperio ad Octavianum Cæſarem; qui inde AUGUSTUS dictus eſt, delato.*

§. I. POſt immenſos honores Cæſari Octaviano decretos, quos partim recenſuimus, partim recenſere parum attinet, ſumma totius Reipublicæ Anno Urbis ſeptingenteſimo vigeſimo quarto rurſus penes unum hominem eſſe cœpit [a]. Quo tempore Cæſar cum Mæcenate & Agrippa, quos ſolos arcanorum maxime conſiliorum habebat conſcios; *de Republica S. P. Q. R. reddenda* conſultaſſe dicitur. Quod tamen, an usquequaque veritati conſentaneum ſit; vel ſaltem, an ſerio unquam eam deliberationem inſtituerit, merito poſſe dubitari credo. Refert Dio rationes longiſſimis ſermonibus comprehenſas, quibus Agrippa reſtituendum Populo principatum cenſuit; Mæcenas vero ſupremam poteſtatem, qua jam gaudebat Cæſar, retinendi ipſi auctor fuerit, conſilia ſimul prudentiſſima de totius Reipublicæ adminiſtratione adjiciens. Et operæ pretium erit utriuſque orationis

*Deliberatio Cæſaris de reddenda Rep.*

*A. U. 724.*



a *Dio L. LVI. init.*

nis ſummam hic tanquam in brevi tabella lectorum oculis ſimul & animis conſiderandam ſubjicere.

*Conſilium Agrippæ.*

§. II. Et Agrippa quidem argumenta ſententiæ ſuæ firmandæ deſumpſerat ab odio, quod ſibi contracturus erat, ſi omnia Cæſar egiſſe videretur, non pietatis in Patrem cauſa, neve, ut Rempublicam contra inſidiatores libertatis ſuæ aſſereret, ſed ſui duntaxat commodi & patriam in ſervitutem redigendi gratia. Tum etiam urſit, quam grata, & naturæ conveniens ſit æqualitas inter eos qui in libera civitate, & eadem conditione nati ſunt. Ea enim ratione concordiam ſtabiliri poſſe, cum homines bona & mala communia ducentes omnia, quisque pro virili, ad communem ſalutem conferre parati ſint. In dominatu vero unius omnes ſuo tantum commodo intentos eſſe, dum principis mores, ſive boni illi ſint, ſive mali ſibi imitandos proponunt. Addebat præterea, non ſine ingenti moleſtia & periculo dominantis liberum populum ad ſervitutis patientiam poſſe inſtitui: cum primum ingenti odio ipſum flagrare neceſſe ſit, dum pecuniam, ſine qua ſtare non poſſit Reſpublica, e civibus colligit; quam in unum hominem non libenter conferunt, eum ſolum maxime ea frui exiſtimantes, cum in libera civitate in ſuum quemque uſum ſe pecunias conferre cives opinentur: idque certo ſenſu verum videri poſſit, cum etiam ad civilia & militaria munia magis adhibeantur, dum

dum princeps in alienos fere & mercenarios, ut ſibi addictiores ſint, ea conferre ſoleat. Adhæc etiam exoſum fieri civitatis quondam liberæ dominum, dum criminum judicia exercere cogitur; cum judiciorum ſpecie ſuæ cupiditati eum indulgere opinantur: in libera vero civitate judicia facilius ferri, cum neque potentiæ judicis, neque gratiæ imputari ea adeo facile poſſint. Monebat etiam, quam difficilis & odii plena res foret eligere ex omni civium multitudine, quorum opera Princeps ſibi utendum cenſeat; quum utique opera aliorum uti neceſſarium ſit. Neque odii tantum, ſed etiam periculi plenum opus eſſe: nam ſi ineptos rebus gerendis præficiat, detrimentum Reipublicæ afferri; ſi magnanimos & idoneos, ipſi Principi eſſe quod ſibi ab illis metuat: cum e contrario ſtatui libero conducat, ſi plurimi magnis rebus idonei in eo reperiantur. Exemplis deinde conſilium ſuum fulciebat a Græcorum populis deſumptis; ubi ſtatuum popularium gloria & res geſtæ nimium quantum illis, quæ tyranni, aut reges egiſſent, præcellerent. Et præſertim ipſam Romanorum hoc docere Rempublicam, quæ ad tantum potentiæ faſtigium ſub libera ejus adminiſtratione creviſſet. Denique neque unum Cæſarem tot laboribus die ac nocte obeundis absque valetudinis ſuæ ingenti detrimento ſuffecturum. Quod ſi nobili deſiderio plurimis bene faciendi teneretur, laudandum quidem genero-

ſum adeo impetum: at gratiam beneficiorum datorum aliis potius, quam ipſi Principi, obtingere; negatorum odium ipſi fere ſoli. Præterea, neque omnibus poſſe ſatisfieri; & majorem eſſe iniquitatem eorum, quibus nihil obtigit, quam ſit grata animi benevolentia aliorum, in quos beneficia collata ſunt. Quippe cum plerique beneficia, quæ petunt, tanquam aliquid quod ſibi debeatur, conſiderent; ita ut qui ea adepti fuerunt, tantum quod ſuum eſſet, adeptos ſe putent; quibus negatum eſt, re ſua ſe privatos eſſe opinentur. Neque tamen etiam beneficia absque delectu dignorum, aut indignorum diſtribui poſſe; quo etiam magis eorum odium accenditur, qui ſe pro indignis præteritos putant. Suadebat igitur, ut Sullæ exemplo legibus primum præclaris Rempublicam conſtitueret: ac ita tandem Reipublicæ ſuam poteſtatem traderet. Hæc fere ſumma eſt eorum, quæ Agrippam Cæſari dixiſſe Dio tradidit.

*Mæcenatis conſilium.* §. III. Mæcenas contrariæ plane opinionis fuit a: oſtenſis enim incommodis, quæ popularem regiminis formam ſequantur, hortatus eſt, ne inſipienti Populo Reipublicæ poteſtatem permitteret, atque ita veluti infanti, aut inſano gladium in ſui ipſius perniciem porrigeret ſpecioſis libertatis & generoſitatis vocabulis deceptus. Verum, ut aſſumptis pru-

den-

a *Dio L. II. p.* 320.

dentiſſimis fortiſſimisque viris ipſe eam regeret: atque ita libertatem legibus temperatam, non licentiam plebi permitteret. Super omnia, ut ſuo arbitrio bella gererentur, magiſtratus crearentur, præmia ac ſupplicia diſtribuerentur. Atque eam jam eſſe Populi Romani conſtitutionem, ut, niſi imperio unius contineri nequeat, cum Imperio ad ditiſſimas partes prorogato, undique mire diverſa colluvies hominum in Urbem & Imperium confluxerit; quæ omnibus modis ſit coercenda. Tum oſtendebat, quam non facile ſumma auctoritate aliquis cedere poſſit, exemplo Pompeji; qui poſtquam id fecerat contemptui habitus, inſidiis appetitus, & demum everſus fuiſſet: idemque Mario & Sullæ eventurum fuiſſe affirmabat; niſi morte eo periculo fuiſſent exempti. Denique conſilia Reipublicæ gerendæ plurima & præſtantiſſima addidit: quæ paucis comprehenſa hic, quam breviſſime poterimus, ſubjungemus. Primo auctor ipſi fuit a, ut Senatum, in quem per bella civilia plurimi indigni irrepſerant, diligenter recenſeret; indignisque remotis nobiliſſimum quemque ſimul & ditiſſimum, morum etiam & prudentiæ maxime ratione habita, iis ſufficeret; neque tantum ex Italia, ſed etiam ex ſociis delectos in Senatum allegeret; ut ita & miniſtros rerum agendarum, & obſides fidei ſociorum haberet; & ſimul

 pro-

a *Dio L. LII. p. 522.*

provincialium hominum amorem demereretur. Et idem in Equeſtri ordine obſervandum monuit, de numero nulla cura habita. Imo omnibus ſociis civitatem eſſe dandam, ut ſolam Romam vere ſuam patriam eſſe putarent. Magiſtratuum creandorum poteſtatem ſoli Cæſari reſervatam eſſe voluit; eorumque potentiam quantum fieri poſſet imminui honore ſemper integro relicto. Provincias exercituſque nemini, niſi idoneo tempore poſt geſtum magiſtratum interpoſito, committeret; ut animorum nimia a continuatis honoribus elatio reprimeretur. Urbi Præfectum creari ſuaſit ᵃ ex iis, qui omnes jam magiſtratus cum laude geſſiſſent, qui tum reliquis rebus in Urbe præeſſet; & cauſſas, quæ provocationem haberent, judicaret, ac omnes capitales in Urbe, & extra eam ad paſſuum uſque LXXXI. millia (ſtadia IↃCL. dicit Dio.) Cenſoriam quoque poteſtatem uni ex ordine Senatorio committendam; qui tamen de majore quoque negotio ad Cæſarem referret; & utramque hanc poteſtatem per omnem vitam, niſi majores cauſſæ obſtarent, prorogandam cenſebat. Provincias etiam adminiſtrari poſſe rectius credebat, & tutius, ſi & modicæ eſſent; & pluribus ſimul eorum adminiſtratio crederetur, Conſulari nempe uni & Prætoriis duobus; ea tamen adhuc cautione adhibita, ne Conſularis qui imperio

a *Dio Ibid. p.* 323.

perio milites cohiberet, in centurionem, aut alium virum majoris paullo dignitatis animadvertere poſſet; quos a ſolo Cæſare puniendos eſſe dicebat. Præterea, nemini minus triennio, aut diutius quinquennio poteſtatem committi; ut & ruditas, & inſolentia ex diuturniore imperio evitaretur. Hæc omnia autem munia ſolis Senatoribus committenda exiſtimabat. Ex Equitibus [a] duos militiæ aliorumque officiorum peritos ſatellitibus Cæſaris præfici poſſe dicebat, ut ſi forte unus inſidias ipſi ſtrueret, ab altero coerceri poſſet: iiſque jus etiam dandum in milites per univerſam Italiam. Tum etiam vicarios iis dandos eſſe; & omnibus poteſtatem perpetuam. Multis etiam aliis muneribus Equites poſſe præfici; ut ita plures rebus gerendis aſſuefierent [b]. Et iis, qui in provinciis curarent, etiam poſſe adjungi libertos, qui ipſorum quaſi taciti cuſtodes forent. Utriuſque ordinis liberos mature literis imbuendos eſſe putabat; ita ut paullo adultiores etiam arma & equos tractare diſcerent; & omni ratione a deſidia & mollitie, pravorum conſiliorum auctoribus, averterentur. Exercitus eſſe alendos perpetuos; utque iis rebus ſumptus ſuppeteret agros publicos (nam plurimi bellorum occaſionibus erant capti) eſſe vendendos; eamque pecuniam fœnore modico

eſſe

a *Dio Ib. p. 325.* b *Suet. Aug. c. 37.*

eſſe elocandam. Alia etiam vectigalia eſſe imperanda, iisque exactores commodos eſſe præficiendos. Romam omni magnificentia eſſe exornandam, qua totius Imperii caput eſſe facile appareret. Concilia vero & Comitia Populi & Romæ & alibi terrarum eſſe abroganda: (certum conſilium omnium eorum, qui libertatem Populi evertere cupiunt) & ſumptus omnium moderandos. Senatui honorem eſſe ſervandum; & præcipue legatos exterarum gentium ad eum remittendos. Et de Senatoribus judicia etiam Senatui eſſe permittenda, ut damnationis invidiam Princeps evitaret. Obtrectatores autem, vel conviciatores plane eſſe negligendos. At ſi quis inſidias Principi ſtruxiſſe deprehenderetur curandum eſſe ut a Senatu, ſed quam fieri poſſit moderatiſſimo ſupplicio puniatur: cum etiam ſic vix perſuadeatur hominibus, quenquam contra Principem conjurare fuiſſe auſum. De iis vero cauſſis, quæ per provocationem ad Principem judicandæ adferuntur, utile maxime fore, ut ipſe in conſilio præſtantiſſimorum aliquot virorum cognoſcat; qui ſententias ſuas in tabellis ſcriptas edere debeant. Conſiliorum Principi dandorum libertatem ſummam omnibus eſſe permittendam: atque vitam ipſi ita eſſe inſtituendam, ut inde alii Præfecti exempla, quæ imitentur, capere poſſint. In vitia aliorum, ſi accuſatore careant, non inquirendum;

nisi

niſi Rempublicam forte læſura ſint: talia enim punienda eſſe etiam ſi nullus accuſator exiſtat. Egregia vero facinora etiam majore, quam mereri videantur, honore eſſe ornanda. Honores ultra ſibi decerni nequaquam Cæſarem pati debere: ſed virtute veram gloriam eſſe parandam. Deorum cultum ſecundum inſtituta patrum eſſe tuendum; peregrinarum vero religionum auctores eſſe removendos. Nec ſpernendam eſſe divinationem; ita tamen ut artes magicæ aboleantur. Pacem maxime Cæſari eſſe appetendam; ſed ita ut ad rem bellicam ſemper eſſet paratiſſimus: atque ob eam cauſſam etiam exploratoribus ipſi eſſe utendum; ita tamen, ut non facile delatoribus adhibeat fidem. Familiarium eximiam curam eſſe habendam; verum a nimia in eos indulgentia eſse cavendum. Inferiores contra potentiores eſſe defendendos; ſed exacta æquitate ubique ſervata. Artibus utilibus deditos eſſe honorandos, otioſos contra, aut malarum artium magiſtros eſſe premendos. Curandum ut jus diligentiſſime dicatur; neve diſcordiæ inter cives foveantur; neve quis re ſua male utatur: atque ita etiam ipſi Cæſari providendum eſſe, ne potentia uſquam abutatur ſua. Cæſar utriusque, & Agrippæ & Mæcenatis oratione audita ingentes utrique laudes tribuit: & quanquam conſilio Mæcenatis ſibi utendum eſſe ſtatuiſſet, nihilo minus tamen Agrippæ

indu-

